
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
55
9 K
15
ROMA





NODVS
PRÆDESTINATIONIS,
Ex SS. litteris, doctrinaque SS. Augustini, & Thomæ, quantum Homini licet, dissolutus.

AUCTORE
CŒLESTINO
S. R. E. PRESBYTERO
CARDINALI SFONDRATO.

Sententia illa antiquitate, suavitate, ac scripturarum nativa auctoritate nobilissima, de Prædestinatione ad gloriam post prævisa opera, sanè mihi gratissima fuit, qui nimirum eam semper ut Dei Misericordiæ, ac gratiæ magis consentaneam, veriorem ac amabiliorem existimavi, quod etiam tantisper in Libello de Amore Dei indicavi.

S. Franciscus Salesius in Epist. ad P. Leonardum Lessium data sub die 27. Augusti 1618. quæ habetur impressa Lovanii in Thesibus Theolog. *Philippi de Vos* eamque citant *Maynam* Tom. 2. Philosoph. Sac. c. 24. *&* *Gonzalez* Tom. 2. Disp. select. disput. 8. sect. 3.

N. *Illustriss. ac Reverendiss. D. D.* M.

DANIELI ABBATI GRADONICO

Illustriss. atque Eccellentiss. D. D. Hyeronimi olim D. Marci Procuratoris Filio. S. Francisci Salesii Commendatario perpetuo, Canonico Patavino, &c.

VENETIIS, M.DC.XCVIII.

Apud Hieronymum Albriccium.

Superiorum permissu, ac Privilegio.

N. D. M.

PRædeſtinationis nodum, quem multi, diſceptando, uſque ad deſperationem proximè coligarunt, & quem multi nimium audentes uſque ad temeritatem inciderunt potiùs, quàm ſoluerint; Cæleſtinus S. R. E.

Card. cælesti prorsùs Doctrina exhibet dissolutum. Quod ipse debitum DD. August. & Th. profitetur, eò quod ex eorum sapientiæ fontibus aquam hujusmodi hauserit; Theologica Respublica ipsi debet quod propinandam obtulerit. Sitivit hactenus aquam hanc justus, & peccator, uterq; sitiens à fonte abiit; ille, audacem nimis confidentiam; hic, severam nimis ultionem pertimescens: uterque in Deo, quæ Dei sunt ad suimet interitum, aut augens, aut auferens, prout libuit, alter justitiam, alter misericordiam. An non Misericors Dominus, & justus? *Iustus planè, & misericors Dominus est; ità ut, & justitiæ severitatem misericordia temperet, & indulgentiam*

mi-

misericordiæ justitia compenset. Facessant igitur, & malorum impia confidentia sine justitia, & justorum scrupulosa desperatio sine misericordia; Cælestinum adeant utrique: utrique justitia usque ad momentum stateræ ministrabitur: utriq; misericordia usque ad salubrem abundantiam. Verùm quia Doctrina hæc usque modò non minùs visa fuit solubilis hominum studio, quàm timenda judicio; cum tandem divina quadam libertate fruatur in terris, ad Te Præsul Illustrfs. ac Reverendiss. Cui Ecclesia Patavina Canonicatus decorem, & D. Franciscus Salesius rem suam Commendavit sesistit impavida: neque enim sibi de tua tutela censet despe-

randum quia justus es: neque de nimia sui confidentia sibi timendum putat quia justa est. Insolubilis olim fuerat nodus iste prædestinationis, & quasi somnium inextricabili larvarum anamorphosi implicatum. Sit, ut libet. Quod nodus solveretur, & somnii mysterium explicaretur, Celestin fuit: Quod solutum intelligatur solius DANIELIS *est, qui vel per somnia prophetias auspicatur. Et rectè quidem, hujusmodi enim somnium inter avitas, & adhuc recenti murice coloratas Illustriss. atque Exell: Hyeronimi Patris tui D. Mar. Procuratoris purpuras, decuit explanari, ut Regale somnium nobili omnino enuclearetur aruspice. Quanta in tua* GRA-

DO-

DONICA *familia, Abbas Illustriss. dignitates sortiuntur ornamenta! Infularum, & purpuræ decus, quod plurimi fortunæ censum, virtutis sortem fecerunt* GRADONICI. *Quare opus hoc suà purpurà benè munitum, tuà (quam inauguror) tuendum offero; ne, si fortè aliquam fere communem Typographiæ molestiam meo prælo contraxerit, vertatur id in præjuditium Typographi ne dicam Authoris, cui cælum tantum virtutis contulit, ut nullo sortis malignantis incommodo possit obfuscari. Excipe, igitur, & protege ad Prædestinantis gloriam, ad Prædestinatorum Solatium, ad Prædestinationis dilucidationem præclarissimam, demum & ad*

 om-

omnium documentum opus hoc purpurati cineris monimentum, meæque addictissimæ servitutis testimonium; Vale.

D. V. Illustriss. ac Reverendiss.

Humillimus, & Addictiss. Cliens
Hieronymus Albricius.

Pio, & Erudito Lectori.

F. Io: Damascenus Ordinis Min. Convent.



Ostremum piissimi Auctoris,& dignitate Eminentissimi, en tandem Opus in lucem prodiisse conspicis Lector; ejus probè undequaq; Auctoris clarissimi, qui Romanos inter Purpuratos, cùm lucis hujus frueretur usura, tanta meum respexit obsequium clementia, ut tenuitatem qualemcunque meam operi imprimendo præfecerit, pro cæteris pluribus indies imprimendis, & curam commissurus, & inspectionem. At (proh dolor) immaturo eripiens mors ictu, in uno *SFONDRATO* erepto, quanta eripuit bona! Erant inter cætera, disertissimus *De Opinione probabili* Tractatus; Dissertationes eruditissimæ duæ contra Hæreticos *De Baptismo Infantum*: Apertissima *De Atheismo* parabatur *Historia*. Remediis fœcundissima contra pestilentem Librum *Heideggieri Tigurini*, cui titulum fecerat, *Meretrix Apocalyptica*, Dissertatio afferebatur: Itemque *Commentaria in Jus Canonicum* eodem quinquennio, quo Salzburgi illud explicuerat, in tres digesta Tomos elaborata, exponebantur. Quæ omnia una cum cæteris prælaudati Auctoris MM. SS. Sanctissimi D. Nostri *INNOCENTII XII.* jussu, Eminentissimo, ac omnigenæ eruditionis peritissimo *Cardinali ALBANO* Apostolicorum Brevium Secretario credita sunt. Quoniam verò extremo, & inexpectato ereptus fato Auctor nunquam satis laudatus, extremam eis non imposuit manum, meas ideo duxi partes, ut de quibusdam, quæ pro hoc opere necessaria videntur, manu plena unumquemque edocerem.

Primò igitur Auctoris finem, & mentem perscrutaturum admoneo; ut prius de morum pietate, cœlestis amori ardore, divinæ gloriæ Zelo, omniumq; salutis desiderio, quæ Ecclesiasticum quemq; decent, & tanto in viro apprimè fulserunt, se certiorem reddat; Qua re quidem cognita, facilè quæ mecum acta de ipso referam, credet, & Regulam sibi in judicando constituet. Illud

nam-

namque sæpe sæpius, (ac tùm præcipuè, cùm in Arce Castri Gandulphi, quò aeris mutationis gratia diverterat, ad ejus admissus sum obsequia, propiorque moralium virtutum in litteratissimo Homine admiratus sum ornamenta) piè ita mecum differentem audivi: Se cum Scholis contrarium *de Prædestinatione, & gratia* sentientibus, ut contentionis funem duceret, haud scripsisse; sed præcipuè in Votis habuisse, ut ii, quibus, juxta expressa in hoc Opere principia, Verbum Dei *de Prædestinatione* factum esset, magis divinæ Misericordiæ in nos miseros magnitudinem admirarentur, ac sese strictiori semper charitatis vinculo in Deum devinciendos, cœlestis Beatitudinis spe erigendos, nec non Summo, & Infinito Bono per opera coujungendos agnoscerent; prout etiam Genevensis ille Antistes Sanctissimus *Franciscus Salesius*, & credidit, *& lib. 5. de Amore Dei cap. 3*, testatur, & ad Patrem Leonardum Lessium ex Societate Jesu scribens, in nostri Auctoris sententia circa *Prædestinationem*, hominum memoriæ consignavit. Quod si, quis quis es, tantum Opus lecturus, una cum Opere nuncupativam, quam ipse penè moriens dictavit Epistolam leges, finem, & objectum idem cognoveris necesse est; Hocque tibi ut magis pateat, ea in parte Librum attentius percurras, qua Asceticis Aphorismis intellectum illuminat, & voluntatem ad Dei amorem accendit.

Verùm ut Lectoris admirationi occurram in iis, quæ quodammodo Operi deficere videntur, eum monitum volo, me *servatis servandis*, cùm ægrotare Auctor Eminentissimus ceperit, jam hujus Operis impressioni manum admovisse; illum verò in Paragrapho tertio primæ partis describendo, in quo ab Origine Mundi ad hanc nostram usque ætatem longa, nec non erudita historiarum serie. *Dei gratiam etiam obstinatissimis Peccatoribus non deesse* conabatur ostendere, occupatum, & Aunum sexagesimum sextum supra trecentesimum Aeræ Christianæ assecutum, urgente morbo decubuisse, & crescente occubuisse. Sed quod Græci adagium usurpant: Αγλαὸν ἥρωα πόλεμος οὐδ' ἑνὸς στερεῖ, videlicet, *illustrem Heroem bellum nulla reprivat*, in piissimo, & litteratissimo Heroe probatum est: Humanæ namque Vitæ finem ipso in mortis agone expectans, totus erat, ut finem suum assequere-

tur,

tur, hoc eſt, Operis hujus impreſsionem. Unde cùm jam pridem *CARDINALI LEANDRO COLLOREDO* non minus dignitate, quam pietate, Eminentiſsimo ſuper hoc enixe vota ſua contuliſſet, humillimas tunc etiam ſuas preces Sanct. D. Noſtro *INNOCENTIO XII.* Benefactori ſuo munificentiſſimo, nec non Sereniſsimo, ac Piiſsimo *COSMO TERTIO* Magno Etruriæ Duci tranſmiſit, mihiq; ut præ viribus ceptam editionen curarem, indixit, prout eorundem Principum auſpicio ſum aſſecutus.

Huic inſuper Operi illuſtrando fuit quidem ea intentione Auctor, ut Polemico. Hiſtoricos adderet pro diſſolvendo Prædeſtinationis, gratiæque *Nodo* ſecundæ partis Paragraphos; Verùm cùm in iis parandis noctes San Galli abſumeret, diuturnos optimis Principis, & Paſtoris pro populo, proque ſuo Grege impendens labores per *INNOCENTIUM* hujus nominis *XII.* purgatiſsimo in cognoſcendis, ac librandis perſpicuorum Virorum virtutibus judicio, proq; præmio efficiendis Mæcenatem nulli ſecundum, Vaticana exornatus Purpura, iter Romanum eſt aggreſſus.

Cæterum inaudita ne judices parte, mi Lector, advertas, quæſo, Clementis Alexandrini *lib. 6. Strom.* παραίνεσιν: *Non enim improbari, ac damnari aliquid poteſt, niſi prius cognitum ſit:* Hinc de exhibito Opere judicium ſuſpendas, donec totum percurreris, interdum enim textum ſolvit contextus; Quin delectationem cum doctrina exhauries, ubi exquiſito omnia leges ſtylo conſcripta, ſacra Patrum eruditione referta, ac Theologico, ſolidoque innixa fundamento. Quod ſi inter legendum Typica, prout ſolent in unoquoque Opere, occurrent errata, gemens ſub Torculari Opus ad ſui vitam, debuit, & gemuiſſe proprii Parentis ad mortem; Non levis quidem jactura, nec minor pro detergendis lacrymis Correctori ab impreſsione diſtractio. Quæ ſatis prudenti ad excuſationem notitia. Craſsiora quæ ſunt, appoſita ad Operis calcem notula indicabit, & corriget. Auctoris mentem, & finem interea grata habeas, quia ſancta, quia ad Animarum profectum, & tranquillitatem præcipuè directa; Quibus facto reſpondere ſi ſtudeas, fœlicitatem, quam toto auſpicor animo, aſſequeris.

Feria

Feria 4. Die 25. Iulii 1696.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita, in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam, coram Eminentiss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana, contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Lecto memoriali tenoris sequentis, videlicet: *Eminentiss. & Reverendiss. Signori. Essendo dalla Sacra Congreg. prohibito che niuno possa stampare in materia* de Prædestinatione & Divinis auxiliis, *senza licenza della medema: il Card. Sfondrati hauendo composto un Trattato* de Prædestinatione, *ch'inuolue anche la materia* de Divinis auxilis, *prega la medema Sacra Congreg. del S. Officio, per la licenza di poterlo stampare*, servatis, servandis, *e l'haurà à gratia*. Quo memoriali audito, Eminentiss. DD. Cardinales Inquisitores prædicti, annuerunt.

Ioseph Bortolus S. Romanæ, & Vniversalis Inquisitionis Notarius.

Noi

Noi Reformatori dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di reviſione, & approbatione del P. F. Gio: Alb. Paſotti Comiſſario nel Libro intitolato, *Nodus Prædiſtinationis Auctore Cæleſtino S. R. E. Presbitero Card. Sfondrato*; non eſſervi cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concediamo licenza, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di ſtampe, preſentando le ſolite copie alle publiche Librarie di Venetia, & Padova.

Data li 24. Genaro 1697.

(Sebaſtian Foſcarini Cav. Proc. Refor.
(Franceſco Corner Proc. Ref.

Agoſtino Gadaldini Seg.

I N.

INDEX
Partium, Paragraph. & Numeror.

PARS PRIMA.

Esse in Deo seriam, impensamque, & quantùm ex se est, efficacissimam voluntatem salvandi omnes.

§. I.



§. II.

INDEX.

§ II.

Dari omnibus hominibus ad æternam vitam consequendam non tantùm necessarias, & qualescunque, sed copiosissimas, & abundantes gratias, quibus si velint, facilè, commodeq; obtinere illam possint.

1 *Ex voluntate efficaci salvandi omnes, optimè inferri voluntatem omnibus queq; quantum ex parte Dei est, efficaces, & copiosissimas gratias offerri.*

2 *Posse causam aliquam, & dici, & esse efficacem, quamvis effectus non sequatur, idque exemplis Luciferi. & Adami ostenditur.*

3 *Efficaces ex natura sua, & copiosas gratias dari ex Sacris litteris, & qua ratione jugum Christi leve, & suave dicatur, ostenditur.*

4 *Sæpe reprobis, & renuentibus æquales, aut etiam majores gratias dari, quam electis, & consentientibus. Neq; tantum externas verùm etiam, multoq; magis internas. Ubi Augustini, & Thomæ testimonia expenduntur.*

5 *Idemq; probatur ex effusissima etiam in Bruta, aliasq; Creaturas insensibiles Dei bonitate. & providentia.*

6 *Et in ipsum hominis Corpus.*

7 *Et quia homo Dei opus est.*

8 *Idemq; ex Corporis humani structura:*

9 *Ac præsertim hominis redemptione.*

10 *Ipsaq; experientia.*

11 *Neq; id tantùm de Fidelibus, verùm etiam Infidelibus credendum esse, quod variis, multisq; rationibus probatur, præsertim verò testimonio Augustini, ejusq; præstantium Discipulorũ.*

12 *Nihil obstare doctrinam S. Thomæ de infidelitate pure negativa.*

13 *Si homini auxilia gratiæ deessent, transgressionem mandatorum ex sententia Augustini nequaquam transgressoribus imputatum iri.*

14 *Nullis quantumvis obduratissimis Peccatoribus abundantissimas gratias deesse.*

15 *Quo sensu Augustinus dicat, gratiam non omnibus dari.*

16 *Causa Parvulorum sine Baptismo decedentium non obesse ostenditur.*

17 *Exponitur Augustinus.*

18 *Falsam esse eorum opinionem, qui contendunt, gratiam omnibus quidem præparari, non tamen omnibus dari.*

19 *Exponitur Apostoli sententia ad Roman.* 10. quomodo credent, quomodo audient sine prædicante, &c.

20 *Nemini quamvis perditissimo custodiam Angelicam subtrahi, Ubi de peccatorum mensura, deq; prava consuetudine, modisq; eam expugnandi.*

21 *Nemini orandi petendiq; gratiam deesse. Ubi de gradibus Orationis, deq; auxilio remoto.*

§. III.

Dei gratiam etiam obstinatissimis peccatoribus non deesse, longa serie historica, multisque exemplis ostenditur.

§ IV.

Orationem etiam peccatoris, cum illa petit, quæ ad vitam æternam consequendam necessaria sunt, semper exaudiri, sicq; in peccatoris potestate esse, gratiam illam efficacissimam, & triumphatricem, orando impetrare.

1 *Quid sit efficacia gratiæ triumphatricis, fusè, multisq; ex Augustino testimoniis exponitur.*

2 Quæ

PARS ALTERA.

In quâ ostenditur, nihil opponi posse divinæ providentiæ ex eo, quod in negotio Prædestinationis, quædam sint inscrutabilia.




NO-

NODVS PRÆDESTINATIONIS

Ex SS. litteris, doctrinaque SS. Augustini & Thomæ

QUANTUM HOMINI LICET, DISSOLUTUS.



PARS I.

In qua expenduntur, quæ cognosci in hoc arcano ab hominibus possunt.



Duo sunt, quæ in omnibus Christianæ Fidei Mysteriis considerari oportet, videlicet, & quòd cognosci debeant, & quòd penetrari non possint; sicque & quod fidem mereantur, quia certa; & quòd reverentiam, ac timorem, quia sublimia, & inaccessa. Utque maris, ita rerum divinarum proprietas est, & magna ex parte cerni posse, & majori latere: Sicut enim non mare, sed flumen esset, cujus totam latitudinem, & profundum metiri oculo posses; ita non res divina, sed humana esset, quam totam intellectu perspiceres. Inde est, ut in aliis ferè omnibus, ita quoque in rebus ad Religionem spectantibus duo vitanda, excessum videlicet, ac defectum, hoc est, *ignorantiam*, & *præsumptionem*: paris enim damni est, parisque delicti, & nescire, quod debeas, & velle scire, quod non possis. Quid enim interest, sive ideo cadas, quia cœcus es; sive cadas, quia per præcipitia incedis? Imò sæpè major, pejorque audacium, quàm ignorantium ruina; Isti enim soli, illi cum pluribus cadunt, quos exemplo, ac veneratione doctrinæ, quam profitentur, in abrupta compellunt, ut Origenis, Tertulliani, aliorumque experientia ostendit. Optimum ergo est Apostoli monitum ad Rom. 12. 3. *Sapere ad sobrietatem*. Si non sapias, quomodo amabis, quod ignoras? Si non ad sobrietatem, quomodo tibi proderit, & non potiùs onerabit, quod non capis? Optimus ergo cognoscendi, qui vescendi modus erit, si nec gulæ indulgeas, nec famidesit.

Hæc, ut dixi, in omnibus Christianæ Religionis Mysteriis, sed præsertim in arcano Prædestinationis vera sunt. Nihil isto apertius, si modestè accedas; nihil occultius, si protervè invadas. Nihil ad inflammandum amorem opportunius, si modicè, ac guttatim aspergas: nihil ad extinguendum validius, si impetu, & undatim affundas. Omnia tempestatibus, & naufragiis plena, si scapham alto committas: omnia tuta, & tranquilla, si terram legas. Verbo, hic maximè consilium Apostoli valet ad Rom. 11. 20. *Noli altum sapere.*

Ego cùm observassem in hac præcipua, & decretoria salutis, & animarum causa à

quàmplurimis nimis parùm divinæ bonitati tribui, & culpam pereuntium non tam reis imponi, quàm in ipsum Judicem derivari, quasi partibus addictum, & aliquibus tantùm, non omnibus propitium, nimisque ardua præscribentem, quæ paucis, & Heroibus tantùm superare animus sit; ego, inquam, cùm id animadvertissem, statui justissimi simul, & clementissimi Judicis causam suscipere; nodumque hunc, licèt aliàs implicatissimum, non ferro, sed calamo solvere, ac omnibus compertum, palamque facere, nullam posse contra Judicem querelam moveri, nihilque in prædestinationis negotio peractum, cui non amor præsederit; sicque damnatorum casus non Prædestinationi divinæ, sed humanæ voluntati tribuendos esse, Deo quavis ratione vitam peccatori procurante, sed peccatore ipso omni ratione mortem volente, sicque verissimas esse illas Prophetæ voces Oseæ 13. 9. *Perditio tua ex te Israel, ex me tantùm auxilium tuum.*

Quatuor ergo in hoc argumento demonstrandæ suscipiam. *Primò*. Deum seriò, impensissimè, ac quantùm in se est, efficaciter omnium hominum salutem velle. *Secundò*, & ideò non qualscumque hominibus, sed abundantissimas, copiosissimas, & ex natura sua efficaces gratias tribuere, quibus ad æternam fœlicitatem pervenire possint. *Tertiò*, imò facillima quoque media præscripsisse, quibus etiam perditissimi, ac deploratissimi peccatores gratias illas speciales, quas Augustinus *invictissimas* & *triumphatrices* appellat, sicque perseverantiam finalem certissimò impetrare possint, si velint. *Quartò*, & hæc ad divinam, & infinitam Bonitatem omni suspicione liberandam sufficere; reliqua in causa Prædestinationis explorari nec posse, nec debere.

§. I.

Esse in Deo seriam, impensamque, & quantùm ex se est, efficacissimam voluntatem salvandi omnes.

SUMMARIA.

I. *Explicatur fusè quid nomine voluntatis, gratiæque per se efficacis, & ab Auctore, & ab aliis quoque Theologis intelligatur?*

II. *Probatur primò testimonio ex Sacris litteris, quarum testimonia expenduntur.*

III. *Ex Mysterio Incarnationis.*

IV. *Et ex sensu Sanctorum Patrum, præsertim Prosperi Aquitani, Discipulorum S. Augustini fidelissimi.*

V. *Et ex ratione. Ubi distinctio voluntatis antecedentis, ejusque efficacia, & consequentis expenditur.*

VI. *Ex divina Bonitate, ejusque in homines amore.*

VII. *Et ex absurdo, si dicas, non omnes, quantùm ex parte Dei est, efficaciter eligi.*

VIII. *Et ex efficacissimi mediis, quæ Deus ad æternam vitam suppeditat.*

IX. *Et ex efficaci omnium Creaturarum in suos fines directione.*

X. *Et ex necessitate, præceptoque Spei Christianæ.*

XI. *Et ex disertissimis Augustini, Angelicique Doctoris testimoniis, quæ simul expenduntur.*

XII. *Diluitur Sophisma Calvini de Prædestinatione.*

XIII. *Series, ordoque Prædestinationis breviter expressus.*

XIV. *Respondetur ad objecta, & ostenditur, Christum pro omnibus, etiam pro reprobis orasse.*

XV. *Non ideò voluntate antecedenti, & quantùm ex parte Dei est, aliquos esse reprobatos, quia in Sacris litteris dicitur Christi Sanguis* pro multis, *non* pro omnibus *effusus.*

XVI. *An Semipelagiani ideò Hæretici, quòd dicerent, velle Deum omnes salvos fieri?*

XVII.

XVII. Ea Sententia: DEUS vult omnes salvos fieri, *quomodò ab Augustino explicata?*

XVIII. Divinæ, & efficaci voluntati an resisti possit?

XIX. Cur non omnibus ea media, & auxilia dentur, quibus prævisi sunt, certissimò assensuri?

XX. Respondetur ad celebre Apostoli testimonium ad Roman. 9. *fuseque vera illius sententia exponitur, præsertim an Deus sit causa obdurationis?*

XXI. Non sequi ex nostra Sententia, non habere Deum majorem Electorum curam, quàm non Electorum.

XXII. Multoque minùs sequi hominem se ipsum discernere.

XXIII. Causam Parvulorum nihil obstare, multoque magis ad rem nostram facere.

NE termini, quibus Theologi in hac profundissima, remotissimaque ab hominum captu materia uti solent, ambiguitatem aliquam, speciemque erroris præseferant, prius, in ipsoque limine explicandæ nobis sunt voces, quæ toto hoc opere quàm frequentissimè occurrent, & in quibus tota rei summa, cardoque versatur.

I. Observandum igitur primò est, duas in Deo esse voluntates, *antecedentem* unam, alteram *consequentem*. Non quòd in divina natura numerum, & multitudinem perfectionum admittamus; sed quia quæ in Deo unum sunt, ea ob eminentiam, & infinitatem suam pluribus, innumerisque perfectionibus creatis æquivalent? & ideo perinde, quoad effectum se habeant, ac si plura essent; sicque à nobis per numerum, & in plurali explicantur, quamvis reipsa sint res simplicissima. Ea ferè ratione, qua dicimus, nummum aureum tres florenos argenteos complecti, non numero, cùm unicus sit, sed valore, & pretio. Ità, inquam, duæ sunt in Deo voluntates: Prima absoluta, efficax, independensque ab omni hominum merito, qua Deus naturaliter, meroque bonitatis suæ instinctu, atque, ut ita dicam, *motu proprio* vult omnium hominum salutem; æternamque felicitatem; & ideo eos creat, eos redimit, & accommodatissimis ad hunc finem mediis accingit, aliter tamen, aliterque juxta infinitæ, ac ordinatissimæ sapientiæ suæ modum. Et hanc vocamus *voluntatem antecedentem*, seu *voluntatem amoris*, quia nullam aliam causam habet, quàm, ut dixi, naturalem bonitatis suæ instinctum, motumque proprium, Hæc, inquàm, voluntas, quantùm ex parte Dei efficax, & absoluta est. Efficax; quia vi hujus voluntatis movetur Deus ad media non tantùm huic fini necessaria, & commoda; verùm etiam abundantissima, & præstantissima hominibus applicanda, adeò ut ne unigenito quidem, nec sanguini, vitæque parcat, quod nemo facit, nisi qui finem flagrantissimè, ac efficacissimè ex parte sua cupit. Absoluta verò hæc ipsa voluntas dicitur; quia licèt Deus exequi hanc suam voluntatem nolit, nisi homine consensum suum præbente, cùm salvare invitum nolit, nisi homine consensum suum præbente, cùm salvare invitum nolit: quod tamen creaverit, & quòd ideò creaverit, ut æternam vitam adipisceretur, quodque in hunc finem nobilissimis, & validissimis mediis instruxerit, id totum gratis, totumque opus summi amoris, & bonitatis fuit, nihil homine ipso ad propositum tam regiæ, spontaneæque adoptionis conferente, nullaque ex ejus parte conditione exspectata: sicut si Princeps Juvenem mendicum sola miseratione, & pietate commotus hæredem ultimis tabulis scribat, quam tamen hereditatem ipso facto consequi non possit, nisi ex natura ipsius testamenti adeat, acceptetque: in hac, inquam, hypothesi voluntas mendicum instituendi, pura, absoluta, mereque gratuita est, nihil ad ipsam conferente mendico, quippe omnium, quæ à Principe fiunt ignaro: Voluntas tamen ejusdem Principis, ut actu ipso hæreditate potiatur; conditionata est; quia non vult aliter obtineri, quàm hærede adeunte, & acceptante. Ita in Deo. Quod te voluerit condere, voluerit in filium, quantùm est de se, adoptare, voluerit Regni cælestis hæredem esse, in eumque finem mille, ac pretiosissimis te dotibus, & beneficiis exornaverit; meræ charitatis, & misericordiæ fuit, nihil te, tuisque meritis adjuvantibus. Voluntas verò, qua decrevit, ne hoc ipsum Regnum obtineres, nisi velles, & mereretis; quodque spo-

liare te illo voluerit, quia prævidit, te operari, & mereri nolle; hæc, inquam, voluntas *conditionata* & *consequens* dici debet, quippe ex prævisa voluntate, arbitrioque tuo pendens; quod Theologi nostri aliis terminis voluntatem intentivam, & executivam appellant.

Si tu verò solam illam unicamque voluntatem de se efficacem in Deo dici velis, quæ effectum consequitur; litem quidem de nomine movebis, sed pessimè confusione terminorum rebus ipsis consules, confusis enim terminis, confundi quoque rem ipsam oportet; ut si equo nomen Aquilæ; aut Romæ nomen Memphis imponas, nemo non inferet; ergo equum alas habere, & Romam Nilo rigari. Voluntas ergo de se efficax illa dicitur, qua quis rem aliquam tam seriò, impenseque intendit; ut illi consequendæ validissima media, omnesque officii sui partes impendat, seu deinde effectus sequatur, seu non sequatur; postquàm enim omnes suas partes aliquis explevit, nec tamen effectum obtinuit id non voluntati, non ignaviæ cupientis, sed casui, alterive impedimento imputari, adscribique debet. Ita in Deo res se habet: Si enim ejus salvandi omnes voluntatem consideres, tam illa impensa, & eximia est; ut jure jurando protestetur, *Se nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat*: Si efficaciam & abundantiam mediorum spectes, tanta est; ut etiam *proprio filio non pepercerit, sed pro omnibus tradiderit illum, & cum illo omnia nobis donaverit*: Si denique examines, an omnes numeros, omnesque partes Salvatoris, & Redemptoris expleverit, id tam plenè, copioseque peractum; ut nihil exigere ampliùs possis, *quid enim*, inquit, *debui facere vineæ meæ, & non feci?* Quæ cùm ita se habeant, amabò te, quid voluntati divinæ deest, ut quantùm ex se est, efficacissima appellari non debeat? *At effectus cessavit*. Esto; sed efficacia causæ quantùm est de se, non ex effectu, sed ex conatu, votoque censetur, ut videlicet adeò velis, ut nihil eorum omittas, quæ fieri debent: quod si non esset, omnia ferè vitæ Christianæ fundamenta corruerent.

Altera voluntas est hypothetica, & conditionata, qua Deus peccatores punire constituit; si gratiis à se copiosissimè oblatis uti nolint, iisque in finem, usque pertinacissimè obluctentur. Hæc voluntas, ut monui conditionata est, quia supponit insuperabilem peccatorum contumaciam, ac finalem impœnitentiam. Et hanc vocamus voluntatem consequentem, seu voluntatem Justitiæ, quia non immediatè, motuve proprio à Deo proficiscitur, sed ex Peccatorum protervia, oblatam veniam obstinatissimè recusantium.

Potest utraque hæc in Deo voluntas exemplo clementissimi Principis ostendi. Is cùm plures filios habeat, omnes magno amore complectitur, omnes paternæ hæreditati destinat, & ideò cùm civilibus, tum bellicis artibus per versatissimos magistros imbui curat; omnes denique regio cibo, regio cultu, ac famulatu exornat, & siquem morbo affligi contingat, vitaque periclitari; dolet, timet, præmia medentibus spondet, non curis, non expensis parcit, nihilque non agit, ut laborantem restituat. Quòd si eorum aliquem audiat, defectionem parasse, sibique bellum, ac mortem moliri, ac patriam igne, ferro vastare; non ideò primum in filium rebellem amorem ponit, nec continuò propositum mutat, eum honoribus augendi; sed per Legatos, per epistolas, minis, præmiisque, ac reluctantem armis aggreditur, victumque venia, & amplexu donat. Si verò intelligat, nec oblatam veniam ab eo recipi, nec armis absistere, sed toti Regno perniciem meditari, nullisque rationibus à se, patriaque perdenda compesci posse; tunc enim verò mutato consilio, publicæque quietis causa pertinacem vinciri, ac perpetua custodia claudi jubet; quod nisi faciat, nemo non dicat, Principis partibus defuisse, nec clementem in filium, sed ignavum in Patriam appellet. Ita prorsus in Deo; nisi quòd quæ in hominibus pluribus consiliis, & propositis, ac per intervalla fiunt; in Deo unum consilium, unum propositum, unumque momentum est; sed quod infinitate, ac eminentia perfectionis omnia illa complectitur, quæ modò in Principe diximus. Nam quia anima hominis una, eademque est, non ideò minùs vegetat, & sentit, quàm aliæ, innumeræque plantarum, brutorumque animæ. Et quia æternitas unicum instans est; non ideò minus spatii, minusque temporis occupat, quàm innumeræ annorum, ac sæculorum myriades. Et ut Plinius notat,

notat, Panchios gemma, licèt una sit, non ideò tamen non *ex omnium aliarum gemmarum coloribus constat*: Sic in Deo, non ideò, quia ejus voluntas una, eademque est, non omnes illas Amoris, clementiæ, justitiæque partes complectitur, quas suprà recensuimus. Et quamvis nulla sit in Deo, quippe immutabili, successio cogitationum, ut modò istud, modò re mutata, aliud velit; est tamen ordo, & connexio Decretorum, cùm & ista sit maxima perfectio confusioni opposita: sicut enim, quia Deus est substantia immaterialis, ideò cognoscit, & quia cognoscit, ideò amat; & quia amat, ideò providet: ita quia est infinitè bonus; ideò vult omnibus à se conditis bene, & quia bene vult, vult neminem perire; & quia neminem vult perire, nulli copiosissima ad hunc finem media negat, & quia tandem videt, nolle aliquos oblatis mediis proficere, nullumque delinquendi finem facere; ideò vult punire, ne Justitiæ suæ desit. In quibus omnibus non alternatio, & vicissitudo cogitationum est, sed ut dixi, ordo & connexio, qualis esse in natura simplicissima potest. Vult ergo Deus, quippe omnium Pater, omnes homines salvos esse, vult Regno potiri, vult hæredes scribi, idque amore non qualicunque, sed paterno, hoc est, omnium maximo, ac sincerissimo. Et si qui rebelles evadant, non ideò propositum, & amorem mutat: monet, rogat, invitat, terret, minatur, prosperis, adversis urget, veniam, pacemque offert. Et ecce tibi voluntatem Dei *antecedentem*, seu *propositum amoris*, omnes salvare festinantis. Si verò nihil ista proficiant, peccatore omnem veniam, omnemque gratiam respuente; tunc enim verò succedit *voluntas consequens*, ac propositum *Justitiæ*, quo, ne officio Judicis desit, neque impunitate delicti licentiam delinquendi foveat; rebellem ad pœnam, & supplicium vocat, semper tamen affectu, & charitate Patris nunquam in Filii pœna, etiam criminosi lætantis. Ea ferè ratione, qua videmus, pretiosissimas, & charissimas merces naufragii metu à Domino, & mercatore jactari, invito tamen, & ad singulos jactus plorante. Sic Deus amat, etiam cùm perdit, perdit tamen, ne justitiæ naufragium faciat. Hinc illæ voces: *Heu consolabor super inimicis meis.* Isaia 1. v. 24. *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos*, & *noluisti? Nunc ergo relinquetur Domus vestra deserta.* Matth. 23. Vides hic deserentem, & tamen plorantem; jactat, & gemit; sed hoc amori, illud Justitiæ debet; periret justitia, nisi plecteretur culpa.

Observandum deinde est, posse causam aliquam esse, dicique efficacem, quamvis effectus non sequatur; si videlicet cessatio, & suspensio effectus non ex defectu virtutis in causa, sed aliunde proveniat. Illa enim dicitur causa efficax, quæ omnem, & necessariam virtutem ad ponendum effectum habet: Nemo enim negaverit, solem causam efficacem illuminationis esse, quia nihil ei ad illuminandum, & aerem, & terram deest, ipsoque facto omnia illuminat, nisi nubem, aut velum, aliudve impedimentum opponas, quale opponunt, qui lucenti, & mille radiis ad illuminandum conanti oculos studiosè claudunt; tunc enim cessabit quidem illuminatio, non tamen solis, sed solem impedientis culpa. Aliud ergo est causa efficax, aliud effectrix; ista, quam effectus consequitur; illa quæ omnem necessariam virtutem ad consequendum effectum habet, nisi aliunde impediatur. Item de gratia dicas. Alia effectrix est, quæ voluntatem expugnat; alia efficax, quæ virtutem expugnandi habet, quæque ipso facto voluntates omnium expugnat, quot quot impedimentum nullum ponunt; unde quod una, eademque gratia alium flectat, alium non flectat, non gratiæ, sed voluntatis culpa est: sciendum enim, hanc esse libertatis creatæ naturam, ut quamcunque etiam efficacissimam gratiam possit eludere, cassamque reddere; quod si potest, quid mirum est, si aliquando agat? Sicut enim nulla gratia est, quæ tollat libertatem; ita nulla est, quæ tollat potentiam resistendi; quid ergo novi, absurdique, imò quid non rationi, & experientiæ consentaneum, resistere aliquando illam, quæ semper potest resistere, juxta illud Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis?* Non quòd major sit in voluntate virtutis resistendi, quàm in Deo potentia superandi: sed quòd Deus nolit potentia, sed gratia uti, hoc est, non cogere liberam, sed invitare, ac more nobilis, castique amatoris petere consensum, non rapere. Re igitur sic

explicata, à sacris literis initium ducamus.

II. Primò igitur Beatus Apostolus 1. ad Timoth. 2. ita loquitur. *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes pro omnibus, ut in omni pietate, & honestate vitam geramus; hoc enim bonum, & acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire; unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum Christus IESUS, dans semetipsum redemptionem pro omnibus*. Vides in hac sententia, non semel tantùm, sed sæpiùs, ac repetitis vicibus, Deum omnium salutem velle, Dicit enim Apostolus: *Pro omnibus* orandum esse: Christum *pro omnibus redimendis* sanguinem fudisse: *pro omnibus* curare, ut salvi fiant: *Pro omnibus*, ut ad veram & Christianam Fidem perveniant. Ubi simul adverte, non de justis tantùm, & qui te ipsa salvantur; verùm etiam de iis loqui, qui peccatores, & infideles sunt; nam & pro istis orandum est, & de istis præsertim scribit, Deum velle, ut omnes ab infidelitate ad veram fidem convertantur. Cùm ergo Apostolus de omnibus loquatur, nullumque excludat; cur tu excipias, quos ille non excipit; excludas, quos ille non excludit, sinumque Divinæ Misericordiæ ad paucos constringas, quem ille ad omnes dilatat? Paulus dicit *omnes*: tu dicis, paucos: cui magis credam? Apostolo, an tibi? Nec tantùm id asserit Apostolus, sed etiam duplici ratione probat: quia *unus est Deus, unus est Mediator*: quasi dicat: Si plures essent Dii, pluresque Mediatores; credere aliquis posset, non omnes omnino homines Deo, & Mediatori nostro cordi esse: sicut quia non unus, sed plures in Mundo Principes sunt, quilibet suis, non alienis subditis providet; Rex videlicet Hispaniæ Hispanis, non Gallis: Rex Galliæ, Gallis, non Germanis, aut Indis. Quòd si unus omnium mortalium, idemque Imperator esset, ut olim Romæ; ad illum non unius modò, aut alterius Nationis cura pertineret. Ita cùm Deus sit omnium Dominus, omnium Mediator; non potest non omnibus, quantum ex se est, vitam, & fœlicitatem velle, alioquin partibus suis deesset, sicut deesset Medicus, qui cùm decem ægrotorum curam suscepisset, non omnibus, sed tribus tantùm sanitatem efficaciter cuperet: & Advocatus, cui cùm ex officio octo clientum causæ, & quidem capitales commissæ essent; duos tantùm tueretur, reliquis aut neglectis, aut non seriò, obiterque defensis. Ergo qui omnium Deus & Mediator est, aut oportet officio suo desit, aut omnium salutem, & vitam efficaciter velit. Altera Apostoli ratio est, quia Christus est *omnium Redemptor*, quam paulò post accuratiùs examinabimus.

Ezechielis 33. v. 2. ita loquitur Deus: *Et tu fili hominis dic ad eos: Vivo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat*. Si Deus ne peccatoris quidem mortem, & supplicium, cujus ergo hominis volet? nam si aliquis dignus sit, quem Deus perire velit, is planè peccator erit: Si ergo nec peccatorem perire vult, nec justum; sequitur, ut neminem velit. Peccatum est infinita Dei offensa, quippe infinitæ Majestati facta; & ideò non unam tantùm mortem, unumque infernum, sed mille, & innumeros meretur: Si ergo ne infinita quidem injuria provocari divina voluntas potest, ut mortem, & excidium peccatori velit: sequitur, ejus in peccatores, adeoque in omnes mortales amorem inextinguibilem, insuperabilem esse; sicut insuperabile incendium esset, quod nullius aquis, ne totius quidem maris extingui posset. Ubi etiam observa, patheticam illam, plenamque tenerrimi amoris in Deo loquendi formulam: *Dic ad eos: vivo ego, dicit Dominus &c.* Ubi vides, Deum non velle tantùm impii salutem; verùm etiam id palàm profiteri, suumque propositum solemni juramento firmare, ac per Prophetam peccatoribus insinuatum velle. Quid amabò! est efficaciter velle, si id non est, quod Princeps aliquis & juramento, & publicis tabulis, & misso insuper Legato palàm testatur? Planè qui aliter sentiunt, nesciunt, an ex Deo vero, Deum Mimicum, & scenicum faciant, quales sunt, qui ludi, & animi causâ gestu, habitu, comitatu Reges in theatro se fingunt, cùm tamen nihil minùs, quàm Reges sint. Sed absint hæc ludibria à veracissima illa Majestate, qui nullam causam fingendi habet. Egregiè huc servit, & illa Ecclesiastici sententia cap. 15. v. 2. *Non dixeris*

atris per Deum abest: quæ enim odit, ne feceris, &c. nec enim necessarii sunt ei homines impii. Atqui si Deus voluntate antecedente, & quantùm est ex se, non vult aliquos salvari; plane per eum abest, ne tot millia reproborum salutem consequantur, tam enim consequi eam non possunt, Deo nolente, quàm non potest imago in nuda tabula pingi, nolente Pictore. Nec mihi gratias sufficientes, occultas inspirationes, & alia salutis instrumenta opponas, quæ reprobis dantur; tam enim nihil possunt ad salutem consequendam omnia illa nolente Deo, quàm nihil possunt ad opus faciendum omnia instrumenta cessante artifice. Abest ergo per Deum, si velit quidem te ex fidelibus nasci, Baptismo tingi, veram Fidem doceri, sed nolit salvum esse, sicut per Fabrum abesset, ne domus strueretur, si vellet quidem ligna cædi, saxa conduci, machinas parari, sed nollet domum surgere. Neque dicas, Deum voluntate antecedente, motuque proprio tam multos Regno excludere, ut Justitiam suam ostendat, nam ad hoc quoque respondet Ecclesiasticus: *Non sunt Deo necessarii homines impii*, non sunt necessarii Justitiæ, non sunt necessarii potentiæ, perinde ac si Deo non millia alia Justitiæ suæ declarandæ argumenta superſint, citra tot animarum strages, ac æterna supplicia; perire enim necesse est, si nolit salvare. Deinde officium Justitiæ ad voluntatem non antecedentem, sed consequentem pertinet, cùm delictum supponat. Postquàm enim peccator divinæ voluntati obluctari pergit, nec cedit vocanti misericordiæ, Deus hoc ipsum peccanti malum in magnum bonum convertit, more præstantis Medici, remedium ex veneno parantis; ut in Pharaone monstratum est; sed cùm id totum culpam, & impœnitentiam supponat; nihil ad eam voluntatem primariam, ingenitam, & antecedentem facit, de qua nobis Disputatio.

Sed omnium clarissimè Christus ipse apud Matth. *cap.* 18. ubi cùm proposuisset parabolam Pastoris, qui nonaginta novem ovibus relictis, unicam, quæ erraverat, quæsivit, invenit, succollavit, magisque de illa una, quam perditam repererat, quàm de nonaginta novem aliis nunquam perditis, gavisus fuerat; subjunxit: *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in Cælis est, ut pereat unus*. Sicut ergo Pastoris, non Mercenarii est, ne unam quidem de ovibus suis, etiam minimis perditam velle; ita Redemptoris nostri nullam de animabus à se conditis damnatam velle; nisi forsan major pastori cura de ovibus, quàm Redemptori de Animabus sit; magisque pastor errantem ovem, quàm Deus errantem animam diligat. Si ergo ne unum quidem vult Deus perire, ergo vult omnes non perire, hoc est, salvos esse. Sicut Judex, qui ex mille reis nollet vel unicum supplicio affigi; vellet hoc ipso omnes vivere, veniaque donari. Ubi simul observa efficacissimam, & enixissimam esse hanc de nulla ove perdenda boni Pastoris voluntatem. Si enim non efficaciter vellet, cur peregrè proficiscitur? cur ubique terrarum quærit? cur laborat? cur sudat? cur inventam amplexu stringit? cur humeris imponit? cur viciniam plausu, & tripudiis implet? planè aut nulla voluntas, aut ista efficax dici debet.

Huc quoque efficaciter illa verba Sapientis faciunt cap. 6. v. 8. *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualis est illi cura de omnibus*. Hic Sapiens ex ea ratione, quòd Deus omnium hominum Creator sit, optimè colligit, ergo *omnium æqualiter* curam habere. Non ita quidem, quòd non unum Creator plùs alio diligat, id enim & in naturalibus, & supernaturalibus rebus clarissimè apparet; cum enim amare sit bonum velle, quantò plùs boni uni, quàm alteri confert, tantò Deus magis unum, quàm alium diligit; sed quòd nullum deserat, nullumque, quantum ex se est, abjiciat, velitque perire: In quo eadem omnium creaturarum, & æqualis conditio est. Quò etiam spectant illa Apostoli verba ad Roman. 10. & ad Coloss. 3. *Non enim est distinctio Judæi & Græci, nam idem Dominus omnium.... Induite novum hominem secundum imaginem ejus, qui creavit illum, ubi non est Gentilis, & Judæus, Barbarus, & Scytha, Servus, & liber*. Si ergo neminem deserit, cujus Dominus, & Creator est; Sequitur, ne in illa quidem Prædestinationis causa, quæ omnium maxima est, & ex qua reliqua omnia pendent, nullum omninò deseruisse, nullumque ab efficaci salvandi proposito exclusisse. Si enim tàm multos, imò

longè plurimos exclusisset; non ergo omnes *curavit*. Quis enim dicat, curasse, quos in illa causa omnium præcipua, & infiniti momenti neglexit, exclusit, abjecit? Planè tam non est hoc curare, quàm pater non posset dici, curasse filium, quem nihil mali adhuc meritum domo, & hæreditate paterna spoliasset, aut in flumen causarum tenere noluisset. Et tamen id omninò est, quod facit Deus, si arbitrio suo, nullaque prævisa culpa tam multos adultorum salvare noluit; unde necessariò secutum, ut perirent: jam enim suprà monui, idem in adultis esse non salvari, quod perire, cùm medium non detur in præsenti serie providentiæ supernaturalis, & ideo si unum non est, sequitur necessariò, aliud esse, sicut quia inter vivere, & mori medium non datur, si Deus nolit aliquem vivere, sequitur necessariò, esse moriturum. Rursus, si verum est, quod dicit Apostolus, nullam apud Deum (quantùm videlicet ad salvandi propositum) distinctionem esse Judæi & Græci, Barbari & Scythæ, *quia est Dominus omnium*, & quia omnes *ad imaginem suam condidit*; sequitur ex eadem ratione, & priusquàm culpa aliqua inter reprobos, & electosque distinguat; nullam quoque apud Deum inter reprobos, & electos, inter Paulum, & Judam distinctionem fuisse: sicque omnibus æqualiter salutem optasse. Si enim ideò non distinguit Deus, inter Judæum, & Græcum, inter Barbarum, & Scytham; quia non minùs Græci, quàm Judæi; nec minùs Barbari, quàm Scythæ Dominus est; ergo nec in illo Prædestinationis negotio, quantùm in se est, inter Cain, & Abel, inter Paulum, & Judam distinxit Deus, sed omnibus æqualiter salutem voluit, quia non minùs Caini, quàm Abelis, nec minùs Judæ, quàm Pauli Dominus, & Creator est; nec minùs unus, quàm alter ad ejus imaginem conditus, imò & redemptus. Quantùm ergo ex parte Dei est, non est Barbarus, non est Scytha, non est reprobus, non est damnatus; sed omnes filii, omnes dilecti, omnes chari, sola culpa inter malos, bonosque, inter Electos, rejectosque distinguente: Sicut enim apud homines non potest filius citra culpam, & in ultimis Tabulis à Patre omitti; aut si omittat, querelam Testamenti inofficiosi filius opponet; ita multoque fortiùs apud Deum, ubi longè magis, quàm inhumanis Tribunalibus leges amoris, humanitatis, & clementiæ valent. Hæc ipsa Augustini sententia fuit, cujus perpetua ferè & constans doctrina est; non dari electionem unius præ alio, ubi non sit distantia meritorum, sic enim in Psalm. 45. scribit *Quid est Deus in medio ejus? hoc significat, quod æquus est omnibus Deus, & personas non accipit. Quomodo enim illud, quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines; ita Deus medius esse dicitur, æqualiter omnibus consulens*. Quod intellige de voluntate Dei, quantum ex se est, omnes salvandi; non verò de æqualitate meritorum aut gloriæ; Constat enim, hæc alia, & alia esse, nec minori, quàm in ordine naturali varietate. Qua in re idem dicere liceat, quod olim Hannibali Carthaginensi; Is enim, cùm militem omnium Nationum in Romanos duceret, ut omnes quoque spe præmii ad pugnam, & victoriam accenderet, his verbis teste Plutarcho utebatur: *Carthaginensis mihi erit, quicumque hostem prostraverit*. Ita Deus mortalibus: *Prædestinatus mihi eris quicumque peccatum vicerit*. Idemque Augustinus in expositione quarundam Propositionum ex Epistola ad Roman. cap. 60. scribit? *Quid ergo elegit Deus? Si enim nullo merito; non est electio æquales enim omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omnibus æqualibus electio nominari*. Et lib. 1. ad Semplicianum quæst. 2. *Unde igitur ista electio, vel qualis electio, si nondum natis, nondumque aliquid operatis, nulla sunt momenta meritorum?* Et infra? *Nemo eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Unde, quod dictum est elegit nos Deus ante Mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum, nisi ex præscientia*. Ergo ex hoc Augustini principio, si voluntatem Dei antecedentem consideres, sicut in illa omnes pares sunt, omnes creaturæ, omnes imagines, omnes filii, ita quoque nulla illic Pauli, nulla Judæ distinctio, nulla unius præ alio electio; *(non est, inquit, electio, ubi non est distinctio meritorum)* sed quantùm ex parte Dei est, omnes dilecti, omnes ad vitam æternam, aut aliquid, quod ipsa vita æterna meliùs sit (ut de infantibus Baptismo non tinctis posteà dicemus) desti-

destinati. Si verò voluntatem Dei consequentem, & executricem attendas, hoc est, illam, quæ præscientiam meriti, aut demeriti consequitur, jam incipit in communi illa, parique massa distinctio Pauli, & Judæ esse. Ideò enim Paulus præ Juda electus, quia Paulus vocationi consensurus, Judas dissensurus prævidetur, sicque unus præmio, alter supplicio dignus. Quam rationem eleganti ssimè quoq; S. Ambrosius advertit lib. 1. offic. cap. 13. *Quis operator*, inquit, *negligat operis sui curam? quis deserat, & destituat, quod ipse condendum putavit? nam aliquid non fecisse, nulla injuria fuit, sed non curare, quod feceris, summa inclementia.* Neq; dicas, omnes à Deo curari, quia omnibus media ad salutem procurat; quomodò enim dici possint procurari media ad salutem, nolenti salutem? Planè tàm impossibile est homini salutem adipisci, Deo nolente; quàm impossibile est trunco, statuam fieri, nolente Sculptore. Lusus ergo erit, quidquid tu dicis, DEUM pro salute omnium agere, si non vult omnes salvari, sicut lusus, & pompa fallentis Tyberii erat, cùm currus, commeatus, hospitia, supplicationes, omnia ad iter Romam pararet, sed nollet proficisci. Cætera, quæ de causa infantum, de Esau, & Jacobo in contrarium opponi possent, posteà refutabimus. Verùm quidem est S. Aug. alibi sæpè aliam electionem admittere, quæ *non invenit eligendum, sed facit*: ut videre est *c. 7. de Corrept. & Grat. c. 13. de Prædest. Sanctor. l. 5. contra Julian. c. 3.* Sed ibi loquitur de assumptione, & vocatione ad gratiam supponente jam electionem ad Gloriam, & consequenter aliquam distinctionem. Certum enim est, S. Augustinum cùm aliqua in suis libris retractasset, numquam retractasse, quæ in libris ad Simplicianum de gratia docuerat; imò vehementer ea commendasse, eoque Semipelagianos remisisse *l. 1. de Præd. SS. c. 4.*

III. Nec minùs hanc in rem faciunt illæ sententiæ, quibus Sacræ Litteræ clarissimis verbis docent, Christum pro omnibus mortuum esse; quales sunt ad Rom. 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum.* Et 2. ad Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, non sibi vivant; sed illi, qui pro omnibus mortuus est.* Et 1. ad Tim. 4. *Qui est Salvator omnium hominum, maximè Fidelium.* Et Epist. 1. ad Cor. c. 8. *Peribit infirmus in tua scientia, pro quo mortuus est Christus?* Ubi Apostolus apertissimè supponit, Christum etiam pro *peritutis*, hoc est, pro Reprobis mortuum esse. Et 1. Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Cùm ergo Sacræ Scripturæ toties, ac tàm enixis verbis, Christum pro omnibus mortuum esse testentur; nullibi verò, & nunquam pro aliquibus tantùm; planè temerarius sit, qui id dicat, quod Scriptura non dicit; id verò non dicat, quod Scriptura tàm clarè, ac toties dicit. Si quis Princeps moriturus ultimis Tabulis disponat, ut ex regio, immensoque thesauro, quem hæredi relinquit, omnes totius Regni captivi redimantur, qui triremibus, & servituti addicti sunt; hæres verò non de singulis generum, sed de generibus singulorum; hoc est, non de omnibus, sed de paucis tantùm id intelligi vellet; quis non infidelem, prævaricatorem, hostemque paternæ voluntatis diceret? At quantò id justiùs dicendum de illis erit, qui contra clarissimam Scripturę sententiam Christi Redemptionem angustissimâ faciunt, ejusque infinitum in homines amorem brevissimis terminis coercent, sicque rivum ex pelago faciunt.

IV. Nec alia totius Ecclesiæ, sanctorumque Patrum sententia fuit, quos magno numero proferre in medium liceret, nisi superfluos testes, & importunos crederem in causa tàm manifesta: præsertim cùm nemo aperti ùs, quàm Scripturæ loquantur, unde quibus istæ non sufficiunt, nihil aliud superest, quo persuaderi possint. Unum ergo tantùm, alterumque producam, explicandi potiùs, quàm convincendi causâ. Primus sit S. Prosper Episcopus Regiensis, quo nemo pulchriùs, ac eloquentiùs de gratia scripsit, nemo Augustini mentem meliùs, & intellexit, & exposuit. Sic ergo variis locis loquitur. *Sincerissimè credendum, atq; profitendum est, Deum velle, ut omnes salvi fiant, si quidem Apostolus, cujus ista sententia est; absolutissimè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, ut Deo pro omnibus supplicetur. . . Qui ergo dicit, quòd Deus non vult omnes homines salvos fieri, sed certum numerum*

Prædestinatorum, *is duriùs loquitur, quàm loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui omnes vult salvos fieri, atq; ad agnitionem veritatis venire .... Sive igitur novissima contemplemur sæcula, seu proxima, seu media, rationabiliter, & piè creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperq; voluisse.... & ideò manifestum est, quòd diversis atq; innumeris modis omnes ad se invitet; sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur.... Nulla ergo dubitandi ratio est, JESUM Christum Dominum nostrum pro impiis, & peccatoribus mortuum esse, aquorum numero, si aliquis liber inventus est, non est pro omnibus mortuus Christus; sed prorsus pro omnibus mortuus est.* (a)

S. Leo: *Pro omnibus impiis mortuo Domino, etiam Judas in eo potuisset consequi remedium, si non festinasset ad laqueum.... Dominus enim noster peccati, mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* (b)

S. Ambrosius: *Mysticus ille Sol Justitiæ omnibus ortus est, omnibus passus est, omnibus venit, & omnibus resurrexit.* (c)

S. Augustinus: *Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua. Quæ est æquitas, & veritas? Congregabit secum electos ad judicium; cæteros autem separabit ab invicem; positurus enim est alios ad dexteram, alios ad sinistram; non ergo partem judicabis, quia non partem emit; totum judicare habet, quia pro toto sanguinem dedit.* Et alibi Christum Dominum ita Reprobos alloquentem inducit: *Videte vulnera, quæ infixistis; agnoscite latus, quod pupugistis, quod, & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluisti.* (d) Et lib. de Spir. & litera cap. 33. interrogat: *Cur voluntas credendi, si donum Dei est, non omnibus detur?* Et respondet: *vult quidem Deus omnes homines salvos fieri, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes justissimè judicentur; quod cùm sit, infideles contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt.* Sed de Augustini mente circa hujus sententiæ expositionem pluribus posteà.

Concilium Tridentinum: *Etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen beneficium ejus mortis accipiunt.* (e)

Ipsa denique Ecclesia mentem suam quotannis de hac re publicè profitetur, cùm Deum ita rogat: *Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, & neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veræ fidei redeant unitatem.*

Ex his omnibus palàm est, nullum omninò hominem esse, pro quo Christus passus non sit, & consequenter quem nolit efficaciter quantùm est de se, salvum esse; quæ enim de se efficacior voluntas, quàm cùm aliquid ita optas, ut pro eo consequendo etiam sanguinem, ac vitam impendas? Planè ipso Salvatore teste, *majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Aut quid existimari potest, Deum non esse daturum, postquàm Unigenitum dedit, cujus vita longè pluris, quàm millies mille Paradisi valet. Nolit ergo Paradisum dare, qui voluit Filium? hoc est, negabit obulum, cui donabit thesaurum? Quæ argumentatio non nostra, sed Apostoli est dicentis: *Qui etiam pro nobis Filium suum Unigenitum dedit, quomodò ergo non cùm illo omnia nobis donavit?* Quasi dicat Apostolus: noli timere, ne qui majus voluit, non velit, & minùs: negare nihil potest, postquàm Filium dedit. Quid est Cœlum ad Filium, nisi thronus ad Imperatorem? qui ergo ut regnares, non pepercit Imperatori; quomodò ne pereas, non parcet throno? Si Medicus sanguinem suum omnibus venis profudisset sanando ægroto; quis dubitet,

(a) *Floruit A. 460. In Resp. ad 2. Vicent. Object. & in Resp. ad Object. Gall. sentent. 8. Et lib. 2. cap. 16. & cap. 25. de Vocat. Gent.*

(b) *A. 461. Serm. 11. de Pass. & Serm. 1. de Nativit.*

(c) *A. 397. In Psalm. 118. vers. 64.*

(d) *A. 520. In Psalm. 95. & lib. 2. de Symbolo ad Cathecum.*

(e) *Concilium Trident. Sess. 6. cap. 3.*

tet, non eum ſeriò, efficaciterque ægroti ſanitatem cupere, nihilque de aliis pharmacis omiſſurum, opportunis quidem, ſed multò minoris pretii, nulliuſque Medico damni? Hoc argumentum eleganter inculcat Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 148. *Tales arrhas accepimus; tenemus mortem Chriſti, tenemus Sanguinem Chriſti. Erigat ergo ſe humana fragilitas, non deſperet, non ſe collidat, non ſe avertat, non dicat, non ero beatus. Quid enim tibi promiſit Deus ò homo mortalis? Quòd victurus es in æternum. Non credis? crede, crede: plus eſt jam, quod fecit, quàm quod promiſit. Quid fecit? mortuus eſt pro te. Quid promiſit? quòd vives cum illo. Incredibilius eſt, quòd mortuus ſit æternus, quàm quòd in æternum vivat mortalis. Jam quod incredibilius eſt, tenemus. Si propter homines mortuus eſt Deus, non eſt victurus homo cum Deo?* Planè hæc tàm clara ſunt, tamque omnibus manifeſta, ut, & Lectoris, & cauſæ ipſius injuria ſit, diutiùs immorari, perindè ac ſi clarè videntibus perſuadere multis rationibus velis, nivem candidam eſſe, ſolemq; interdiu lucere.

V. Quòd ſi nihil Scriptura, nihil Patres de hoc Dei omnes homines ſalvandi propoſito loquerentur; idipſum apertiſſima ratio convinceret, & cui nemo niſi expers rationis repugnare poſſit.

Ubi tamen priùs obſerva, ut notavimus ſub initio, duas in Deo eſſe voluntates, *antecedentem* unam, alteram *conſequentem*. Non quòd in divina natura numerum, & multitudinem perfectionum admittamus; ſed quia quæ in Deo unum ſunt, ea ob eminentiam, & infinitatem ſuam pluribus, innumeriſque perfectionibus creatis æquivaleant; & ideò perindè quoad effectum ſe habeant, ac ſi plura eſſent; ſicque à nobis per numerum, & in plurali explicantur, quamvis re ipſa ſint res ſimpliciſſima. Ea ferè ratione, qua dicimus, nummum aureum tres florenos argenteos complecti, non numero, cùm unicus ſit, ſed valore, & pretio. Ita, inquam, duæ ſunt in Deo voluntates. Prima abſoluta, efficax, independenſque ab omni hominum meritò, qua Deus naturaliterque, meroque Bonitatis ſuæ inſtinctu, atque ut ita dicam, *motu proprio* vult omnium hominum ſalutem, æternamque fœlicitatem; & ideò eos creat, eos redimit, & accomodatiſſimis ad hunc finem mediis accingit, aliter tamen, aliterque juxta infinitæ, ac ordinatiſſimæ ſapientiæ ſuæ modum. Et hanc vocamus *voluntatem antecedentem, ſeu voluntatem amoris*, quia nullam aliam cauſam habet, quam, ut dixi, naturalem Bonitatis ſuæ inſtinctum, motumque proprium.

Hæc, inquam, voluntas, quantùm ex parte Dei efficax, & abſoluta eſt. *Efficax*, quia vi hujus voluntatis movetur Deus ad media non tantùm huic fini neceſſaria, & commoda; verùm etiam abundantiſſima, & præſtantiſſima hominibus applicanda, adeò ut ne Unigenito quidem, nec ſanguini, vitaque parcat, quod nemo facit, niſi qui finem flagrantiſſimè, ac efficaciſſimè ex parte ſua cupit. Abſoluta verò hæc ipſa voluntas dicitur; quia licèt Deus *exequi* hanc ſuam voluntatem nolit, niſi homine conſenſum ſuum præbente cùm ſalvare invitum nolit: quòd tamen creaverit, & quòd ideò creaverit; ut æternam vitam adipiſceretur; quodque in hunc finem nobiliſſimis, & validiſſimis mediis inſtruxerit; id totum gratis, totumq; opus ſummi amoris, & bonitatis fuit, nihil homine ipſo ad propoſitum tàm regiæ, ſpontaneæque adoptionis conferente, nullaque ex ejus parte conditione exſpectata. Sicut ſi Princeps juvenem mendicum, ſola miſeratione & pietate commotus, hæredem multis tabulis ſcribat quam tamen hæreditatem ipſo facto conſequi non poſſit, niſi ex natura ipſius Teſtamenti adeat, acceptetque, in hac inquam, hypotheſi voluntas mendicum inſtituendi, pura, abſoluta, mereque gratuita eſt, nihil ad ipſam conferente Mendico, quippe omnium, quæ à Principe fiunt, ignaro. Voluntas tamen ejuſdem Principis, ut actu ipſo hæreditate potiatur, conditionata eſt; quia non vult aliter obtineri, quàm hærede adeunte, & acceptante. Ita in Deo, quod te voluerit condere, voluerit in filium, quantùm eſt de ſe, adoptare, voluerit Regni cœleſtis hæredem eſſe, in eumque finem mille, ac pretioſiſſimi te dotibus, & beneficiis exornaverit; meræ charitatis & miſericordiæ fuit, nihil te, tuiſque meritis adjuvantibus.

tibus. Voluntas verò, qua decrevit, ne hoc ipsum Regnum obtineres, nisi velles, & merereris; quodq; spoliare te illo voluerit, quia prævidit, te operari, & mereri nolle; hæc inquam, voluntas *conditionata*, & *consequens* dici debet, quippe ex prævisa voluntate, arbitrioq; tuo pendens; quod Theologi nostri aliis terminis voluntatem intentivam, & executivam appellant.

Si tu verò solam illam, unicamque voluntatem de se efficacem in Deo dici velis, quæ effectum consequitur; litem quidem de nomine movebis, sed pessimè confusione terminorum rebus ipsis consules; confusis enim terminis, confundi quoq; rem ipsam oportet; ut si equo nomen Aquilæ; aut Romæ nomen Menphis imponas, nemo non inferet; ergo equum alas habere, & Romam Nilo rigari. Voluntas ergo de se efficax illa dicitur, qua quis rem aliquam tàm seriò, impenseque intendit; ut illi consequendæ validissima media, omnesq; officii sui partes impendat, seu deindè effectus sequatur, seu non sequatur; postquam enim omnes suas partes aliquis explevit, nec tamen effectum obtinuit; id non voluntati non ignaviæ cupientis; Sed casui, alterivè impedimento imputari, adscribique debet. Ita in Deo res se habet: Si enim ejus salvandi omnes voluntatem consideres; tàm illa impensa, & eximia est, ut jurejurando protestetur, *se nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat*. Si efficaciam, & abundantiam mediorum spectes, tanta est, ut etiam *proprio Filio non pepercerit, sed pro omnibus tradiderit illum, & cum illo omnia nobis donaverit*. Si denique examines, an omnes numeros, omnesque partes Salvatoris, & Redemptoris expleverit; id tàm plenè, copioseque per actum; ut nihil exigere amplius possis: *quid enim, inquit, debui facere vineæ meæ, & non feci?* quæ cùm ita se habeant, amābò te, quid voluntati divinæ deest, ut quantùm ex se est, efficacissima appellari non debeat? *at effectus cessavit*. Esto; sed efficacia causæ, quantùm est de se, non ex effectu, sed ex conatu, votoq; censetur, ut videlicet adeò velis; vt nihil eorum omittas, quæ fieri debent. Quod si non esset, omnia ferè vitæ Christianæ fundamenta corruent.

Altera voluntas est hypothetica, & conditionata, qua Deus peccatores punire constituit, si gratiis à se copiosissimè oblatis uti nolint, iisque in finem usque pertinacissimè obluctentur. Hæc voluntas, ut monui, conditionata est, quia supponit insuperabilem Peccatorum contumaciam, ac finalem impœnitentiam. Et hanc vocamus voluntatem *consequentem*, seu voluntatem *Justitiæ*, quia non immediatè; motuve proprio à Deo proficiscitur, sed ex Peccatorum protervia, oblatam veniam obstinatissimè recusantium.

Potest utraque hæc in Deo voluntas exemplo clementissimi Principis ostendi. Is cùm plures filios habeat, omnes magno amore complectitur, omnes paternæ hæreditati destinat, & ideò cùm civilibus, tùm bellicis artibus per versatissimos Magistros imbui curat; omnes denique regio cibo, regio cultu, ac famulatu exornat; & si quem morbo affligi contingat, vitaque periclitari; dolet, timet, præmia medentibus spondet; non curis, non expensis parcit, nihilque non agit, ut laborantem restituat. Quod si eorum aliquem audiat, defectionem parasse, sibique bellum, ac mortem moliri, ac patriam igne, ferro vastare; non ideò primum in filium rebellem amorem ponit, nec continuò propositum mutat, eum honoribus augendi; sed per Legatos, per epistolas, minis, præmiisque, ac reluctantem armis aggreditur, victumque venia, & amplexu donat. Si verò intelligat nec oblatam veniam ab eo recipi, nec armis absistere, sed toti Regno perniciem meditari, nullisque rationibus à se, patriaque perdenda compesci posse; tunc enim verò mutato consilio, publicæque quietis causa pertinacem vinciri, ac perpetua custodia claudi jubet; quod nisi faciat, nemo non dicat Principis partibus defuisse, nec clementem in filium, sed ignavum in patriam appellet. Ita prorsus in Deo; nisi quòd quæ in hominibus pluribus consiliis, & propositis, ac per intervalla fiunt; in Deo unum consilium, unum propositum, unumque momentum est; sed quòd infinitate, ac eminentia perfectionis omnia illa complectitur, quæ modò in Principe diximus. Nam quia anima hominis una, eademque est, non ideò minùs vegetat, & sentit, quàm aliæ, innumeræque plantarum, brutorumque animæ. Et quia æternitas unicum instans est; non ideò minùs spatii, minusque

tem-

temporis occupat, quàm innumeræ annorum, ac sæculorum myriades. Et ut Plinius notat lib. 26. cap. 10. Panchios gemma, licèt una sit, non ideò tamen *non ex omnium aliarum gemmarum, coloribus constat*. Sic in Deo, non ideò, quia ejus voluntas una, eademque est, non omnes illas amoris, clementiæ, justitiæque partes complectitur, quas suprà recensuimus. Et quamvis nulla sit in Deo, quippe immutabili, successio cogitationum, ut modò istud, modò re mutata aliud velit, est tamen ordo, & connexio Decretorum, cùm, & ista sit maxima perfectio confusioni opposita. Sicut enim, quia Deus est substantia immaterialis, ideò cognoscit: & quia cognoscit, ideo amat, & quia amat, ideo providet: Ita quia est infinitè bonus, ideo vult omnibus à se conditis bene, & quia bene vult, vult neminem perire, & quia neminem vult perire, nulli copiosissima ad hunc finem media negat, & quia tandem videt, nolle aliquos oblatis mediis proficere, nullumque delinquendi finem facere; ideo vult punire, ne Justitiæ suæ desit. In quibus omnibus non alternatio, & vicissitudo cogitationum est, sed ut dixi, ordo, & connexio, qualis esse in natura simplicissima potest. Vult ergo Deus, quippe omnium Pater, omnes homines salvos esse, vult Regno potiri, vult hæredes scribi, idque amore non qualicumque, sed paterno, hoc est, omnium maximo, ac sincerissimo. Et si qui rebelles evadant; non ideo propositum, & amorem mutat; monet, rogat, invitat, terret, minatur, mittit; prosperis, adversis urget, veniam pacemque offert. Et ecce tibi voluntatem Dei *antecedentem, seu propositum amoris*, omnes salvare festinantis, Si verò nihil ista proficiant, peccatore omnem veniam, omnemque gratiam respuente; tunc enim verò succedit *voluntas consequens*, ac propositum Justitiæ, quo ne officio Judicis desit, neque impunitate delicti licentiam delinquendi foveat; rebellem ad pœnam, & supplicium vocat, semper tamen affectu, & charitate Patris, nunquam in filii pœna, etiam criminosi lætantis. Ea ferè ratione, qua videmus pretiosissimas, & charissimas merces naufragii metu à Domino, & Mercatore jactari, invito tamen, & ad singulos jactus plorante: Sic Deus amat, etiam cùm perdit, perdit tamen, ne Justitiæ naufragium faciat. Hinc illæ voces Isa. 1. vers. 24. Matth. 23. *Heu consolabor super inimicis meis! Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Nunc ergo relinquetur domus vestra deserta*. Vides hic deserentem, & tamen plorantem, jactat, & gemit; sed hoc amori, illud Justitiæ debet; periret Justitia, nisi plecteretur culpa. Re igitur sic explicata, rationes modò audiamus, quibus hæc ipsa, & efficacissima omnes homines salvandi voluntas magis, magisque demonstrabitur. Nam

VI. *Primò*. Deus ex sua natura est infinita Bonitas, infinitus Amor; ergo quantùm ex se est, omnibus bene vult, omnesque amat; & consequenter nullum perire vult; sicque si cui male sit, si quis pereat, id principio omnis mali adscribendum est, quod est peccatum, non principio omnis boni, quod est Deus. Quemadmodum quia Sol ex natura sua lucidissimus est, ideo omnia luce, ac radiis implet, nihil verò tenebris, umbrisque aspergit, & ideo quidquid umbrarum existit, illud non in lucem, non in Solem, sed in corpus opacum luci oppositum referri debet; ita, inquam, Deus, quia infinitus amor est, omnes amat, & quia infinitum bonum est, omnibus bene vult; mala verò aliunde, quàm à bono derivantur. Imò, quod bene observandum est; non solùm natura boni, & amoris est, ut se aliis quovis modo communicet; verùm etiam ut formam adversam expugnet, deleatque repugnantem, sicque non utcumque, sed cum triumpho regnet, hosteque profligato. Quod præsertim locum habet in agente nobilissimo, hoc est, copiosissime bono. Sic videmus, solem non tantùm, ubicumque micuerit, lucem omnibus affundere; verùm etiam tenebras pellere, & quantùm licet, in sui naturam convertere, ut in nube, in iride, in stellis, in auro, gemmisque cernere est, quæ omnia sunt aliqua ipsius Solis imitatio. Ignis quoq; non solùm calefacit, verùm etiam frigore, geluque soluto omnia sibi similia efficit, & in alium ignem convertit. Quòd si aliqua obsistant, nec agenti cedant, ut no-

ut noctua Soli, adamas igni; non ideò tamen negari potest, ignem, & Solem, quantùm in ipsis est, conari, ut dotes, & perfectiones suas etiam resistentibus imprimant. Idem de DEO sentias. Cur enim hunc solùm ab omnium agentium conditione excludas, ut cum omnis causa similitudinem sui affectet, ipse solus aut non velit, aut non possit, qui omnibus dedit, ut vellent, & possent? Vult ergo quantùm in se est, omnes bonos esse, quia ipse bonus est; vult omnes justos esse, quia ipse justus est: vult omnes fœlices, & beatos esse, quia ipse fœlix, & beatus est: & denique vult omnes sibi similes esse, quia id omnibus causis, ac præsertim præstantissimæ, & nobilissimæ ingenitum, & naturale est; nec ipsa Beatitudo (quæ est omnium operum DEI ultimus finis) aliud erit, quàm perfectissima creaturæ cum Creatore similitudo, juxta illud Joannis: *Similis ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est*. Majus ergo prodigium esset, Deum optimum, & fœlicissimum nolle, quantùm in se est, aliquos fœlices esse, quàm Solem sui exortu alicubi noctem efficere, ignem paleæ adjectum alicubi gelu, non flammas excitare.

Hinc Stoicorum hallucinatio ostenditur, dicentium: Deum, cùm nullius creaturæ indigeat, sibique sufficiat; nulli quoque diligendæ obstringi, sed pro arbitrio, ut supremum in eas dominium ostentet, negligere, persequi, ac perdere eas posse, ut aucupes, & venatores cum feris, cum præda solent. Verùm qui sic philosophantur. Tiberium aliquem, aut Neronem Dei nomine intelligunt, quibus nullum majus potentiæ, & majestatis argumentum videbatur, quàm per strages, & supplicia in cives grassari. Perinde ac si nulla alia Deo ratio supersit, potentiam, & dominatum suum in homines comprobandi, quàm illos perdendo, Domitiani Cæsaris exemplo, muscas animi causa auro stylo figentis. At verò quàm non est Imperatoris muscas persequi, tàm non est Dei, homines perimere; quid enim aliud est homo ad Deum, quàm musca ad Imperatorem? Nihil ergo ad potentiam Dei muscarum strages. Quòd si talis esset Deus noster, qualem isti concipiunt, meritò opponi ei posset, quod olim Arminius Germanico Cæsari, cùm ingentibus copiis cinctus, uxorem abduxisset: *Egregium patrem! Magnum Imperatorem! Fortem exercitum! Quorum tot manus unam mulierculam abduxere.* (a) Non ergo potentiæ argumentum est, perdere animas, sed servare; sicut nec præstantissimi artificis frangere crystallum, sed sculpere: nec eximii pictoris delere imaginem, sed pingere. Et ideò optimè dicit Sapiens: *Misereris omnium Domine, quia omnia potes*. Vides, ubi posuit potentiam? Non in vindicta, non in suppliciis, sed in venia, & in clementia. Imò, ut notat Aristoteles: lib. 2. Rhet. *Maximè ob imbecillitatem nascitur ira.* Et ideò mansuescere Leones, ac Elephantes videmus, nunquam tamen mures, & vespas. *Sunt leges*, inquit Ambrosius, lib. 5. Hexam. caput 21. *Non scriptæ litteris, sed moribus impressæ, ut leniores ad puniendum sint, qui maxima potestate funguntur*. Et Sanctus Hieronymus in Isajam cap. 28. *Non est opus Domini perdere, quos creavit: & punire peccantes peregrinum, & alienum ab eo, qui Salvator est*. Nec minùs eleganter Sanctus Augustinus Serm. 109. de Temp. *Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire, quos emit, nec enim emit, quos perdat, sed emit, quos vivificet*. Falsissimum ergo est, ideò Deum salvari aliquos nolle, ut appareat, Dominus esse; cùm potiùs dominii, & potentiæ argumentum sit, parcere, servare, cùm possis delere. *At*, inquiunt. *Deus nullius creaturæ indiget, & ideò non tenetur amare*. Imò quia non indiget, ideò amat; si enim amaret, quia indigeret, non is amor, sed quæstus, & paupertas esset. Tria ergo sunt, quæ Deum ad amandos homines provocant. *Primò*, infinita illius perfectio: Bonitatis enim proprietas est, se aliis quoque, utcunque capaces sint, communicare, more videlicet amnis, qui si modicus sit, intra ripas, & alveum fluit; si plenius, redundat, & omnia, quæ circumalluit, gramine, ac floribus vestit. Quàm ergo Deus non potest non bonus, ac optimus esse; tàm non potest non homines ama-

(a) *Tacitus lib. 1. Annal.*

amare. Necessitas ergo homines amandi, non in homine, sed in ipsa Dei natura principium, ac fontem habet; & ideò perpetua, & universalis est. Quam rationem S. Thomas 1. contra Gentes cap. 73. his verbis expressit: *DEUS solus est maximè liberalis quia non communicat, & tribuit, ut aliquid sibi accrescat; sed quia ipsum communicari est sibi conveniens, tanquam fonti Bonitatis.* *Deinde* cùm homo sit opus, & factura Dei, non potest Deus non amare; quod ipse fecit, alioquin in artificis contemptum cederet odium operis; quantoque præstantius opus, ac majoris pretii; tantò major amandi illud, & conservandi cupiditas, tantoque si projicias, aut inter vilia reponas, major Auctoris injuria: quidquid enim contra tabulam, contra domum, contra statuam dixeris, id totum in pictorem, architectum, sculptoremque redundat. Hinc etiam tanta parentum in partus suos dilectio, & cura; nec hominibus tantùm; sed brutis etiam, ac rebus inanimatis impressa: quanta in parandis nidis, ciboque pullis quærendo volucrum solertia? Pelicanus sanguine pascit: Aquila opposito corpore à telis venantium tuetur: Ursi, Leones, Tigrides in ferrum, & mortem ruunt, ut catulos servent. Amant etiam Dracones, & Basilisci, quæ genuerunt. Denique nihil tam barbarum, tam sævum, tam rationis, vitæque expers, quod non suorum amore tangatur. Deus ergo, qui hunc ipsum amandi impetum rebus omnibus impressit; ipse solus non amabit, quæ fecit? Ipse omnium artificum, omniumque parentum solus erit, qui operibus, qui filiis suis excidium malit, quàm vitam? Eum solum & Dracones, & Basilisci amore superabunt? Planè indigna sunt ista, quæ de Deo omnium Opifice, omniumque parentum optimo vel cogite & tur. Amat ergo, & flagrantissimè amat, quia Pater, quia Conditor, quia odium, & contemptus operis in ipsum Auctorem rediret; sicq; quam non potest se ipsum, tam non potest opera sua non amasse. Hanc rationem optimè Sapiens expressit: 11. vers. 25. & 27. *Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti; nec enim odiens aliquid fecisti, aut constituisti; parcis enim omnibus, quia tua sunt Domine, qui amas animas.* Vides hic iterum, nihil excipi, nihil excludi, sed omnia diligi; diligi verò, quia Dei sunt opera. Et simul observa, hæc non de electis, sed de reprobis, Pharaone videlicet, ejusque infidelibus populis dicta esse. Si ergo diligit Deus omnes homines, ergo salvari vult omnes, nullumque perire; amoris enim est, amato bene velle, malumque nolle. Sciendum quoque est, hominem non qualecumque Dei opus, sed imaginem esse; imaginem verò non penicillo, non auro, non minio, aut Appellis arte, sed Dei ipsius manu confectam, & in cujus anima longè vivaciùs Dei facies, ac pulchritudo efflorescit, quàm Solis in Iride, & Narcissi in fonte, limpidaq; crystallo. Nullus autem odisse, aut aversari potest imaginem ejus, quem amat; imò quò major dilectio, tantò impensius amplexu, osculoque imaginis delectatur, nec satiari aspectu potest. Quòd si ex adverso imaginem conspuat, aut contumeliis afficiat, signum id odii est, & contemptus in personam revolvitur; unde Senator Romanus capitis damnatus est, quòd manum annulo, signoque Tiberii Cæsaris insignem ad servilia protulisset. Cùm ergo Deus seipsum infinito amore prosequatur, imaginem sui, hoc est hominem odisse non potest; aut si illum odio, & contemptui haberet, id ipsum in eum redundaret, cujus homo effigies, & adumbratio est. Hoc ipsum insinuant illa Sapientis verba 12. vers. 18. *Tu enim dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos.* Reverentia inferioris est ad Superiorem, aut paris ad parem: undè ergò Deo in creaturas, tantæ Majestati in ancillam reverentia, nisi quia Dei imaginem gestat, imago verò, nomenque Principis non auro tantùm, aut gemmis (ut olim Alexander sculpi se jusserat) verùm etiam ceræ, & plumbo incisa fidem, ac honorem merentur; nec Augusti Legatum privata conditio venerabilem facit, sed quòd Cæsarem referat.

Deniq; præcipuum amandi homines incentivum sanguis, ac merita Redemptoris sunt. Postquam enim Christus humanam naturam induit, ac pro omnibus hominibus, nemine excepto, sanguinem fudit, Deus non utcumque, ac ut puram

natu-

naturam hominis animam intuetur, sed ut Filii sui sanguine redemptam, ejusque meritis dotatam, ac regni cœlesti hæredem constitutam; sicque licèt propria conditione sordidam, ac peccatricem, divinique amoris indignam; tanti tamen Advocati, & Mediatoris patrocinio insignem. Amat ergo illam non proprio, sed Mediatoris merito; nec quia dignam infinito Amatore, sed quia Filio, quem infinite diligit, commendatam; ita videlicet, ut tota ratio hominem diligendi non sit meritum, aut conditio Dei, sed interpellatio, & Majestas Advocati. Quis enim tàm grandis latro, & tàm supplicio dignus, quem Judex non absolvat, si pro Advocato Cæsarem habeat? Ita inquit S. Joannes 1. cap. 2. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum justum, & ipse propitiatio est pro peccatis nostris: & non tantùm pro nostris, sed etiam pro totius Mundi*. Vides, non aliquorum, non paucorum, non Electorem tantùm, sed omnium Advocatum. Sicut ergo nemo tàm peccator, nemo tàm reprobus est, cujus causam non Unigenitus Dei susceperit; ita quoque nemo est, qui sperare veniam non debeat, quique à Deo non ardentissimè diligatur, nullo quidem merito suo, sed magno Mediatoris patrocinio. Neroni in speculo, quod ex Smaragdo confecerat, Gladiatores spectanti, etiam vulnera, & sanguis in theatro pugnantium florida, ac speciosa videbantur, non quòd talia essent, sed quòd talia in Smaragdo viderentur: Ita nemo peccator tàm sordidus, nemo tàm saucius, qui non aliquid habeat, quod vehementer ametur, si Deus illum non in se ipso, sed in gemma; hoc est, in Redemptore consideret.

Ergo, inquies, *Deus necessariò hominem amat, hoc est umbram, folium, guttam, meramq; vanitatem; Atqui hoc indignum tanta Majestate, perinde ac si Rex aliquis ad caulam, hortumq; colendum se demittat, aut amore ardeat vilissimæ, ac rusticæ Virginis, quæ nihil habeat, quod cum forma, ac dignitate amantis comparari possit*. *Resp*. Homines à Deo, & liberè, & necessariò amari. Liberè, quia potest creare, aut non creare; necessariò, quia postquàm creavit, fieri nequit, ut non amet, cùm amare sit velle bonum: primum autem, maximumque bonum, & reliquorum omnium fundamentum est, *esse*; diligit ergo Deus, quoties dat *esse*, quæ tamen necessitas, cùm sit hypothetica, & consequens voluntatem, nihil obstat libertati. *Deinde* diligit Deus homines, quatenus aliquid sunt Dei, ut suprà docuimus, sicq; non eorum pretio, sed intuitu, ac meritò sui: Neque id infinitam ejus magnitudinem dedecet: dedeceret enim, si amando creaturas aliquid commodi ab istis reciperet, aut earum pulchritudine raperetur, ut homines solent, id enim ad indigentiam, & cupiditatem pertinet. At Deus non supponit bonum, aut pulchrum, sed facit; nec in creaturis amat, quod est creaturæ, se quod est suum: sicut cùm Pontificis imaginem in tela venerаris, nihil indignum homine, aut præstantia tua facis, licèt enim multò imagine nobilior, quia tamen non telam, non colores, sed Pontificem in signo, ac imagine colis; ideò nemo id obsequium vitio vertet, imò verteret, si omitteres. Sic Deus nihil in homine amat, nisi opus, ac imaginem suam, hoc est, se ipsum in speculo, & radio expressum. Si ergo, ut ostensum est, Deus omnes homines amat, sequitur, ut omnes quoque, quantùm ex se est, salvos, ac fœlices esse velit: hoc enim est amare, amato bene velle, malumque nolle.

VII. *Secundò*. Cùm dicis, Deum aliquos tantùm, non omnes salvos esse velle, sicque voluntate propria, nulloque ad culpam respectu alios ad æternam vitam destinare, alios excludere, quæro, cui Dei attributo hanc exclusionem adscribas? nihil enim in creatis est, quod non in aliquam Dei perfectionem derivetur. Quòd creavit; *Potentiæ, & amoris est*: quòd vestit, & nutrit; *Providentiæ*: quòd parcit; *Misericordiæ*: quòd donat; *Liberalitatis*: quòd punit; *Justitiæ*: quòd in amorem sui rapit; *infinitæ pulchritudinis*: denique nihil isthuc derivatur, quod non fontem, & venam habeat in aliqua perfectione, Denique attributo. Quæro ergo; cui causæ, cui attributo referas voluntatem illam insuperabilem tot millia æterna fœlicitate excludendi *Amori*? At amantis est, velle alteri bonum;

non

non nolle. *Misericordiæ?* At miserentis non est, veniam negare, sed dare. *Potentiæ?* At, ut suprà monstravimus, potentis est opus struere, non demoliri. *Justitiæ?* At Justitia supponit culpam, & causam priùs in delicto, quàm in voluntate Dei, ac vindicta Judicis habet; si ergo Deus eos tantùm exclusit, quos reos prævidit, quique perire, quàm renunciare delicto maluerunt, jam ad voluntatem *consequentem*, non *antecedentem* pertinet, sicque non in bonam Dei, sed in malam hominis voluntatem referri debet, Deo vitam, sed peccatore mortem, ac supplicium eligente. Nihil ergo est in Deo, cui possis hanc primam voluntatem non omnes salvandi attribuere. Frustra nodum in scirpo, & fulmen in hac Iride quæris: non est indoles summi Boni, velle homini summum malum.

VIII. *Tertiò.* Nemo quàm plurima, & opportunissima ad consequendum finem media adhibet, si finem ipsum non velit; id enim amentis esset, aut alios ludere volentis. Quis enim balnea, sectiones, inediam, aliasque medicinas admittat, qui sanitatem nolit? Quis vineam plantat, colit, putat, depampinatque, ea voluntate, ut vindemiam non colligat, aut etiam incendat? Quis venatur, piscatur, si prædam nolit? Cùm ergo Deus non Electis tantùm, sed Reprobis etiam pretiosissima, ac ferè innumera media paraverit, mandata videlicet, internas, externasque inspirationes, Angelicam custodiam, ac quod præcipuum est, sanguinem, mortemque suam, qui, inquam, hæc media omnibus voluit, ac etiam dedit, qui potuit finem ipsum noluisse? quorsum tot pharmaca, & tanto pretio confecta, si noluit sanari? quorsum tot vela, tot remi, & tam longa navigatio, si noluit ad portum appelli? planè nihil aliud hoc esset, quàm oleum, & operam perdere. Cumque nihil simile in operibus naturæ, imò ne in hominum quidem quibuscumque negotiis videre sit, sacrilegum foret, in operibus gratiæ, tantò illis superioribus, tantique momenti de Deo hunc ludum, & larvam suspicari.

IX. *Quartò.* Idipsum efficacissimè ostenditur, si illa consideres, quæ immediatè à divina voluntate proveniunt, citraque hominis arbitrium: hæc enim omnia, quia solius Dei sunt, ordinatissimè nulloque errore ad fines suos diriguntur. Nunquam Sol suum cursum abrumpit, aut Ecclypticam exit; Nunquam Luna suum orbem non implet; Nunquam flumina aliò, quàm in mare volvuntur, nec alibi finem currendi faciunt; Nihil deest avibus ad volandum; nihil piscibus ad natandum; nihil Aquilæ ad prædam faciendam. Et bruta omnia, quamvis esuriant, & ament, nihil tamen est, quod in eorum epulis, & conjugiis vitium imitetur. Et quamvis monstra subinde, aut prodigia contra communes leges eveniant; ea & rarissima sunt, & serviunt homini, qui finis est omnium ratione carentium. Verbo quidquid immediatè à Deo est, finem suum consequitur. Ergò, multoque magis, quantùm ex parte divinæ voluntatis est, omnes homines, modò ratione polleant (nec enim de infantibus modò loquimur) ad finem suum, hoc est, Dei possessionem diriguntur, quem nisi assequantur, non hæc Dei semper metam ferientis, sed hominis culpa est. Cur enim Deus, quantùm in se est, in solo homine operum suorum nobilissimo finem hominis nolit, & tot monstra, quot damnatos, & peccatores pariat?

X. Si Deus, quantùm est ex se, nulloque ad culpas hominum respectu, non vult omnes salvos, sed quàm plurimos Cœli, ac Redemptionis suæ expertes esse; ergo non constat, Deum mihi Cœlum parasse, mihi quoque redimendo passum, ac mortuum esse; imò suspicari meritò possim, me de illorum esse numero, quos voto, ac sponte sua Cœlo inter tam multos excludit. Quod si ita est, cadunt totius vitæ Christianæ præcipua fundamenta, spes videlicet, & amor: præcipua enim amandi, sperandique ratio est, quia *prior dilexit*, quia *Filium suum unigenitum tradidit*; at non constat, quòd me quoque dilexerit, & quòd pro me Filium quoque tradiderit. Quomodò ergo ut Redemptorem amabo, quem ignoro, an Redemptor meus sit? Quomodò in merita, mortemque tradiderit illius sperabo, quem nescio, an mihi quoque meritus, mihi mortuus sit? Planè ut nemo tenetur Navarchum eligere, ejusque fidei vitam suam committere, quem nescit, an navigandi peritus sit, & de quò meritò dubitat, velit in

lit in portum ducere, an potiùs in scopulum, desertamque insulam exponere; ita nemo tenetur in Redemptorem sperare, si nesciat, suum quoque Redemptorem esse, ac seriam, & efficacem voluntatem se quoque salvandi habere; at scire non potest, si non omnes voluit, si non omnes redemit. Adde, neminem sperare aliquid posse, qui plures non sperandi, quàm sperandi rationes habet; tunc enim validior, majorque metus minorem fiduciam vincit. Atqui nisi Deus, quàntùm ex se est, velit efficaciter omnes salvos, omnes sanguinis sui participes esse, sed quàmplurimos sponte sua Coelo exclusit; sequitur, plura mihi fundamenta non sperandi, quàm sperandi in Redemptorem suppetere; cùm enim plures sint relicti, quàm electi; plures quoque sunt, qui exemplo suo ad non sperandum, quàm sperandum invitant, quot enim relicti, tot sunt non sperandi argumenta. Quomodò ergo sperare in Redemptorem jubes, cùm plura non sperandi incentiva occurrant, omnemque fiduciam extinguant? Fracta est anchora, paratumque naufragium, si vera sunt, quæ dicis. At vera esse non possunt, quia cum Scripturis, cum Religione, cum Christianæ vitæ principiis, cum morum honestate pugnantia: quem enim non pigebit, Christianum, & innocentem esse, spe omni sublata?

XI. Restat, ut Sanctorum quoque Augustini, & Thomæ de hac re sententiam rogemus. Cùm enim, quoties de Prædestinatione agitur, præcipuam isti paginam faciant, fidemque mereantur, semper deinceps eorum testimoniis, & authoritate causam nostram armabimus, sic enim istorum accessu nulla ratio dubitandi supererit.

Sanctus Augustinus de Spiritu, & littera cap. 3. *Vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis liberum adimat arbitrium, quo benè, vel malè utentes justissimè judicentur; quod cùm sit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt, nec ideò tamen eam vincunt, verùm se ipsos fraudant magno, & summo bono, malisque pænalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita Dei voluntas semper invicta est, vinceretur autem, si ullo modo possent evadere, quod talibus ille constituit. Qui enim dicit v. g. volo, ut omnes servi mei operentur in vinea, & post laborem quiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat: videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere; sed tunc eam vincet, si & pistrinum contemnens evaserit, quod nullo modo fieri potest sub Domini potestate. Ille igitur reus erit ad damnationem sub potestate ejus, quò contempserit ad credendum misericordiam ejus.* Tria hic docet Augustinus. *Primò*, velle Deum, omnes homines salvos fieri, neque Prædestinatos tantùm, sed etiam Reprobos, nam de Reprobis tantùm dici potest, *quòd contra voluntatem Dei faciant, cùm ejus Evangelio non credunt, & se ipsos magno, & summo bono defraudent. Secundò*, Quod si aliqui non salventur, id non Deo, sed *libero arbitrio* tribuendum, quo *male utentes justissimè judicentur. Tertiò*, nec ideò tamen vinci, frustrarique Dei voluntatem posse, cùm illa semper aut obedientes coronando impleatur, aut rebelles puniendo; sicq; semper in Deo voluntatem salvandi præcedere, sequi verò voluntatem perdendi.

Idem Augustinus quàm plurimis locis, præsertim verò in responso ad articulos sibi falsò impositos, art. 7. & art. 14. eam sententiam pro certissima inculcat, repetitque, *Deum neminem deserere, antequam deseratur.* Atqui hæc regula Augustini falsissima est, si Deus ab æterno, ac propria voluntate, nullaque ne prævisa quidem culpa voluisset tam multos non salvari: quæ enim major, & antiquior desertio fingi potest, quàm ab æterno nolle certò perituros, ne pereant, tenere?

Aliud quoque insigne Augustini testimonium est lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. ubi sic loquitur: *Cùm voluntate humanæ gratia adjuvante divina sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillimè, & verissimè respondere, quia homines nolunt. Sed si ex me quæritur, quare nolint? imus in longum. Verumtamen etiam hoc sine præjudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam. Nolunt homines facere, quod justum, sive quia latet, an justum sit, sive quia non delectat: Tantò enim quidquàm vehementiùs volu-*

volumus, quantò certiùs, quàm bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur, & infirmitas vitia, sunt, quę impediunt voluntatem, ne moveamur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat gratia Dei est, qua, ut homines non adjuventur, in ipsis causa est, non in Deo. Quæ verba allegat, S. Fulgentius lib. 1, ad Monimum: *In istis*, inquit, *Augustini dictis attende quæso mi charissimè, primùm, quia ut homines non adjuventur à Deo, in ipsis causa esse dicitur, non in Deo.* Quid clarius dici potest? Vult salvare, vult juvare etiam eos, qui salvari, & juvari nolunt, ergo Deus, quantùm est ex se, neminem à salute excludit, ergo includit omnes; nec Prædestinatos tantùm, verùm etiam Reprobos, isti enim sunt, non illi, per quos stat, ne juventur.

Et iterum Tract. 12. in Joan. circa finem in ea verba: *Non enim misit Deus filium suum, ut judicet Mundum, sed ut salvetur Mundus per eum: Ergo*, inquit, *quantùm in Medico est sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta Medici observare non vult. Venit Salvator ad Mundum; quare Salvator dictus est Mundi; nisi ut salvet Mundum, non ut judicet Mundum? Salvari non vis ab ipso? ex te ipso judicaberis.* Plura notatu dignissima hic docet Augustinus. *Primò*, Velle Deum omnes, etiam reprobos salvos fieri; reprobi enim soli sunt, *qui se ipsos interimunt, qui præcepta Medici observare nolunt, qui salvari recusant. Secundò*, Nec utcumque, sed efficaciter, & impensissimè hanc ipsam omnium salutem velle Deum: Ille enim efficaciter vult, qui facit, quantùm in se est, & cui imputari non potest, si ex voto res non succedat; atqui juxta Augustinum, *Deus quantùm in se est sanare venit ægrotum*, qui si non sanatur, ideò est, *quia sanari non vult. Tertiò*, Quod ex antecedentibus sequitur, nihil ex parte Dei ad omnium salutem deesse, & consequenter in Decreto Prædestinationis neminem ab æterna gloria, quantùm in Deo est, fuisse exclusum (alioquin si Deus ante omne prævisum demeritum exclusisset aliquos, istis ex parte Dei, nimiùm quantum ad salutem defuisset, videlicet voluntas Dei eos salvandi) sicque qui exclusi sunt, non Deo, sed prævisis demeritis, culpisque suis hæc exclusionem debere.

Idem Augustinus rem totam eleganti similitudine illustrat in Psalm. 63. ad finem; Ubi: *quod pluit in agrum uberem, dulce est, & quod pluit in agrum spinosum, dulce est, numquid pluviam accusas, quòd spinas genuerit? nonne erit pluvia illa testis in judicio Dei, & dicet: ego dulcis super omnia veni: Tu ergo quid proferas vide, ut quid tibi paretur, attendas. Profers frumentum? horreum spera. Profers spinas, ignem time. Sed nondum venit aut tempus horrei, aut tempus ignis. Numquid consilii corrigendi, & mutandæ vitæ malæ in bonam non est tempus? non est locus? nonne si vis, hodie fit? nonne si vis, modò fit? quid empturus es, ut facias quæ emplastra quæsiturus? ad quos Indos navigaturus? quam navim paraturus? ecce dum loquor, muta cor, & factum est.* Et iterum in Psalm. 101. *Sanabit te Christus, sed opus est, ut sanari velis. Sanat omninò ille quidem, sed non sanat invitum. Quid enim in te beatiùs, quàm ut tanquam, in manu tua vitam, sic in voluntate tua habeas sanitatem.* Hic iterum multa dicit Augustinus, quæ ad causam nostram muniendam mirificè faciunt. *Primò*, enim docet, divinam gratiam instar *pluviæ dulcis super omnia venire*, hoc est, omnibus dari, bonis videlicet agris, & malis, fœcundis, & sterilibus, electis, & reprobis; sicque Deum, quantùm ex se est, omnibus salutem velle, ideò enim omnibus dat gratiam, qua salventur, sicut cœlum ideò omnibus pluit, ut omnibus prosit. *Secundò*, quòd verò alius ager proferat frumentum ad horreum, alius spinas ad ignem, id non pluviæ, quæ omnibus dulcis est, adscribendum, sed bonæ, aut malæ agrorum glebæ. Ita quòd alii benè, alii malè operentur, sicque quòd alii sint electi ad cœlum, velut frumentum ad horreum, alii verò sint reprobi, velut spinæ ad ignem, id non cœlo, non pluviæ, hoc est, non Dei, non gratiæ defectum, sed peccatorum esse. Quæ omnia falsa sunt, si Deus non vult omnes salvos esse, id enim perinde esset, ac si cœlum in frumenta tantùm, non etiam in spinas plueret. Et quòd plures cœlo, ac salute careant, non penès peccatores tantùm, sed

maximè penès Deum defectus esset. Quis enim major defectus, majusque impedimentum ad opus esse potest, quam nolle artificem? Nec posset Deus in extremo judicio dicere peccatoribus: *Ego dulcis super omnia veni*: possent enim respondere, non fuisse omnibus dulcem, qui noluit omnium misereri, sed misereri tantùm eorum, quos sponte ad Regnum elegit; non verò illorum, quos sponte proscripsit. *Tertiò*, docet Augustinus, in omnium potestate, ac arbitrio esse, ut vitam suam quovis momento corrigant, mutentque in aliam: *ecce*, inquit, *dum loquor, muta cor, & factum est*: atqui hoc verum non est, nisi ex parte Dei nihil desit, quod ad opus faciendum desiderari possit: Nam si illam vacuam tantùm gratiam sufficientem admittas, cum qua nemo operatur, aut saltem in finem usque perseverat, quomodo sperare possim, me cor mutaturum cum ea gratia, cum qua jam à quinquies mille annis, nemo unquam cor mutavit, nemo mutaturus est? Ergo sperabo, futurum mihi, quod nemini hactenus factum est, nemini fiet? Vota ista, & spes sunt dormientium, non vigilantium. *Quartò* alia Medici similitudine utitur Augustinus, eaque probat, nullum penitus esse, quem Deus sanare non velit, quòd si aliqui non sanentur, non ideo esse, quod Deus nolit; sed quòd ipsi non velint: *sanas omnino quemlibet, sed non sanas invitum*. Ubi vides, loqui Augustinum de voluntate salvandi etiam reprobos, isti enim sunt, qui sanari nolunt. *Quintò addit* denique Augustinus, salutem, vitamque æternam *in manu ac potestate nostra esse*. At falsissimum id est, si salvari Deus aliquos nolit: tam enim in manu mea, non est, salutem, Regnumque æternum adipisci, Deo non eligente, quàm non est in manu, & arbitrio meo Episcopum fieri, non eligente Capitulo. Imò hoc magis, quàm illud sperari possit; potest enim voluntas Capituli aut mutari, aut vinci, non potest voluntas Dei. *Neque dicas*, velle quidem Deum salvari omnes, sed voluntate simpliciter inefficaci: Jam enim id suprà refutavimus, quando probatum est, voluntatem sic inefficacem repugnare officio Patris, ac Redemptoris, repugnare tot illis remediis, ac modis, quibus Deus salutem hominis procurat, repugnare communi hominum sensui, qui cùm inefficaciter aliquid volunt, nihil eorum agunt, quæ pro salute hominum agit Deus, repugnare etiam menti, ac doctrinæ Augustini: Si enim Deus, quantùm ex se est, & ante prævisam omnem culpam vult efficaciter me non esse ex numero Electorum, sequitur, ex parte Dei insuperabile consequendæ saluti impedimentum poni, omnemque potestatem ad eam adspirandi adeptam esse, quæ tamen omnia è diametro adversantur Augustino, ut modò probatum est. Repugnat denique rectæ rationi: cùm enim dicis, velle Deum salutem omnium, sed inefficaciter tantùm, quæro ex te, unde hæc inefficacia, languorque voluntatis proveniat? ex culpa peccatoris? at dicis, præcedere omnem culpam etiam prævisam: ex imperfectione hominis, qui nihil habeat, quod possit divinam voluntatem ad efficaciter amandum provocare? At Dei amor non pendet ex objecto, & bonitate creata, nec supponit bonum, sed facit. *Deinde*, homo qua filius, & imago divinæ pulchritudinis, satis habet, quo amari efficaciter & possit, & debeat, ut suprà ostensum. An verò hanc inefficaciam divinæ voluntati adscribes? atqui hoc absurdissimum est, cùm enim divina voluntas infinitæ activitatis, & potentiæ sit, tam ex illa non potest esse inefficacia, quàm non potest ex calore gelu, ex pulchritudine odium, aut ex magnis viribus, magnoque impetu, torpor, & imbecillitas nasci. An verò dicendum est, hanc inefficaciam ex arbitrio, & libertate Dei proficisci? At Deus licet amare possit hominem, vel non amare, postquam tamen illum ut imaginem condidit, tam non potest ampliùs non amare, quàm non potest non stare pollicitis, postquàm semel promisit. Quæ necessitas cùm sit hypothetica, & ab ipsa voluntate originem ducat, non minuit, sed auget libertatem, Ut taceam; nihil posse à divino, infinitoque amore alienius dici, quàm voluisse non unius, aut alterius hominis, sed tot myriadum ruina libertatem suam experiri. Quasi verò defuissent alia, & innoxia probandæ libertati suæ argumenta, qualia essent, cœlum, stellas, elementa, mundumque universum momento delere, & alium struere,

Rursus

Rursus idem Augustinus lib. 6. Hypognosticon hæc habet? *In quantum possumus, omnes homines ad bonum exhortemur; nulli desperationem demus, pro invicem oremus: ipsius erit potestatis, judicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam indebitam Prædestinationis prorogare*. Observa, tantùm ex sententia Augustini à Deo abesse, ut aliquem voluntate antecedente, ac sponte sua salvum nolit, ut potiùs paratus sit, etiam eos, in quos sententiam damnationis tulit, in gratiam, ac numerum prædestinatorum recipere, si vitam mutent, & peccatis absistant. Scio equidem, ab eruditis dubitari, an hic liber Augustini sit, sed tamen Doctores, qui notas editioni Lugdunensi addiderunt, ad finem hujus libri hæc habent: *Hujus operis non meminit Augustinus in Catalogo suarum lucubrationum, sed omnia sic referunt ingenium illius, ut de auctore nihil sit dubitandum*. Et initio ejusdem operis: *Hic liber videtur esse hominis eruditi, facundique, quique, quæ sparsim ab Augustino disserta sunt contra Pelagianos, studuis in unum contrahere*. Ipse Bellarminus: *Libri*, inquit, *Hypognosticon eruditi sunt, & utiles, & vetusti Auctoris*. Sed quidquid de hoc libro dicatur, certum est, nec dubitari ab ullo potest, hanc esse Augustini sententiam: eam enim in sermonibus de tempore clarissimè docet. Cùm enim serm. 109. multa præmisisset de sententia Damnatorum in Reprobos ferenda, mox adjungit: *Quid times, quia dixi, si mutaris, mutatur? prædixit, non fixit. Nam dictum est, si pœnitueris vos de omnibus peccatis vestris, pœnitebit & me de omnibus malis, quæ facturus eram vobis. Nunquid quasi errantem pœnitet Deum? Sed pœnitentia in Deo dicitur mutatio sententiæ: non est iniqua, sed justa. Quare justa? mutatus est reus, mutavit Judex sententiam: noli terreri, sententia mutata est, non justitia. Justitia integra manet, quia mutato debet parcere, quia justus est*. Si Deus voluntate antecedente, nulloque ad culpam, & pertinaciam peccatoris respectu salvari aliquos nollet, falsum esset, culpa mutaturum sententiam, cùm, ut dicis, sententia non à culpa delinquentis pendeat, sed à voluntate salvare nolentis; voluit enim non salvare, priusquàm delictum prævideret. Aqua incalescere quidem ab extrinseca causa potest, sed cùm natura sua frigida sit, facilè amoto igne calorem perdit, recipitque ingenitum frigus. Sic Deus natura sua benignus, & in omnes clementissimus est; nec illi ardor homines puniendi, Regnoque proscribendi ab intrinseco, sed aliunde accedit, ex delicto videlicet, & impœnitentia peccatoris. Hic est ignis, qui divinam iram inflammat, istum si removeas, nihil in Deo præter innatam bonitatem, omnesque salvandi propositum. Hoc solùm discrimen est, quòd aqua, cùm ex calida in frigidam evadit, mutatur, quia aliud est frigus, aliud calor; mutatio verò de uno in aliud transitus est. At cùm Deus jam damnare vult peccatorem, jam emendatum non vult damnare, nulla in Deo mutatio est, cùm in illo non sit aliud, & aliud, sed una, eademque voluntas, quæ tamen ob infinitam sui eminentiam, utrumque effectum, pœnam videlicet, & veniam complectitur. Tota verò mutatio in homine solo est, jam peccatum amante, jam detestante. Sic unum, idemque speculum, nunc deformem, nunc pulchrum, nunc juvenem, nunc senem repræsentat, nulla speculi, sed objecti tantùm mutatione. Sicut ergo non speculum, sed facies mutatur; ita cùm Deus jam vult, jam non vult peccatorem damnare, non Dei, sed peccatoris mutatio est. Sicut ergo in arbitrio tuo est, ut non turpis, sed formosus in speculo appareas, si videlicet maculam tergas: ita in arbitrio tuo est, ut non reprobus, sed electus apud Deum sis, si oblatam gratiam accipias, ac peccatum deponas. Non ergo speculum, sed faciem, hoc est, non Deum, sed conscientiam accusa. Id ipsum alia similitudine illustrari potest, Solis videlicet, qui jam hominem illuminat, si oculum aperiat, jam non illuminat, si oculos claudat, nulla tamen in Sole, sed in homine tantùm mutatione facta. Hæc ipsa S. Pauli sententia fuit 2. Timoth. cap. 2. Cùm enim de Prædestinatione loquens, dixisset: *Fundamentum Dei stat. Cognovit Dominus, qui sunt ejus. In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem*



in honorem, quædam in contumeliam, mox adjungit: *Si quis ergo se emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum.* Sicut ergo in arbitrio tuo est, oblatam à Deo gratiam recipere (quæ, ut posteà probabitur, nemini deest) sicque à *peccatis mundari;* ita quoque in arbitrio tuo est, vel gloriæ, aut contumeliæ, hoc est electum, aut reprobum esse, Deo, quantùm in se est, omnes ad gloriam, nullum ad contumeliam parante. Hoc est, quod scribit Ambrosius in caput primum Lucæ: *Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum.*

Cùm Pelagiani objicerent Augustino, docere illum, non esse Dei voluntatem, ut omnes salventur, Sanctus Doctor ex instituto, & professo hanc calumniam refutans, hæc scribit art. 2. ad articulos sibi oppositos: *Cùm veritas dicat: si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quomodò fieri potest, ut Deus nolit aliquos salvari, qui etiam salvari volunt, nisi aliquæ causæ existant, de quibus, quamvis sint nobis incognoscibiles, ita tamen judicas, de quo dici non potest, aliter eum quidquam facere debuisse, quàm fecerit. Remota ergo hac discretione, quam divina scientia intra secretum Justitiæ suæ continet, syncerissimè credendum est, atque profitendum, Deum velle omnes salvos fieri. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, solicitè præcipit, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur. Ex quibus, quòd multi pereant, pereuntium est meritum: quòd multi salventur, salvantis est donum. Quòd enim reus damnetur, inculpabilis est Dei Justitia, ut autem reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est.* Hic tria docet Augustinus. *Primò:* Sicut pater terrenus *bona data dat filiis*, multò magis id Patrem cœlestem & fecisse, & facturum esse. At nullus est pater terrenus, qui propria voluntate, nullaque præcedente culpa velit aliquos ex filiis hæreditate, domoque paterna excludere, quantò minùs id volet Pater cœlestis? An fortè minùs est pater, aut minùs amat? aut quis únquam de terreno patre audivit, eum, ut potentiam, & libertatem suam ostenderet, majorem filiorum partem, aut exilio mulctasse, aut gladio percussisse? quantò minùs id de cœlesti Patre dicendum? Illo enim posset perdere ut Dominus, nollet tamen ut Pater; nec ita ejus potestas extollenda est, ut amori præjudicet. Alioquin ubi erunt magnifica illa; *Et miserationes ejus super omnia opera ejus. Superexaltans misericordiam judicio?* Quomodo enim major misericordia, si plures deserit, quàm sanat, plures negligit, quàm eligit? Mutanda erit sententia, corrigendum vaticinium, magisque dicendum: *Et indignatio ejus super omnia opera ejus. Superexaltans judicium misericordiæ.* Quòd si potentiæ suæ dare experimenta velit, quantò illustriùs, & manifestiùs in alias creaturas, quàm in homines, hoc est, in mancipia potiùs, quàm in filios aget? Quamquam jam suprà ostendimus, potentiam artificis non destruendis, sed condendis operibus monstrari. *Secundò* docet Augustinus: *Sincerissimè credendum, ac profitendum esse, velle Deum omnes salvos fieri, ex quibus, quòd multi pereant, pereuntium est meritum.* Hic apertissimè ostendit Augustinus, ex iis, quos Deus vult salvos esse, multos perire, sicque illam Pauli sententiam de voluntate omnes salvandi, non solos Prædestinatos, verùm etiam reprobos complecti, nullumque à Deo excipi, si enim aliqui exciperentur, ii reprobi essent. Cur ergo alibi Augustinus docet, de solis Prædestinatis dictam esse? quia id ex instituto non agebat Augustinus, ut hic agit, quando calumnias sibi ab adversariis impositas unicè, & ex professo refellit. *Deinde*, quia, ut infrà dicemus, & ipse Augustinus professus est, non unam semper, eandemque sententiam tenuit, sed magis, magisque disputando profecit, crescente semper, ut in Sole contingit, cùm motu luce. Ac tandem quia Augustinus plerumque loquitur de illa gratia, quæ non tantùm est efficax, verùm etiam effectrix, hoc est, cui opus respondet, & de hac verum est, ad solos Prædestinatos spectare.

Tertiò excipit ab hac omnes salvandi voluntate Augustinus aliquos, qui licèt velint, occultissimis tamen, & in arcanum repositis causis non salvantur; ita prorsus, ut illis sit tota ratio pereundi non Dei, sed eorum imperfecta voluntas, *quòd multi pereant*, inquit, *pereuntium est meritum, quòd multi salventur, salvantis est donum.*

Ubi



Ubi vides, duas à S. Doctore voluntates poni: unam, qua homo perit, & hanc dicit, peccatoris esse: alteram, qua homo salvatur, & hanc Dei esse. Voluntas ergo Dei solùm pertinet ad salvandum, non verò ad reprobandum, & deserendum, alioquin dicendum esset. *Quòd multi pereant, nec salventur, Dei est nutus, eos salvare renuentis.* Nam posita hac voluntate non salvandi, quamvis reliqua omnia impedimenta cessent, fieri non potest, ut homo salvetur, cùm omnium impedimentorum maximum sit, Deum nolle; sicut impossibile est, nolente pictore, imaginem pingi, quamvis alioquin nullum aliud in tabula, in coloribus, in penicillis impedimentum sit. Cur ergo non omnes salvantur, etiam qui volunt? respondet Augustinus, duas esse causas: unam patentissimam, & universalem, alteram occultissimam, & specialem. Patentissima est, quia peccatores non verè, & efficaciter volunt; hoc est, non per ea media, quæ illis ad salutem præscripta sunt; sicut nec ægrotus dicendus est, velle sanari, si sanitatem quidem optet, sed remedia recuset: non est hæc voluntas, sed umbra voluntatis; non salvantur ergo, quia nolunt, & ita *quòd multi pereant, pereuntium est meritum.* Altera verò, & occultissima causa est, solique Deo nota: Quis enim compertum habet, cur Petrum, & Magdalenam ita vocaverit, ut vellent, non verò ita Saulum, & Judam? Petrus peccator, Judas peccator. Petrus vocatus, Judas vocatus, Petrum aspexit: Judam osculatus est; plùs fuit osculari, quàm intueri. Et tamen Petrus convertitur, Judas desperat. Unde amabò in tanta paritate cadendi, tanta disparitas resurgendi? Quia Petrus voluit, & quia Judas noluit? ita quidem; sed cur non factum, ut uterque vellet surgere, sicut permissum est, ut uterque vellet cadere? Hoc arcanum, & ænigma est quàm occultum, tam justum. Constat, potuisse Deum, constat, voluisse; constat potenti, & volenti Deo Judam repugnasse, cætera latent, nec explorare licet. *Noli scrutari, si non vis errare*, inquit, idem Augustinus, qui hanc doctrinam suam videtur à Magistro Ambrosio hausisse in Psalm. 118. ita loquente: *Mysticus ille Sol Justitiæ omnibus ortus est, omnibus passus, omnibus venit, & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum: generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios Solis excludat.*

Denique perpetua est Augustini sententia, divinæ Bonitati, & Justitiæ nimium quantum repugnare, si homines immortali anima præditos, & ad imaginem suam conditos citra omne peccatum, non tantùm æternis suppliciis addicat, verùm etiam si cœlesti Regno excludat, ac velut durissimo exilio procul patria pellat. Quo argumento præsertim Pelagianos urget: Hi enim docebant, parvulos originali peccato non teneri, sed tamen, si absque Baptismo decedant, cœlestis Regni expertes esse. Quibus Augustinus respondet, id salva Dei Justitia fieri non posse: nec enim posse innocentes a justissimo Deo puniri, maximam verò creaturæ rationalis pœnam esse, si exilio mulctetur, nec verò exilium aut majus esse, quàm quod perpetuum, aut pejus, quàm quo cœlum amittitur; tantò enim infelicius exilium, quantò fœlicior patria, sicut tantò gravius malum, quantò majus est bonum, quo privat. Atqui hæc omnia absurda longè magis locum habent, si dicas, Deum ante omne prævisum hominis peccatum alios ad æternam vitam elegisse, plures verò non elegisse. Non elegit ergo, cùm adhuc innocentes essent, hoc est, cùm nondum peccassent, nec peccaturi præviderentur; privavit ergo illos patria, ad quam creati erant; at hæc privatio patriæ est illud acerbissimum exilium, quo negat Augustinus, posse innocentem puniri. Quod absurdum longè in adultis immanius est. adultos enim aut æterna in cœlo fœlicitas aut in inferno æterna infœlicitas manet, nec medium datur: unde quoad rem, effectumque ipsum unum idemque fuerit, non elegisse, quod damnasse, cùm istud ex illo necessariò sequatur. Sicut enim quia inter manum dexteram, & sinistram alia, & tertia manus non datur; si quis dexteram vinciat, ne uti illa possis, sequitur necessariò, sinistra te usurum. Ita si Deus ante omnem prævisam culpam noluit aliquos, imò longè plures ad dexteram, hoc est, ad cœlum pertinere; sequitur, necessariò pertinere ad sinistram, hoc est, ad infernum, æternumque supplicium: id

id verò nimium à divina Bonitate alienum esse, mille locis protestatur Augustinus. Audi illius verba Serm. 14. de Verbis Apostoli: *Ecce existit, nescio quis, & dicit: parvulus non habens ullum omnino peccatum, nec quod sua vita contraxit, nec quod de vita primi Parentis traxit, habebit, & Regnum cælorum, & vitam æternam. Respondete Pelagiani, vincite hominem resistentem vobis. Vos enim dicitis: vitam quidem habebit iste non baptizatus æternam, sed non habebit Regnum cælorum. Ille contrà: imò & vitam, & Regnum cælorum. Quare enim patrimonium Regni cælorum abripis innocenti? à quo Regnum cælorum non acquiritur, profectò magno bono fraudatur. Quæ est ista justitia? Dic quare? quid offendit parvulus non baptizatus, nullam habens culpam, nec suam, nec de parente tractam? quid offendit, dic mihi, ut non intret in Regnum cælorum, ut sit exul à societate Angelorum? Videris enim tibi misericors, quia non auffers ei vitam, damnas tamen, quem separas à Regno cælorum. Damnas, non enim percutis, sed in exilium mittis. Nam & qui exulantur, vivunt, in doloribus corporis non sunt, non torquentur, non carceris tenebris affliguntur, hæc illis sola pœna est, non esse in patria. Si amatur patria, magna pœna; si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna. An enim parvum malum est, in hominis corde, si societatem non quærit Sanctorum, si non desiderat Regnum cælorum? Sed si, quod vis, parva sit pœna, & ipsa parva magna est, si nulla est culpa. Hic defende justitiam Dei. Quare vel parva pœna infligitur innocenti, in quo nullum invenitur omnino peccatum? Responde si potes.* Hæc Augustinus Pelagianis. Hæc ego aliter sentientibus: Vos dicitis, Deum tam multos eorum, quos ad imaginem suam finxit, & ad felicitatem æternam creavit, non quidem æternis flammis addixisse, sed tamen sponte sua, nullaque prævisa culpa cœlo eliminasse, vobisque misericordes, clementesque videmini, quia non infertis quidem eis pœnam, damnatis tamen, cùm cœlo excluditis. *Dicite mihi, quæ est ista Justitia? quid offenderunt, si nullam habent culpam? Defendite Justitiam Dei. Nec enim parva pœna est, non esse in patria. Et si parva esset, quare vel parva pœna infligitur innocenti, in quo nullum omnino invenitur, nec prævidetur peccatum?*

Eadem S. Augustini mens ex fidelissimo ejusdem Discipulo S. Prospero Aquitano magis adhuc, magisque patebit. Is enim lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 35. *Frustra*, inquit, *dicitur, quòd ratio operandi non habet in electis, cùm ad hoc operentur, ut electi sint.* Vides in arbitrio operantium esse, ut eligantur, Deo quidem gratiam ad opus offerente, sed homine oblatam acceptante; eo ferè modo, quo in arbitrio ægrotantis est, ut sanetur, & vivat; non quod pharmacum ipse præparet, sed quòd maxima arte, ac labore à Medico paratum accipiat; unde totum pretium, & gloria reparatæ sanitatis ad Medicum; fructus verò, & utilitas ad ægrotum pertinet; tam enim multum est, quod Medicus facit potionem temperando, ac porrigendo; tam verò parùm est, quod ægrotus facit accipiendo, ut meritò omnia Medico, nihil ægroto debeatur; sed nisi ægrotus acciperet, nihil quoque medicina juvaret. Idem de peccatore dicas, gratiam recipiente, aut recusante, sicque aut ad vitam, aut ad mortem, aut ad electos, aut reprobos pertinente, utcumque voluerit, modò id semper observes, etiam ipsum velle, ipsumque accipere, & hominis esse, & Dei; sed Dei magis, quàm hominis; sicut sanari, & laborantis est, & medentis; sed medentis magis, quàm laborantis. Imò (secùs ac in ægroto) illud ipsum, quod diximus, hominis esse, illud, inquam, velle, & accipere, totum quoque à Deo, & gratia est, quæ si non esset, homo nec vellet, nec acciperet, sed repugnaret. Unde optimè Apostolus dixit: *Non est currentis, neque volentis, sed miserentis Dei.* Vult homo, & currit; sed hoc ipsum velle, & currere, & hominis est, & Dei; hominis quidem, quia homo est, qui currit, non Deus; homo est, qui consentit, non Deus; sed hoc ipsum & currere, & consentire, magis est Dei, quia non curreret, nec consentiret homo, nisi Deo per gratiam miserente. Sic cùm Musicus manu cytharam pulsat, totus ille sonus, ac pulsus, & à manu, & à cythara est, magis tamen totus ab anima, quia nisi anima esset nec manus, nec cythara moverentur; hoc verò est Deus, & gratia homini operanti, quod

est

est anima manui pulsanti, hoc discrimine, quòd voluntas potest pulsante Deo non velle; manus verò non potest imperante anima non moveri. Idem Sanctus Prosper responso tertiò ad Gallos ita scribit: *Ideò non sunt prædestinati; quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.* Et respons. 12. ad objectiones Vincentianas explicans hæc verba: *Exierunt ex nobis sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utiquè nobiscum*, inquit, *voluntate exierunt, voluntate ceciderunt, & quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati; essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate, ac veritate mansuri.* Tota ergo causa, quòd prædestinati non sint ex Prosperi sententia, non Dei, sed hominis voluntas fuit; Deo, quantùm est ex se, omnibus ad salutem prompto, sed peccatore salutem recusante, & mortem ante vitam eligente. Planè si quis cogitaverit, fuisse Prosperum Augustini Discipulum fidelissimum, eique coævum, atque acerrimum defensorem (ut ex ejus Epistola de Prædestinatione ad Augustinum constat) is negare non poterit, Prosperi sententiam Augustini sententiam esse. Plura S. Prosperi testimonia omittimus, quæ jam suprà recitata sunt; sed, & ipsi concinit Sanctus Fulgentius lib. 1. ad Monimum circa medium, ubi ait: *Ostensurus itaque Deus, quod reddendum præscivit, & quid donandum, prædestinavit illos ad supplicium, quos à se præscivit voluntatis malævitio discessuros, & prædestinavit ad Regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros.* His verbis præscientiam operum electioni, & reprobationi apertè supponit; undè subdit: *Quia misericors est Dominus, & justus, prædestinavit Justos ad gloriam, & impios ad pœnam.* Sanctus Anselmus Augustini fidelissimus Sectator Orat. 28. juxta correctissimam Editionem Gabrielis Gerberonis Congregationis Sancti Mauri, ita Christum alloquitur: *Æquali dilectione pro omnibus passionem suscepisti, æqualiter omnibus vitam æternam præparasti.* Ergò ex sententia Sancti Anselmi tota inæqualitas, quæ inter reprobos, electosque versatur, non ex Dei voluntate, sed ex culpa suâ hominis procedit. Idem tenet Commentator Matth. apud Sanctum Anselmum in caput 6. ad illa verba: *Fiat voluntas tua*, hæc habet: *Duæ sunt voluntates in Deo: una Misericordiæ, quæ non est cogens, neque aliquid libero arbitrio auffert, qua omnes homines vult salvos fieri, quod tamen in libera eorum potestate positum est. Est, & alia, quæ est de effectibus rerum, de qua dicitur: omnia quæcumque voluit, fecit. Huic nemo potest resistere, de qua dicitur: voluntati ejus quis resistet? Hæc providentiæ concordat semper; alia verò non semper. Si enim velit per Misericordiam de aliquo pravo, quòd fit justus, & conferat ei gratiam suam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei consentiat, hæc voluntas Dei non concordat Providentiæ. Itaque homines resistunt voluntati Misericordiæ, & non resistunt voluntati Justitiæ. In terra multi contradicunt voluntati Dei, illi scilicet, quæ est ex Misericordia: Cùm enim vellet pravos etiam salvare, si vellent; tamen ipsi contradicunt operibus huic voluntati.*

Non minùs eleganter nostram hanc sententiam Angelicus Doctor duobus præcipuè locis expressit. Sic enim libr. 3. contrà Gentes cap. 259. loquitur: *Considerandum est, quòd licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec advocare possit; potest tamen se ipsum impedire, ne illam recipiat. Dicitur enim de quibusdam Job. 21. Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Et Job. 24. Ipsi rebelles fuerunt lumini. Et cùm hoc sit in potestate liberi arbitrii, impedire receptionem gratiæ, non immeritò ei imputatur, qui impedimentum ponit. Deus enim, quantùm ex se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes salvos fieri, sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis impedimentum gratiæ posuerunt; sicut Sole mundum illuminante in culpam imputaretur ei qui oculos clauderet, licet videre non posset, nisi lumine Solis præventus.* Et in illa verba Joannis: *Nemo venit ad me: Sicut grave per naturam non potest sursum ferri, nisi trahatur ab alio; ita cor humanum ex se ad inferiora tendens non potest sursum elevari, nisi tractum per gratiam. Si verò non elevatur, non est defectus ex parte trahentis, qui quantùm ex se est, non deficit, sed*

est

est propter impedimentum ejus, qui non trahitur. Vides hic iterum ex sententia Angelici Doctoris velle Deum, quantùm ex se est, omnes salvos fieri, velle omnes illuminare, velle omnes trahere, sed *eos solos* non salvari, non illuminari, non trahi, qui impedimentum ponunt, & *qui nolunt;* sicq; nullum ex parte Dei volentis, sed tantùm ex parte hominis resistentis impedimentum esse; & ideò voluntatem Dei salvandi omnes, non ad solos prædestinatos (illi enim impedimentum non ponunt) sed etiam ad reprobos extendi. Hanc verò Dei voluntatem omnes salvandi, quantùm ex parte Dei est, efficacem esse, dubitari non potest; si enim inefficax sit impedimentum non solùm ex parte hominis, sed præsertim ex parte Dei esset; illa enim inefficax voluntas salvandi v. g. Judam impediretur à contraria, & efficaci voluntate non salvandi; quod enim majus impedimentum operis, quàm efficax voluntas non operandi? aut quid magis morari aliquem potest, ut non ambulet Romam, quàm efficax voluntas non ambulandi? Si ergo, ut docet S. Doctor, nullum ex parte Dei impedimentum est, quo salventur omnes, sequitur, ejus voluntatem omnes salvandi, quantùm ex se est, efficacissimam esse. Quòd si aliquando inefficax vocatur, ideò est, quia effectum non consequitur, humano nolente arbitrio. Ex quibus omnibus perspectum est, nostram sententiam Augustini sententiam esse, sive Augustinum ipsum, sive illius Magistrum, ac præcipuos Discipulos consideres. Idem S. Doctor 1. ad Timot. 2. lect. 1. *Christus JESUS est Mediator Dei, & hominum, non quorundam, sed inter Deum, & omnes homines, & hoc non esset, nisi vellet omnes salvare.* Et in Epist. ad Heb. c. 12. lect. 3. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ideò gratia nulli deest, sed omnibus, quantùm in se est, se communicat.*

XII. Ex hactenus dictis facilè illud Calvini Sophisma dissolves: *Si sum prædestinatus; quidquid egero, certissimè salvabor: si non sum prædestinatus, quidquid boni egero, certissimè damnabor. Quid ergo superest, nisi ut agam, quod lubet, & quamdiù licet, voluptatibus fruar, cùm data semel, fixaque Prædestinationis sententia nihil mihi ad vitam æternam aut nocere peccata, aut prodesse virtutes possint.*

Respond. enim *primò*, hanc argumentationem totius generis humani consensu, ipsorumque Calvinistarum exemplo, & usu falsitatis convinci: Nihil enim in hoc mundo geritur, quod non immutabili Dei Præscientiæ, ac voluntati subjaceat, juxta illud Apostoli ad Ephes. 1. 11. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Nemo igitur diutiùs vivit, quàm Deus velit, nemo metit, nemo dives evadit, nemo hostem in bello vincit, nemo ad portum appellit, nisi quantùm, & quando Deus ab æterno disposuit. Quis verò ita unquàm desipuit, ut diceret: vel Deus ab æterno disposuit, ut hunc morbum evaderem, vel ut morbo extinguerer? Si primum: ergo certissimò sanabor, quamvis medicinis non utar: Si secundùm, ergo certissimò extinguar, quibuscumq; tandem remediis utar; nullis ergo utar, ac genio dum licet, indulgebo, cùm Dei voluntas mutari, aut falli non possit. Aut quis unquam non navim ad trànsfretandum conduxit, non semen ad messem faciendam sparsit, non omnem operam ad comparandas divitias, vel obtinendam victoriam adhibuit, quòd crederet, omnia fato agitari, ac divina voluntate, nutuque immutabili evenire. Planè deliria sunt ista, non argumenta. Si ergo pro terrena vita nemo non laborat, quamvis sciat, omnia divino nutu contingere; cur non æquè laboret pro vita cœlesti; quamvis non ignoret, nullum ad eam pervenire, nisi divina voluntate prædestinatum? Non te movet Prædestinatio, ut pro terrestri Regno benè pugnes; cur te morabitur, ut pro cœlesti Regno non benè vivas? Imò hoc multò magis; fieri enim potest, ut qui benè pugnat, non ideò vincat, at fieri non potest, nec unquam factum, aut futurum est, ut qui benè vivit, cœlesti Regno non potiatur. Quot Jacobus Patriarcha laboribus, quot David præmiis, & artificiis egit, ut ad Regnum perveniret, quod tamen sibi à Deo destinatum esse jam olim, certoque didicerant? Nihil ergo Prædestinatio operibus, nihil opera Prædestinationi obstant; sic ergo agendum, & conandum est, ac si nulla Dei Prædestinatio; sic verò omnia Deo tribuenda, & spes omnis in eum collocanda est, ac si nulla hominis industria, & prudentia esset. *Deindè* non ideò neganda hominis in agendo libertas est,

aut

aut operandi necessitas tollenda, quia libertatis, operumque cùm divina Prædestinatione consensum, ac fœdus ignoras. Num ideò moveri Solem, terram in aere, punctoq; suspendi, magnetem in Polum figi, & mille alia negabis, quia eorum rationes, & causas, quibus fiunt non intelligis? Constat, Deum justum esse, constat, Evangelicam legem observandam, constat, orandum esse, constat, esse liberum arbitrium, sed non satis constat, quomodò ista cum Prædestinatione, Deique voluntate conveniant; num ideò negabis, quod constat, quia non assequeris, nec intelligis, quod non constat? Nemo Christianorum negat, esse in Christo naturam divinam, humanamque, quamvis ignoret modum, quo sibi tàm distincta connectantur. Nemo Deiparam dubitat, Matrem simul, ac Virginem esse; quamvis pugnantia videantur in una, eademque planta fructum nasci, nec florem corrumpi. Idem de Prædestinatione dicas. Pugnare tibi cum libertate humana illius certitudo videtur, nec modum capis; at sufficit Christiano, ita Deum revelasse; nec ideò falsa, quia tibi occulta. Denique si ex te quæram, cur tantò labore, impendiis, ac periculo pugnes, & non potiùs victoriam otiosus expectes, cùm certum sit, neminem victurum, nisi quem Deus voluerit; voluntatem verò Dei immutabilem esse? respondebis utique; quia constat nemini Deum victoriam velle, nisi conanti; & ideò unum, idemque esse, nolle certamen, quod nolle victoriam; nolle seminare, quod nolle metere; nolle cursum, quod nolle metam. Idem ergo de Prædestinatione dicendum; cur oras, cur operaris, cur bellum cum vitiis geris, & non potiùs soluto cingulo, desertaque militia quieti, ac delitiis vacas, cùm Prædestinatio certa sit, nec mutari possit? quia constat, Deum neminem nisi benè operantem, ac Christianè viventem ad Cœlum eligere, unde unum, idemque fit, nolle operari, quod nolle ex electis esse, nolle virtutem, quod nolle Cœlum. Sanè, si hujus Dilemmatis aliqua vis esset, nemo eam meliùs ipso Dæmone intelligeret, & tamen iste, ac si nulla Prædestinatio esset, sed omnia ex creaturarum industria penderent, tentando, insidiando, persuadendo, objectà, & occasiones offerendo, noctu diuque mille nocendi artes moliendo, nihil non agit, ut hominem seducat, trahatque in suas partes. Agnoscit ergo liberas hominum actiones non ex fato, sed ex hominum arbitrio pendere, talesque fieri, quales homo esse voluerit, nihilque Prædestinationem impedimenti afferre, quò minùs homines, aut boni, aut mali, aut fœlices sint, aut infœlices, reprobi, aut electi, utcumque maluerint. Quis ergo tantùm insaniat, ut credat, se aliquid argumentando invenisse, quod nec Dæmon invenit? aut meliùs Logicam callere, quàm calleat Dæmon? Quacumque ergo ex parte Dilemma illud Calvini expendas, vanissimum est, & omnium hominum, Dæmonumque judicio planè falsissimum; cessarent enim insidiæ tentationesque omnes, sic Dæmone philosophante: Aut Judas est prædestinatus, aut non est prædestinatus? si prædestinatus, frustra illum tento: si non prædestinatus, etiam me non tentante, ac nihil agente, tandem damnabitur.

Tres ergo sunt in hoc, aliisque similibus de Prædestinatione paralogismis hallúcinandi causæ. *Prima*: quòd ex iis, quæ occulta sunt, ad ea neganda movearis, quæ manifesta sunt: quod planè absurdissimum est philosophandi genus; opportet enim ex certis ad incerta, ex claris ad obscura, & non ex incertis ad certa, ex obscuris ad clara pervenire. Quid enim aliud esset, certa ex incertis, & clara ex obscuris, velle discere, quàm velle cæcum de coloribus interrogare, aut noctuam de Sole? Aut quis non agricolam rideret, qui arcum cœlestem, quem oculis toties usurpat, esse negaret, quia non intelligit, à quo, qua manu, qua arte, qua ratione, & quibus coloribus in aere, & momento pingatur? Et ideò monuit optimè Augustinus Lib. de Bono Persever. cap. 14. *Non ideò negandum, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est*. *Secunda*, erroris causa est, quòd homines sibi persuadeant, non esse ampliùs in eorum potestate, ut inter electos numerentur. Quæ persuasio planè falsissima est: Sicut enim cùm gratia Dei (quæ nemini volenti deest) in eorum potestate, est, ut benè vivant, & in bono perseverent; ita in eorum potestate est, ut ad Electos pertineant, cùm impossibile sit, benè viventem, & in bono per-

no perseverantem ex electis non esse, & idcò monebat Apostolus: *Satagite, ut per bona opera certam vocationem vestram faciatis.* (a) *Tertia* causa est, quòd sibi perperam imaginentur, Deum velle aliquos salvari, qui ad prædestinatos pertineant; alios verò, multoque plures non salvari, quos reprobos appellamus; & ideò cùm Prædestinatio, & Reprobatio ex sola Dei voluntate pendeat, credunt, nihil ampliùs homini superesse, quo fatalem, & insuperabilem hanc voluntatem mutare in aliam, magisque propitiam possint. Sed hoc iterum à veritate alienissimum est: Deus enim, ut suprà prolixè ostensum, quantùm ex se est, neminem perire, sed omnes enixè, ac efficaciter salvari vult, & ideò, qui pereunt, arbitrio suo pereunt, qui non salvantur, arbitrio suo non salvantur; at quod arbitrio suo faciunt, utique non facere possunt. Cùm ergo dicunt; *Si prædestinatus sum, quidquid egero, pænitebo tandem, & salutem adipiscar;* falsum dicunt. Si bene non egeris, non Deum perseveranter oraveris, non Christianè vixeris, tandem nec pœnitebis, nec prædestinatus eris. Sicut ex adverso, si benè vixeris, si constanter oraveris, tandem perseverabis, erisque de prædestinatis. Verbo: *Perditio tua ex te Israel, ex me tantùm auxilium tuum* (b) Et eleganter quoque Sanctus Augustinus de natura, & gratia caput 67. *Quiescant ingrati, & adversus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris, & libidinis hominum nemo victor existeret. Cùm verò ubique sit præsens, qui multis modis aversum vocat, docet credentem, consolatur sperantem, diligentem adhortatur, conantem adjuvat, exaudit deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras. Neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.* Ubi iterum vides, totam causam perditionis, non ipsi Deo, quasi mederi, ac sanare nolit, sed soli homini adscribi, quòd sanare, & mederi volentem nolit admittere.

XIII. Ex hactenus disputatis colliges, hanc esse Prædestinationis seriem. *Primò.* Deus videlicet, qui omnes homines amat, voluit etiam omnes salvare, nullumque perire. *Secundò.* Atque ut hanc omnes salvandi voluntatem suaviùs exequeretur, statuit omnium hominum sortem ex meritò, demeritoque primi hominis pendere, ut videlicet isto non peccante, tota posteritas, & in terris, & posteà in Cœlis fœlicissimam vitam agitaret. Ne verò peccaret Adam, & innocentia decideret, tot illum præsidiis, tot dotibus corporis, animique vallavit, ut videretur vinci non posse. *Tertiò.* Sed Adamo infœliciter peccante, tota quoque posteritas, quippe ex Patre rebelli nata omni jure ad cœleste Regnum spoliata est, quod peccatum Originale vocamus. *Quartò.* Verùm ne hominis delicto Dei consilium, omnesque salvandi voluntas effectu careret, decrevit Deus, Unigenitum suum mittere humana carne indutum, cujus meritò, & originale, & alia omnia peccata iis remitterentur, qui mediis uti vellent ab eo præscriptis. *Quintò.* Ut autem vellent, singulis ob meritum Salvatoris validissimæ gratiæ ab æterno paratæ, quibus humana voluntas ad malum prona in bonum flecteretur. *Sextò.* Parvulos quod attinet, qui sine Baptismo decedunt, cœlesti quidem Regno, quippe paternæ culpæ reos, nec expiatos exclusit; non exclusit tamen naturalibus bonis, & à peccato præservavit, æternoque supplicio, quo si adolescerent, puniendi erant: quæ planè magna portio amoris, & gratiæ est; cùm sola præservatio à peccato pluris valeat, majorisque pretii sit, quàm Regnum ipsum cœleste, quo, si ipsis optio daretur, carere vellent, quàm peccato involvi. Non ergo neglecti dici possunt qui tantò bono donati sunt, tantoque malo liberati. Fatendum tamen, quia nunquam parvulis ante baptismum sublatis Deus æternam vitam voluit, istos ad alium finem, classemque Providentiæ pertinere. *Septimò.* Quia ergo Deus omnes amavit, salvarique voluit, omnibus quoque copiosissima media suggessit, quibus salvari possint. Quòd si oblatis ad salutem

(a) 2. *Petri* 1. *vers.* 10.
(b) *Oseæ* 13.

sutem mediis uti aliquis nolint, ac peccatis usque ad mortem insistant, recusentque oblatam sæpiùs veniam, eos damnare justissimè statuit, sicut enim quia bonus, gratis salvare statuit, citraque omne meritum etiam prævisum, solo videlicet misericordiæ, & amoris instinctu; ita quia justus est, non gratis, sed ob culpam saltem prævisam punire decrevit; quàm enim misericordis est, velle citra meritum amare, tàm est justi, nolle citra meritum punire. Nihil ergo aliud *Prædestinatio est*, quàm *antecedens, & efficax Dei voluntas hominem ad vitam æternam promovendi, dandique efficacissima ad hunc finem media*, quibus cùm videat, aliquos benè usuros, istos *consequente* etiam, ac *executrice voluntate* salvare proponit, & hi solùm ac propriè *prædestinati* appellantur. Tota tamen antecedentis illius voluntatis ratio est sola, & unica Dei Bonitas, & Misericordia; non verò hominis merita etiam prævisa, cùm ista non sint causa, sed effectus efficacis illius, & beneficæ voluntatis. Imò in illa ipsa voluntate consequente, qua Deus statuit, Petro vitam æternam conferre, quia prævidet, præscriptis à se mediis benè usurum; nihil ipsius hominis meritum in Prædestinationem influit, Deumque movet, qua parte ab homine est, sed tantùm qua parte à gratia est, quæ gratis, citraque debitum datur. Et ideò absolutissimè dicendum est, Prædestinationem gratuitam omninò esse, & opus solius amoris, sicque Prædestinationem non esse ex prævisis hominum meritis; sed potiùs ex prævisis Dei donis & gratiis, juxta illud Psalmistæ: *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*. Et illud Joan. 1. *Ex plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia*. *Reprobatio* verò nihil aliud *est*, quàm *voluntas Dei consequens, hominem æterna pœna plectendi*, quia prævidet, usque ad mortem peccatis inhæsurum, & gratias à Deo copiosissimè datas, & cùm quibus salvari facillimè poterat, recusaturum; ita videlicet, ut tota ratio damnationis sit hominis culpa divinam Justitiam provocantis, oblatamque misericordiam respuentis.

Rebus ergo ita discussis restat, ut ad ea, respondamus, quæ opponi possunt. Nihil enim tàm est verum, quod impugnari non soleat, sicut ex adverso nihil tàm falsum, quod non aliquo veritatis colore tingatur; imò quia nemo falsum credit, nisi deceptus; ideò tàm falso, quàm deceptori solenne est, veritatem, ac fidem profiteri, quam non habent.

XIV. *Opponitur igitur Primò*, Christum Dominum non pro omnibus, sed pro Electis tantùm orasse; sic enim Joan. 17. Patrem precatur: *Ego pro eis rogo, non pro Mundo rogo; sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt*. Hic apparet Christum pro solis prædestinatis, quos Pater ei dederat, & qui ad Patrem pertinebant, non verò pro Mundo, hoc est, pro Reprobis orasse; non ergo Christus pro omnibus, etiam Reprobis passus est: Cùm enim multò minùs sit orare, quàm mori; quis sibi persuadeat, voluisse pro iis mori, pro quibus nec voluit orare?

Respondetur Primò: Christum pro omnibus orasse, ac orando gratiam omnibus, etiam reprobis meruisse, qua converti, salvarique facillimè possent, si vellent, quod ex suprà dictis certum est, & apertissimè docuit Augustinus. Nam præter illa, quæ paulò ante recitavimus, Serm. 4. de S. Stephano ita loquitur: *Jubet Deus, & dicit: diligite inimicos vestros, orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Attendite ipsum Dominum, qui hoc jussit, quod fecit: nonne pendens in Cruce ait: Pater ignosce illis? quando ergo in Cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos; sed multos ex illis futuros amicos; ideò omnibus veniam postulabat. Illi sæviebant, ille orabat, illi dicebant Pilato, crucifige; ille clamabat Patri, ignosce: pendebat, & tamen petebat*. Et Serm. 109. de Temp. *Cùm venerit Dominus, redditurus est singulis pro meritò. An hoc vultis, ut reddatur aversis, quod redderetur conversis? Fratres justum videtur vobis, ut illic ponatur Judas, ubi positus est Petrus, & ipse ibi poneretur, si se correxisset: sed de venia desperans potiùs sibi collum laqueo ligavit, quàm Regis clementiam imploraret: itaque Fratres, sicut dicere cœperam, non est, unde reprehendamus Deum*. Et in responso ad articulos sibi falsò impositos, *articul. 1.* loquens de Redemptione, & Sanguine Christi: *Poculum quippe immortalitatis, quod confectum*

est

est de infirmitate nostra, & virtute divina; habet quidem in se quod omnibus prosit, sed si non bibitur, non proficit. Ex quibus intelligis, ex sententia Augustini, Orationem, ac Redemptionem Christi ad omnes quidem etiam Reprobos (qualis erat Judas) pertinuisse; sed ideò non omnibus profuisse, quia non omnes acceptare voluerunt: omnibus, & paratum, & porrectum est poculum; sed non omnibus profecit, quia non omnes biberunt; profecisset, si bibissent. Advertis etiam Christum, non tantùm paucis illis, quos futuros aliquandò amicos prævidebat; sed omnibus, qui sæviebant, dicebantque Pilato: *crucifige*, veniam à Patre postulasse. *Deinde* sciendum est, Christum Dominum *Joan. 17.* Mundo valedicentem pro tribus personarum generibus preces suas ad Patrem fudisse. *Primò* à versu nono, usque ad vigesimum pro solis Apostolis rogat, quibus tantùm, & non toti Mundo conveniunt, quæ illic à Christo dicuntur, videlicet: *quod sermonem suum eis dederis: quòd Mundus eos odio habuerit: quòd non sint de Mundo: quòd eos in Mundum mittat, &c.* Posteà à versu vigesimo non pro solis Apostolis, sed pro omnibus Fidelibus (quos inter multi utique reprobi erant) orat iis verbis: *Non pro eis autem rogo tantùm, sed, & pro iis, qui in me credituri sunt per Verbum eorum*; ubi apertè ostendit, se priùs pro solis Apostolis ad Patrem precatum esse. Denique vers. 21. rogat, & pro toto Mundo. *Ut credat Mundus, quia tu me misisti*. Ubi vides, licèt Christus à speciali illa oratione, quæ solos Apostolos complectebatur, Mundum excluserit; non exclusisse tamen à reliqua oratione sua, in qua petebantur, quæ toti Mundo convenirent, videlicet, ut in Christum crederent. Licèt ergo Christus præcipuè pro Apostolis, pro Fidelibus, pro Prædestinatis oraverit; non ideò tamen reliquum Mundum orationis suæ expertem voluit, ut etiam Sanctus Paulus clarè 1. ad Timoth. 4. iis verbis insinuat: *Qui est Salvator omnium hominum, præsertim Fidelium*. Vides in hoc reprobos, & electos pares esse, quòd omnes ad Redemptionem pertineant, sed in hoc distingui, quòd Electi præcipuas partes Redemptionis obtineant, quia soli ejus effectum consequuntur. Planè cùm Sanctus Joannes testetur, Christum esse *Advocatum pro peccatis totius Mundi*, sequitur, orasse quoque pro peccatis totius Mundi alioquin tàm frustra esset Advocatus, qui non orat, quàm frustra est Musicus, qui non cantat. Omnes ergo redempti, omnes commendati, omnes Christo ad salutem commissi; sed electi præcipuè, non tamen soli. Oravit ergo pro Mundo, & non oravit: Oravit prece illa communi, omnesque complectente; non oravit oratione illa speciali ad solos Apostolos, aliosque electos spectante, quomodò intelligendus etiam est Angelicus Doctor 3. *p. q.* 21. *a.* 4. *ad* 2. Cùm enim nihil aliud sit oratio, quàm expressio desiderii; sicut Christus omnibus etiam reprobis salutem ardentissimè optavit, ita pro omnibus quoque ardentissimè precatus est. Qua in re observandum venit, Deum rebus quidem omnibus à se creatis, multòque magis à se redemptis, nullo excepto, providere; ita tamen, ut hæc ipsa providentia partim sit omnibus communis, partim verò sit aliquibus specialis, suosque gradus habeat: *Pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus*. inquit Sapiens caput 6. *Æqualiter*. quia ex parte ipsius Dei unus, idemque amor est, quo omnes complectitur, nullique deest, ac singulis non necessaria tantùm, verùm etiam copiosa pro singulorum statu, ac conditione distribuit. Hæc tamen æqualitas nihil obstat, quin inter creata, magis homines, inter homines magis Christianos; inter Christianos, magis prædestinatos; inter prædestinatos verò eos magis curet, ac pluribus beneficiis ornet, qui magis in illum sperant, seque totos ejus divinæ voluntati committunt. *Tibi cura est de omnibus, præcipuè de servis, qui totam spem suam posuerunt in sola misericordia tua*. (a) Si Christus, quia omnium Advocatus, pro omnibus quoque intercessit, pro Apostolis tamen magis, quàm pro reliquis Fidelibus; & prædestinatis magis, quàm non prædestinatis. Sicut enim pater inter multos filios magis morigeros, quàm discolos amat; ita Deus, quippe omnium hominum Pater omnes

(a) *S. Bernard. serm. 68. in Cant.*

nes quoque homines diligit; eos tamen dilexit magis, quos morigeros, quàm discolos futuros esse prævidit; quamquàm, & qui morigeri, illius gratia; & qui discoli, propria culpa tales futuri erant. Deus enim neminem bonum futurum esse prævidet, nisi quem bonum facturus erat: Sicut artifex, qui truncum in silva oculis notat; non aliter prævidet ex illo futuram esse statuam, nisi quia ipsæ facturus est; potest enim sine artifice truncus esse, sed non potest esse statua. Ergo, ut dicebam, pro omnibus oravit Christus, pro electis tamen maximè.

XV. *Opponitur secundò.* Matth. 26. dicitur: *Hic est sanguis novi, & æterni Testamenti, qui pro multis effundetur.* Eademque loquendi formula passim in Scripturis occurrit; si pro multis, ergo non pro omnibus.

Respond. Imò, quia pro omnibus, ideò pro multis; qui enim veriùs multi dicuntur, quàm omnes? Et ideò Apostolus ad Rom. 5. *Sicut per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi;* Ubi vides, idem Apostolo esse, *omnes*, quòd *multos*. Quòd si Adamus omnes perdidit, Christus verò non omnes redemit, sequitur, fortius peccatum Adami ad perdendum, quàm Christi sanguinem ad redimendum fuisse, sicque non erit verùm illud Apostoli: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*, sed potiùs dicendum erit: *Ubi damnavit gratia, superabundavit delictum.* *Deinde* non pro omnibus, sed pro multis dicitur Christi sanguis effusus, quia non omnibus profuit. Ergo, & pro omnibus effusus est, & non pro omnibus. Pro omnibus quoad efficaciam; non pro omnibus, quoad fructum. Quantùm ex parte ipsius Christi, datus est omnibus, sed quia non omnes accipere voluerunt, eoque in bonum uti; non profuit omnibus, sed multis, quia non omnes, sed multi voluere. Quid efficaciùs Sole ad illuminandum, si oculos aperias? Quid inefficacius, si micanti oculos claudas, aut velum apponas? Idem dicas de Christi sanguine. Sed ea quoque ratione *multos* dixit Evangelista; ut ingentem Electorum numerum ostenderet. Planè is tantus est, ut aliqui velint, tertiam partem Angelorum qui ceciderunt, æquare. Angeli verò tàm multi sunt, ut si singulis hominibus, decem assignes, hominum verò quotquot sunt, fuerunt, eruntque sint tricies millies, decies centena millia: hoc est, triginta millia millionum; (cùm tamen dubium non sit, multò plures esse, cùm in sola China, quæ non omninò est decima sexta pars Orbis terrarum, teste Daniele Bartolo in sua Geographia Morali, trecenti milliones hominum numerentur; quot ergo erunt in Empyreo, Globo terrestri infinitis penè spatiis vastiore?) sequitur Angelorum trecenties mille Exercitus fore, quorum singuli millies mille, hoc est, millionum complectantur. Si ergo tot erunt Beati, quot tertiam partem Angelorum conficiunt; sequitur centies millies milliones Beatorum fore. Et in immensum summa excrescet, si ex sententia Sanctorum (a) Dionysii, Thomæ, (b) & Bernardini (c) dicas, plures Angelos esse, quàm Stellas, arenas, folia, herbas, ac omnia creata, quod forsan innuere Jobus voluit, cùm dixit cap. 24. *Nunquid est numerus Militum ejus?* Alii multitudinem Prædestinatorum ex proportione Martyrum colligunt, quos Romæ tantùm millies mille, & quingenta quinquaginta millia S. Birgitta *in Revelationibus suis lib. 3.* censeri posse testatur; quantus ergo erit aliorum Sanctorum numerus, toto Orbe sparsorum? Alii denique ex magnitudine Cœli Empyrei conjiciunt, quod decem millionibus vestiùs terra esse, mathematici docent; quot ergo civibus indigebit, ne maxima parte vacuum sit? Sed utcumque res se habeat; Prædestinatorum multitudinem innumerabilem esse, ipsa Scriptura sæpissimè, ac præsertim Apocalyp. 7. testatur. Quæ omnia eò spectant, ut ostendam, optimè Evangelistam dixisse, Christi Sanguinem pro multis effusum iri. *At inquies:* Si Christus pro omnium salute passus est,

(a) *S. Dionys. de cœlest. Hierarch. cap. 9.*
(b) *S. Thom. 1. p. q. 50. art. 3.*
(c) *Sanct. Bernardin. Serm. 49. Antonius Glielmus Congregation. Oratorii discursu 43.*

est, & oravit, nec tamen omnes salvantur, sequitur; Christi orationem non semper, & pro omnibus, sed aliquando tantùm, & pro multis exauditam fuisse. Respond. Orationem, ut bene advertit S. Thomas 3. *part. quæst.* 21. *art.* 1. Nihil aliud esse, quàm *explicationem propriæ voluntatis apud Deum, ut illam impleat*. Tunc ergo exauditur Christi oratio; cùm ejus voluntas impletur. At voluntas Christi erat, ut salvarentur omnes, si vellent; non salvarentur, si nollent, quæ voluntas in Christo semper impleta est; semper ergo ejus quoque oratio exaudita. Taceo, tantam esse gloriam, tantumque gaudium, vel unius Beati, ut id longè omnium damnatorum mala, & dolores superet, sicque vel unius Animæ salutem, dignam Christi Sanguine, ac precibus mercedem fuisse. Nam quòd damnati doleant, & crucientur, id totum ab igne, causisque creatis est, quæ illos torquent: Quòd verò Beati gaudeant, & fœlices sint, id totum à Deo immediatè, clareque viso procedit. Illa ergo inter Damnatorum pœnas, & gaudia Beatorum, quæ inter Deum, & creaturas proportio est. Deindè, quòd damnati puniantur, opus est Justitiæ: quòd Beati gaudiis exundent, opus amoris, & Misericordiæ; at verò quis nescit, Deum validiùs amando, & miserendo, quàm vindicando, & puniendo agere, cùm hoc invitus, illud sponte, & ideò impensiùs agat? In pœnis damnatorum semper Misericordia Justitiæ miscetur, ejusque brachium avertit, ne toto impetu, quantumque damnati merentur, in miseros ruat. At in Beatis nihil Misericordiam, nihil torrentem voluptatis moratur, quo minùs toto alveo, plenoque fluat. Denique sola Justitia est, quæ damnatos persequitur; at in Beatorum delicias, & Justitia, & Misericordia conspirant, certantque, quæ magis fœlices eos reddat; tantò ergo perfectius, & excellentius opus, quantò pluribus, & melioribus causis; sicut, & major lacus, in quem plures amnes volvuntur. Et hæc causa Augustino fuit, ut diceret, omnes in damnatis gemitus, pœnasque cessaturas, si vel momento Deum videre possent, sicque vel una Paradisi stilla in eos ignes cadente. Quid ergo erit æternitas, si tantùm est momentum? Quid erit mare, si tanta est gutta? Verba Augustini sunt: *Tanta est dulcedo futuræ gloriæ, ut si una gutta in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret*.

XVI. *Opponitur tertiò:* Hæc ipsa fuit Massiliensium, & Semipelagianorum sententia, qui passim docebant, velle Deum omnes salvos fieri, modò ipsi vocanti Deo consentiant. *Ideò enim non omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolint petere, cùm Deus velit dare; nolint quærere, cum Deus velit ostendere, nolint pulsare, cùm Deus velit aperire*. Ita refert Sanctus Augustinus lib. 4 contrà Julianum cap. 8.

Respond. Non omnia, quæ Pelagiani, aut Semipelagiani aliique Hæretici docebant, falsa esse; alioquin falsum erit, Christum natum, passum, mortuumque esse, quia ista etiam Hæretici fatebantur. Imò quàm plurima vera falsis studiosè miscebant; ut tantò securiùs, ac cautiùs fallerent. An verò, quia Dæmon professus est, *Christum esse Filium Dei vivi* Luc. 4. id verùm non erit? Sicut ergo non omnia ideò falsa, quia Dæmon dixit; quantò magis non ideò falsa, quia docuit Pelagius? Non ergo Semipelagiani hæretici erant, vel quia crederent, Deum omnibus efficacissimè salutem velle; vel quia dicebant neminem salvum fieri nisi qui vellet; hæc enim, & verissima erant, & ab Augustino, ac Catholicis omnibus concessa; sed quia docebant: *Prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem: à Deo non omnia merita præveniri: Electorum numerum augeri posse, & minui: priorem esse hominis obedientiam, quàm gratiam: initium salutis esse ex eo, qui salvatur, non ex eo, qui salvat: gratiam à voluntate præcedi, qua tantùm Medicum quærat: Fidem, aut saltem initium Fidei non ex gratia, sed ex naturæ viribus esse: eum adjuvari à gratia, qui ceperit velle, ipsum autem velle à gratia non dari: quòd credimus nostrum esse, quod operamur, Dei esse*. Hi sunt errores Semipelagianorum, quos Prosper, & Hilarius *in Epistola ad Augustinum* recensent, quæque optimè ab Augustino refutantur. Ubi etiam adverte, adeò illos speciosis rationibus, ac auro pietatis obductos fuisse, ut quod mireris, non solùm sanctitate, ac do-

ctri-

ctrina præcipuos in Gallia; verùm etiam in Africa ipsum Augustinum occuparent, priusquàm Episcopatu fungeretur, ut ipse, in libro de Prædestinatione attestatur. Neque enim induci poterant, ut crederent, sperari æternam salutem à se posse, nisi arbitrio, & viribus suis relinquerentur, hoc est, nisi spem suam fragili cymbæ, & non validissimo Myoparoni committerent. Quibus eleganter Augustinus in eodem Lib. de Bono Perseverantiæ cap. 21. Homil. 14. respondet: *Absit à nobis, ideò desperare de nobis, quia spem nostram in ipso habere jubemur, non in nobis, cùm scriptum sit? Maledictus homo, qui spem habet in homine, & Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.... Quid times, ne pereas, cujus capillus non peribit? non perit capillus, quem, cùm tondetur, non sentis, & perit anima tua, per quam sentis.* Et de Prædestinatione Sanctorum cap. 11. *Miror homines, infirmitati suæ se magis committere, quàm firmitati promissionis Dei: sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tua ne tibi voluntas de te ipso certa est?* Cæterùm alia, quæ Semipelagiani docebant, vera quidem erant, & ab Augustino admissa, sed instar lactis veneno miscebantur, ut quantò dulciùs, tantò nocentiùs libarentur.

XVII. *Opponitur quartò:* S. Augustinus variis locis illam sententiam Apostoli: *Deus vult omnes salvos fieri*, Multò aliter exponit, quàm à nobis explicata sit. Docet enim, non ita intelligendam esse, quasi Deus omnes omninò homines, quantùm ex se est, salvari velit; sed quod nullum sit genus hominum, nulla conditio, in qua non plurimi sint, qui salutem consequantur.

Respond. Augustinus, prout illi cùm Pelagianis certamen erat, hanc Apostoli sententiam explicabat. Nàm, & in eo sensu vera est, quam objectio insinuat; idque refellendis Pelagianis satis erat. Verùm cùm ex proposito rogatus est, quid de voluntate Dei omnes salvandi, quid de hoc ipso Apostoli loco sentiret, ingenuè citraque ambages respondit, ut suprà notatum est. Ut ergo de mente Augustini ferre judicium possis, *prænotandum est*, non semper in causa gratiæ unam, eandemque sententiam tenuisse. Priùs enim quàm Episcopatum iniret, Semipelagianorum erroribus tinctum fuisse, dubitari non potest. Docebat enim, fidem ex viribus naturæ esse, & illius merito gratiam dari, ut ipsemet *Libro de Bono perseverantiæ cap. 3. & 4.* fatetur, ac etiam *in Libro Retractationum*. Rursus cum in Libro de hominis arbitrio docuisset, pœnas, quibus innocentes parvuli ante Baptismum affliguntur, occultis à Deo præmiis compensari: *Quis autem novit, quid parvulis in secreto Judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus?* Epistola tamen 28. *ad Hieronymum* id ipsum recantat. Taceo inferni supplicia, quibus infantes ante Baptismum extinctos puniri censebat, quantùmvis id alibi in dubium revocaverit. In iis ergo, quæ Augustinus contra Pelagianos, aut Semipelagianos de gratia disputavit, certum est, neminem illo pulchriùs, fortiùs, eloquentiùs, ac veriùs scripsisse; adeò ut quidquid Ecclesia de gratia credendum proposuit, id totum non ex sententia tantùm, sed etiam ex verbis Augustini definiverit. Id verò quòd Augustinus ex professo contra Pelagium defendit, non aliud fuit, quàm gratiam, non ex præcedente meritò, sed ex solo Dei proposito, meroque beneplacito conferri; hìc cardo, hìc scopus omnium Augustini de gratia Disputationum. Reliqua, quæ velut incidenter, & hanc causam comitari poterant, Augustinus aut omisit tanquàm occulta, & incerta; aut se ignorare professus est; aut disputando, & inquirendo potiùs, quàm decidendo scripsit. Et ideò S. Cœlestinus Pontifex Epist. ad Episcopos Galliæ, eximius alioquin Augustini prædicator de hujusmodi accessoriis, & honorariis Quæstionibus hæc habet: *Profundiores verò, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui Hæreticis responderunt, sicut non audemus contemnere; ita non necesse habemus adstruere*. Imò ipse Augustinus lib. 1. de Bono Perseverantiæ cap. 21. *Unde recolant*, inquit, *adversus hæresim Pelagianam jam ante aliquot annos ista dicta esse, atque conscripta, quæ nunc eis displicere mirandum est: quamvis neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio Libros*, in

in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem; sed proficienter me existimo, Deo miserante, scripsisse, non tamen a perfectione cepisse: quandoquidem arroganter loquar, quam veriùs, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendi jam in ista ætate venisse. S... interest, quantùm, & in quibus rebus errem. Sanè quàm difficilis intellectu sit Augustinus, quantoque periculo ab iis legatur, qui omissa causa, quam ille contra Pelagianos agebat, alia Prædestinationis arcana quærunt, quæ ille nescire potius voluit, quàm quæri; nemo illustriori exemplo, ac malo suo, quam Cornelius Jansenius Episcopus Iprensis docuit: Is enim in suo Augustino *Libro proœmiali cap.* 11. *&* 18. testatur, se in omnibus Augustini Libris evolvendis suprà viginti duos annos operam navasse, omnesque tricies percurrisse. Quis non crederet, post tantum studium, tot annorum industriam nemini magis Augustini mentem potuisse compertam esse? Et tamen cùm omissa causa, quam Augustinus ex professo agebat, alia rimatur, quæ non agebat Augustinus, in perniciosissimas hæreses, & ab Augustino alienissimas incidit, quas primò Theologi Christiani calamo damnarunt, ac demum Innocentius X. Pontifex Maximus anathemate percussit. Taceo Calvinistarum, ac Lutheranorum ex Augustino ruinas. Semper ergo oportet hujus S. Doctoris studiosum, in scopum, & argumentum respicere, quod sibi disputandum præscripserat, alioquin si aliud, quàm scopum attendas, errabis sæpius, quam tanges. Exemplum est in præscientia futurorum conditionatorum. Dicebant Pelagiani, ex duobus parvulis, quorum unus baptizatus, alter non baptizatus decedat; eum, qui Baptismo caret, ideo Sacramento privatum esse, quia Deus peccata prævidebat, quæ, si vixisset, commissurus erat. Augustinus inter alia argumenta, quibus ineptissimum hoc commentum refutat, etiam illud urget, repetitque sæpius: Deum, quæ futura sunt, scire, non verò scire, quæ futura non sunt. *Ita l.* 1. *de Prædestinatione Sanctorum cap.* 14. *lib.* 2. *ad Bonifacium cap.* 7. *& alibi*. Quibus verbis negare videtur, posse à Deo certissimò sciri, quæ futura non sunt; sed tantùm ea conjici juxta suppositionem, ac pericula causarum secundarum. Sed cùm Augustinus non id ex professo tractet, sed cursim tantùm, & aliud agens, nemo dixerit, hanc Augustini sententiam esse: Aliud enim est Augustini dictum, aliud Augustini sententia; hæc enim discussionem, & examen requirit. Non dissimile exemplum ex Augustino proferri posset de pœnis parvulorum sine Baptismo decedentium. His ergo priùs observatis restat, ut ad objectam Augustini authoritatem respondeamus. Dicimus enim, Deum efficaciter velle, & non velle omnes salvos fieri. Vult, si utantur mediis ab illo sapientissimè præscriptis; non vult, si mediis uti nolint. Non verò omnibus eadem, sed aliis alia præscripsit, ut postea copiosiùs dicetur. In qua quidem Dei voluntate aliud est facillimum, aliud difficillimum captu. Quis enim non facilè capiat, Deum nolle iis salutem, qui salvari nolint? At ex adverso quis unquam rationes, & causas compertas habuit, cur uni, non alteri media, & gratias providerit, quibus efficeretur, ut vellet? Planè hæc est altitudo, quam Paulus expavit, & quam mirari potiùs conveniat, quàm metiri. Jam verò non aliter ab Augustino Dei propositum omnes homines salvare volentis intellectum fuisse, quàm à nobis explicatum est, ex illis patet, quæ suprà clarissimis testimoniis ostensa sunt. Unum tantùm, aliudve repetemus. Idem ergo Augustinus de Spiritu, & Littera cap. 33. ita loquitur: *Vult quidem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non tamen eis adimendo liberum arbitrium, quo bene, vel malè utentes justissimè judicentur, quòd cùm fit, infideles contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt*. Observa, ex Augustini sententia benignam Dei voluntatem in omnes etiam reprobos extendi, nullumq; excludi, nisi qui libero arbit. nolit. Quod etiam apertissimè S. Prosper fidelissimus S. Augustini Discipulus docuit, qui Responso tertio ad Gallos ita scribit: *Ideò non sunt prædestinati, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt*. Tota ergo causa, quòd prædestinati non sint, non Dei, sed hominis voluntas fuit, Deo, quantùm ex ipso est, omnibus

bus ad salutem parato, sed peccatore salutem recusante, & mortem ante vitam malente. Idem Augustinus *l. 1. de Nat. & Grat. cap. 17.* Cùm ei Pelagius objecisset: Deus potest omnia sanare. Respondet: *Deus utique hoc agit, ut sanet omnia, sed agit judicio, nec ordinem curandi accipit ab ægroto.* Non ergo negat Augustinus. Deum velle omnibus salutem, imò quoad hoc cum Pelagio consentit, sed tantum negat, modum sanandi ex hominis voluntate pendere, Vult sanare omnes, sed non eodem modo, nec hominis arbitrio, sed suo. Denique sæpissimè Augustinus eam regulam inculcat. *Deus neminem deserit, nisi priùs deseratur*, ut suprà quoque notatum est. Atqui falsissimum id est, si aliquos propria voluntate, nullaque eorum culpa salvos esse nolit: quid enim aliud est deserere, quàm nolle salvare? Atqui jam ab æterno quàm plurimos, imò plerosque salvare noluit, deseruit ergo, & deseruit, ut dicis, non quia prævidit deserturos, sed quia voluit: quid amabò hoc est aliud, nisi priùs deserere, quàm deseratur? Aut quæ desertio major, ac prior fingi potest, quàm quæ omne tempus, omnem hominis voluntatem, omnemque culpam prævolavit, & qua posita homo certissimè periturus est. Si ergo Deus quantùm ex se est, non vult omnes salvos fieri, sequitur, eum ab æterno priùs aliquos deserere, quàm deseratur. Atqui hoc Augustinus, hoc ratio negat: Cur enim voluit condere, si voluit destruere? Nemo sapiens hoc fecit, quantò magis non fecit Sapientia? *Nec enim*, inquit Augustinus, *amas, & deseris.* Tam non est amoris deserere, quàm non est hederæ non hærere. Tunc ergo credam, voluisse priùs deserere Deum, quando mihi ostendes, voluisse Deum non amare. Planè cùm constet, Deum ideò hominem condidisse, quia amavit; oportet mihi ostendas, quid causæ fuerit, ut quam primùm creavit, mox voluntatem suam, & amorem mutaverit, ut quem priùs diligendo creaverat mox creatum non diligendo reprobaverit. Præsertim cùm divina voluntas immutabilis sit, nec alia esse possit, nisi postquàm objectum aliud esse cepit. Quid ergo mutatum est, ut hominem, quem priùs amavit, & ideò condidit, mox non amaverit, & ideò deseruerit? Quid, inquam, mutatum est? Deus? at mutari non potest: Homo? at nihil deliquit, quò in alium mutaretur: qui ergo fieri potuit, ut priùs amaret, ac posteà non amaret, & ideò desereret, nulla in Deo, nulla in homine facta mutatione? Fixum ergo, ratumque sit, Deum non deserere, nisi deseratur, & hanc esse Augustini sententiam.

XVIII. *Opponitur quintò*. Divinæ, & efficaci voluntati nemo resistit; si ergo Deus vult omnes salvos fieri; sequitur, omnes salvos futuros, nullumque periturum.

Resp. Si quid hæc objectio convinceret, sequeretur, neminem quoque peccaturum; quid enim efficaciùs vult Deus, quantùm est de se, quàm non peccari? nemo enim dixerit, non velle Principem efficaciter, quod prohibet indicta morte, quantò magis si morte, ac supplicio æterno? Cujus ratio est, quia Deus aliter cum causis necessariis, aliter cùm liberis agit. Cùm necessariis agit, ut effectus necessariò sequatur, & ideò nunquàm non id sequitur, quod jubet: Cùm liberis verò agit liberè, & ideò licèt ex parte sua salutem efficaciter velit, ac media de se potentissima suggerat eam obtinendi; relinquit tamen, ut ex Augustino vidimus, homini libertatem ea recusandi, si malit. Vult enim salvare hominem, si velit; at si nolit, vult punire; sicque Dei voluntas nunquàm non impletur. Idque magis explicari adhuc potest familiari Sanctis Patribus exemplo, quod jam suprà libavimus. Nemo negat, Solem, ejusque lucem ad illuminandum efficacissimam causam esse; hic tamen, quòd cùm causa libera concurrat, sæpe non illuminabit, homine videlicet oculos claudente, aut velum, ne influat, opponente; stare ergo potest efficacia causæ etiam effectu cessante. Ita Deus; *Erat*, inquit, Joannes 1. *lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Ecce tibi lucem omnem Mundum illustrantem! sed nunquid omnes illuminati sunt? minimè inquit: *sed hoc est judicium, quia lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, Joan. 3.* Vides hic iterum lucem omnia illuminantem, & non omnia illuminantem. Omnia, quantùm ex parte sua est: non omnia, quantùm ex parte hominis est: *dilexerunt*, inquit, *magis tenebras*, hoc est, clauserunt oculos Soli, noluerunt

fulgurantem admittere, noctem, quàm diem maluerunt, sicque in tenebris, & umbra mortis jacuerunt, nulla Solis, sed sua culpa. Isti ergo sunt, de quibus Job 24. dicitur: *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus; qui dixerunt, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. In quæ verba Gregorius: *Lumini ergo rebelles sunt, qui elationis suæ scutum jaculis veritatis objiciunt, ne salubriter in corde feriantur*. Narrat Solinus c. 34. Atlanticos Africæ populos adeò Solem aversari, quòd ejus radiis torreantur, ut orientem alii conviciis, & jaculis impetant, alij verò in silvas, & speluncas se condant. *Usti*, inquit, *torrente Sidere, oderunt Deum lucis*. Tales sunt Reprobi. Habent Solem, habent lucem, sed eam oderunt, & persequuntur, multoque minùs admittunt: quem ergo, si non videant, & ideò impingant, & cadant, quem, inquam, nisi se ipsos accusabunt? Audi iterum S. Thomam lib. 3. contra Gentes cap. 159. *Considerandum est, quòd sit in potestate liberi arbitrii impedire receptionem gratiæ, & ideò non immeritò ei imputatur, qui ponit impedimentum: Deus enim quantùm est ex se, paratus est, omnibus gratiam dare, vult enim omnes salvos fieri; sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant*.

XIX. *Opponitur Sextò*. Si Deus, quantùm est ex se, vult omnibus; & voluntate quidem efficaci vitam æternam; cur ergo non dat omnibus media, quibus prævidet fore, ut illam adipiscantur?

Responderi multa ad hanc oppositionem possunt. *Primò*, id quod Apostolus, & post eum Augustinus, omnesque Patres responderunt; id videlicet ad Dei judicia pertinere, arcana quidem, sed tamen justa; & ideò tam non licere hominibus explorare, quàm non licet mancipio secretum Principis cubile irrumpere, intraque velum protervè, nec vocatum irruere. *Noli scrutari, si non vis errare*, inquit Augustinus. Et in Libro de Spiritu, & Littera cap. 34. *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quis me voluerit coarctare, cur illi ita suadet, ut persuadeat; illi verò non ita; duo solùm mihi respondenda occurrunt. Primò: O Altitudo Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus! Deinde non est iniquitas apud Deum. Cui ista non sufficiunt, quærat alium me doctiorem, sed caveat, ne inveniat præsumptiosiorem*. Hæc perpetua est Augustini responsio, quoties hanc illi litem Pelagiani moverunt. Nec planè mirum est, non posse nos causas hujus divinæ, & secretissimæ voluntatis intelligere, cùm nec earum rerum intelligamus, quæ nobiscum sunt quæque ante oculos versantur. Cur magnes in solùm Aquilonem, non in Meridiem, non in Orientem volvitur? Cur Laurus nunquam fulmine icitur? quod etiam de dormientibus Plutarchus testatur *l. 4. Convival. quæst*. Cur teste Aristotele *l. 4. de Animal. lib*. Aquila quamvis voracissima, ac calidissimi sanguinis, nunquam sitit, nec bibit? Cur musca senis pedibus, magnus verò Elephas quaternis tantùm incedit; cùm tamen sicut magnæ domui plures columnæ, ita magno corpori plures pedes convenisse videantur? Cur truncato arbori ramo alius ramus; non verò truncato homini brachio, aliud brachium succedit? Si ergo, istorum, quæ videntur, quæque in terris fiunt, ratio quidem est, sed tamen reddi non potest; quantò magis illorum quæ in cœlis fiunt, quæque videri non possunt? quòd si causa reddi non potest, cur illam quæris? priùs de terra, si potes, posteà de cœlo responde. Nec verò in hujusmodi rebus imprudentis consilii est, sed prudentissimi ignorantiam fateri; paris enim dementiæ est, velle scrutari inscrutabilia, quàm velle videre invisibilia; quem enim non risu, & contemptu dignum censeres, qui oculis gustare, aut auribus videre aliquid vellet? Atqui non minoris insaniæ est, intellectu, ac ratione humana capere velle, quæ omnem intellectum, & rationem longissimè superant, *ideò enim creduntur, quia non capiuntur, nam si caperentur, non crederentur*, inquit, idem Augustinus *lib. de Bono persev. cap. 14*. qui etiam optimè monet, ut suprà quoque advertimus, *non ideò à nobis neganda esse, quæ manifesta sunt, quia non comprehenduntur, quæ occulta sunt*. Quis enim neget, mare fluere, ac refluere, quia hunc motum non capit? terram in puncto suspendi, quia causas nescit? totum, & quamvis vastissimum circulum in uno centro compingi, quia rationem ignorat? totam animam in toto corpore, & totam in qualibet ejus parte reperiri, quia

quia de modo non constat? & deinque quis motum localem inficiatur, quia solvere Zenonis argumenta non potest? Hæc si vera sunt in rebus naturalibus, quantò veriora in rebus divinis, in quibus idem, quod in coloribus accidit, ut videlicet, licèt pulcherrimi sint, nigri tamen, obscurique videantur, quia remoti. Constat ergo Deum amare, constat bonum, ac justum esse; constat, gratiam dari quæ libertatem non tollat; constat libertatem dari, quæ gratiam non impediat; constat, Dei scientiam falli, & errare non posse; at quomodo hæc omnia inter se conveniant, nec unum alteri obstet, non satis constat; num ergo negabis, quæ constant, quia aliqua ignoras, quæ non constant? At hoc delirare, non philosophari est. Demus, Deum aliquid velle, ac facere posse, quæ fateamur, nos intelligere non posse; tam enim si humano intellectu caperetur, non esset Deus, quàm si concha caperetur, non esset mare; ergo quæ patent, non negentur, quæ verò non patent, vera esse credantur. Optimè etiam huc facit alia S. Gregorii Magni regula, quàm in Moralibus tradit, videlicet, veritatem, & æquitatem divinorum Judiciorum, quæ adhuc occulta nobis sunt, ex iis metiendam, ac probandam esse, quæ dum laterent, ejus bonitati haud consentanea videbantur, sed postea experientia, & exitus docuit, justissima fuisse. Quis, cùm videret, servire Josephum, duci Susannam, Hæbræos Juvenes in flammas jactari, Danielem leonibus projici; quis, inquam, cùm ista spectaret, non continuò crederet, periisse innocentiam, nec Deo cordi esse? Atqui contrarium exitu patuit, nunquàm videlicet magis vicisse, ac triumphasse pietatem, quàm cùm victa, & oppressa videbatur. Idem de aliis Dei judiciis, ac Prædestinatione dicendum est. Modò ista non capis; at nec illa capiebantur: modò dura videntur, at illa quoque dura videbantur: sed illa tandem æquissima fuisse exitus ostendit; ergo idem de istis aliquando exitus ostendet. Noli ergo de tela ante fimbriam judicare, & finem expecta, ac quæ futura sunt, ex præteritis disce. Verba S. Gregorii sunt: *Sed ecce cùm hæc audivimus, cordi nostro quæstio oritur, cur omnipotens, & misericors Deus in tantam cæcitatem cadere rationem mentis humanæ permiserit? Ne verò quispiam ultrà, quàm debet, occulta Dei judicia discutere præsumat, rectè subiungitur: Nunquid Deum quisquam docebit scientiam? cùm in his enim quæ de nobis aguntur, ambigimus, debemus alia, quæ nobis sunt certa conspicere, & eam quæ de nostra nobis incertitudine surrexerat trepidationis querelam placare.* Cùm Romæ causa aliqua in Senatu agitabatur, de cujus meritis non satis constaret, in hæc verba loco sententiæ Patres pronunciabant: *Non liquet*. Idem in causa Prædestinationis dici possit: cur Petrus, non Judas emendatus, cùm utrumque Deus posset? *Non liquet*: cur Jacobus, non Esau dilectus? *Non liquet*. Cur aliqui vocati, ut sequantur; aliqui vocati, nec sequuntur, cùm Deus omnes istos vocare posset, ut sequerentur? iterum, iterumque, *non liquet*. Quid minùs postulare à Christianis Deus potest, quàm ut cum illo tanquàm cum reo agant, & absolvant, ac justissimum credant, quamdiu in causa non liquet? Sic Apostolus, sic Augustinus respondit: quoties non in Senatu, sed in Ecclesia lis ista Deo movebatur.

Ipse tamen Augustinus optimè advertit, licèt modò penetrari à nobis abyssus ista divinorum Judiciorum non possit: id tamen in altera vita futurum. Verba Augustini sunt *serm. 22. de verbis Apostoli. Et lib. 2. de Civit. Dei: Videbimus istorum occultorum apertissimam rationem..... Manifestabitur in judicio, cur hæc mentes mortalium modò lateant, cùm tamen in hac re Justorum mentes non lateat, justum esse, quod latet.* Idipsum insinuat Apostolus; sibi videlicet in cœlos admisso arcana verba audita esse, quæ non *liceat homini loqui*: quid verò arcanum magis, quodque minùs exponi possit, quàm negotium Prædestinationis? Audivit ergo Paulus, sed sub rosa, & cum pacto silentii. Ubi observa, non dixisse Paulum, quæ loqui homo *non potest sed quæ non licet*. Si Paulus audivit, si loqui potuit, sed non licuit; ergo hujusmodi arcanorum rationes, & causæ dantur, illæque Beatis compertæ, sunt, nobis tamen inter Mortales versantibus occultæ; quid ergo miraris, videre Aquilas, quod noctuas latet? Legitur in vita S. Angelæ Fulginatis, ei quoque cœ-

lestia contemplanti, ac in extasim raptæ subitò divinorum Judiciorum momenta, & causas patuisse, ac singillatim, ac velut radio descriptas oculis objectas esse; tantam verò in illis æquitatem, pulchritudinem, sanctitatem, ac sapientiam effulsisse, tantoque eorum aspectu, & gaudio, & amore perfusam, ut paratissima esset, si Deo ita lubitum foret, illa experiri, æternumque subjacere. Ergo dum velum pendet, non accusentur, non damnentur, quæ needum spectantur; erit tempus judicandi velo sublato, ac theatro patente. Sed Augustinum ipsum audiamus de hac impermeabili abysso pro more suo elegantissimè perorantem; sic enim Serm. 22. de Verbis Apostoli loquitur. *Dicis itaque mihi, cur adhuc quæritur? quis enim voluntati ejus resistit? O homo tu qui es, ut respondeas Deo? quis sit ille, attende, quis sis tu, attende: ille Deus est, sed tu homo. Sed justitiam tibi loqui videris tu, & fons ille justitiæ siccatus est? Si justum loqueris, unde tibi nisi à justo Deo? quid ergo dubitas justum, à quo est omne justum? aut si injustum loqueris, debes tacere. Primum ergo fundamentum Fidei pone, nunquid iniquitas est apud Deum? latere te æquitas potest, esse illi iniquitas non potest. Expectas à me fortasse, ut dicam tibi, quare cujus vult miseretur, & quem vult indurat? sed si, & tu homo, & ego homo, ambo audiamus: O homo tu quis es, ut respondeas Deo? melior ergo est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia. Si homo sum; non indigner; excedam hominem si possum, & forte attingam. Quòd si æquitatem illam, quæ est apud Deum, modò non videmus, finietur via, & veniemus ad Patrem; non potest videri tempore viæ, videbitur tempore Patriæ; ibi æquitatem Dei videbis, illic leges in Verbo, & sine Codice. Cùm ergo perveniemus ad speciem, æquitatem Dei videbimus, & jam non erit ibi dicere, quare huic subvenit, & huic non? quare ille ductus est, ut baptizaretur, ille autem cùm bene catechumenus vixerit, subita ruina mortuus est, & non pervenit ad Baptismum? ille cùm sceleratè vixerit, cùm Mœchus, cùm Scenicus, cùm Venator, ægrotavit, baptizatus est, decessit, & peccatum in eo deletum. Quære merita, non invenies, nisi pœnam, quære gratiam, & ecce, O altitudo divitiarum! Petrus negat, Latro credit. O altitudo divitiarum! hoc nos putas perscrutari posse, quod Apostolus expavit? quæris tu rationem, & ego expavesco altitudinem. Tu ratiocinare, ego mirer: tu disputa, ego credam. Altitudinem video, ad profundum non pervenio, ò altitudo! Nemo ergo quærat à me occultorum rationem. Paulus dicit, inscrutabilia sunt judicia ejus, & tu scrutari venisti? si inscrutabilia scrutari venisti, & investigabilia vestigare, venisti, crede, jam periisti. Tale est velle scrutari inscrutabilia, & investigare investigabilia, quale est, videre invisibilia, & fari ineffabilia.* Et tract. 53. in Joann. *Quod si nos ultimus dies proficientes invenerit, ibi discemus, quod hic non potuimus.*

Alterum, quod responderi ad factam objectionem potest, illud est: in hac dispari gratiarum dispensatione, non tam quærendum esse, cur Deus hanc tibi gratiam tribuat, non illam; sed potiùs, cur tu illa, quam tribuit, uti nolis. Sicut si carcere clausus à Principe clavem acciperet, qua erumpere custodia posset januis apertis, nec tamen clavibus uti, sed murum carceris everti vellet, non tam quærendum esset, cur Princeps clavem offerret, non murum everteret, sed potiùs, cur oblata clavi uti captivus nollet? ejus enim nihil interest, clavi, aut muro evadere, modò evadat; at Principis plurimum referre potest, cur unum, quàm aliud malit. Non ergo tam quærendum est, cur Princeps hoc potiùs modo, quàm illo juvare reum velit; sed quærendum, cur reus juvari hoc modo nolit, quo Princeps jubet? Idem de Deo dicas, cujus voluntas quantò certiùs justissima, & sapientissima est; tantò minùs examinanda, & judicanda est; quis enim examinat certa?

Tertiò denique *respondetur*, Deum ad diversissimos gradus gloriæ, & per diversissima quoque media juxta infinitæ providentiæ suæ sapientissimas regulas homines destinasse; nec enim minor in ordine supernaturali, quàm naturali varietas est. Inter tot stellarum, gemmarum, florum, plantarum, brutorum, volucrum, hominumque millia, nullum alteri simile; alia species, alius color, alia figura, aliæ dotes, aliæ facies, alii mores. Cùm enim omnis creatura sit vestigium quoddam, & exemplar divinæ perfectionis, nulla verò creatura totam inte-

integramque exprimere possit (nam si omnia, quæ in Deo sunt, exprimeret, jam infinita non esset) opus pluribus, & variis fuit, ut quod singula non possent, omnia conjunctim, ac quantùm licet, explicarent. Verba Doctoris Angelici sunt 1. p. quæst. 47. *Dicendum est, quòd distinctio rerum, & multitudo est ex intentione primi agentis, quod est Deus. Producit enim res in esse propter suam bonitatem communicandam creaturis, & per eas repræsentandam, & quia per unam creaturam sufficienter repræsentari non potest, producit multas creaturas, & diversas, ut quod deest uni ad repræsentandam divinam bonitatem, suppleatur ex alia. Nam bonitas, quæ in Deo est simpliciter, & uniformiter, in creaturis est multipliciter, & divisim. Unde perfectiùs participat divinam bonitatem, & repræsentat eã totum Universum, quàm alia quæcumque creatura.* Sicut ergo infinita Dei perfectio causa est varietatis in bonis naturæ, ita quoque in bonis gratiæ, & ideo alia gratia est, quæ datur Petro, alia quæ Paulo, alia quæ Judæ; sic tamen alia, ut omnibus ad bene operandum accommodatissima sit, non secus, ac in magno exercitu, & à peritissimo Duce, non omnibus eadem arma tribuuntur, sed aliis gladius, aliis lancea, aliis tela, aliis faces, omnia tamen ad pugnandum, & vincendum aptissima. Quod ergo militibus sunt alia arma, hoc sunt Christianis aliæ gratiæ; nec si miles lanceam abjiciat, Ducis est crimen, nec si Christianus gratiam recuset, Dei est culpa: & potuit, & debuit miles, debuit, & potuit homo. Idem ergo est interrogare, cur Deus non eandem Judæ, & Petro gratiam dederit, quod interrogare Imperatorem, cur non eadem arma pediti, equitique non eandem lanceam tribuerit? sufficit, omnibus datum esse, quo commodissimè vincere, ac triumphum mereri possent; si noluit, crimen militis, non Ducis fuit. Alio nec minùs apto exemplo explicari id ipsum potest. Statuit Rex aliquis adolescentem sanguine sibi junctum; sed ærumnis confectum, & in exilio procul degentem, in filium, Regnique hæredem adoptare. Missis ergo Legatis ad palatium vocat, utque iter faciliùs, nulloque labore absolvat, jubet servos, comites, equos, currus, aut si malit aqua vectari, navim instructissimam adornari, ac multam pecuniam offerri, darique electionem, curru, equo, an navigio iter aggredi malit, & ad thronum capessendum venire. At ignavus adolescens, & otio diffluens, molestiam itineris causatus, domi hærere, ac oblatam purpuram recusare. Rex socordia tantam gratiam respuentis offensus, alium in Regnum adlegere, ac throno imponere, primo illo in exilio, otioque & ærumnis marcente; qui ubi intellexit, alium ad Imperium evectum, omnia querelis, & accusationibus implet, & culpam totam in Regem refert, qui ad iter, Regnumque capessendum non illa media submiserit, cum quibus certò prævidebat, iter arrepturum fuisse: nam si currum illum igneum, quo Elias in Cœlum abreptus est, aut Angelum misisset, qui Prophetam capillo sublatum Babylonem per aera transvexit, aut alas commodasset tot aliis volucribus multò homine inferioribus concessas, certò se viam ingressurum, & ad Regnum, quo vocabatur, perventurum fuisse. Si hoc, inquam, ignavus ille diceret, quis non meritò irrideret, ac non injustas tantùm, sed insanissimas querelas crederet? At id ipsum faciunt, & dicunt peccatores, quicumque iis gratiis, quas à Deo copiosissimè acceperunt, abusi, ac propterea cœlesti Regno exclusi, culpam in Deum referunt, frigideque interrogant, cur non auxilia tribuat, quibus prævidebat, certissimò consensuros, ac postea salvatum iri? quibus respondendum est, velle Deum, omnes salvos esse, modo tamen, ac ratione non qualicumque, sed à se sapientissimè præscripta; sicut vult æstatem, vult autumnum esse, Sole tamen non in quocumque sed in Cancri, Leonis, Libræ signo metente; & ideo stultus omnino esset, quicumque, in Aquario, aut Piscibus messem, & vindemiam quæreret. Vult ergo Deus, & Petrum, & Judam salvos esse, sed non eodem modo, nec eadem gratia Petrum, qua Judam. Quid enim non fecit, ut Judam salvaret, & ab exilio peccati, quo tenebatur, ad pœnitentiam primò, ac deinde ad æternum Regnum proveheret? in Collegium Apostolorum accepit, inter amicos conscripsit, testem sanctitatis, ac miraculorum suorum fecit, docuit, monuit, minatus est, prædixit, osculo, amplexu strinxit,

ac jam jam sceleri pertinaciter accinctum cum armata cohorte ad terram allisit, quid amabò facere ampliùs debuit, ut obstinatissimum expugnaret? Habuit ergo Judas, & pedes, & currum, & navim, quibus iter salutis ingrederetur. At si gratiam Petro, & Magdalenæ datam haberet, vitam mutasset. Verùm quid hoc aliud est, quàm cum inerti illo Adolescente, quadrigam Eliæ, & volucrum pennas optare, cùm ad iter faciendum equus, & rhedæ, navisque sufficiant. Deinde quis novit cum ea gratia, quæ Petro, & Magdalenæ data est, Judam conversum iri, cùm fortè plures, ac majores gratias utroque acceperit? Etiam Epulo Evangelicus Fratres suos ad meliorem frugem redituros sperabat, si ad illos mortui mitterentur; sed responsum est: *Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos, etiamsi aliquis ex mortuis ad eos venerit, non credent*. Vult ergo Deus & Petrum, & Judam, & Reprobos, & Electos, omnesque homines salvos esse, vult omnibus media dare, non solùm quæ sufficiant, sed etiam quæ abundent. Cur verò non dat alia, quibus prævidet, salvatum iri? quia id tam non convenit varietati, ordinique, ac legibus gratiæ à se præscriptis, quàm non convenit Universo æstatem esse, nisi Sole Cancrum obtinente quàm non convenit homini, alio modo, quàm oculis videre, aut alia ratione, quàm pedibus iter facere. Sicut ergo non ideo oportuit, mutare leges naturæ, quia tu illi subjici recusas, ita non oportuit mutari ordinem gratiæ. Totam hanc doctrinam ipse Augustinus paucis quidem, sed clarissimis verbis insinuat lib. 1. de Nat. & Grat. cap. 17. *Hoc utique agit Deus, ut sanet omnia, sed agit judicio suo, nec ordinem accipit ab ægroto*. Ecce concedit Augustinus, velle Deum omnes salvos esse, sed non eodem ordine, iisdemque remediis, nec ex voto, arbitrioque hominis, sed suo. Sicut enim noluit dispositionem, nexumque causarum naturalium singulorum electioni permittere; ita multoque minùs ordinem ac nexum causarum supernaturalium, quæ quantò nobiliores, tantò minùs decuit ex alieno judicio, nutuque pendere. Quòd si tamen tibi ista non sufficiant, quæ convincendo etiam pertinacissimo sufficere deberent; redeo ad prima, & cum Augustino iterum, iterumque inculco: *Noli scrutari, si non vis errare*.

XX. *Objicitur septimò*. Hæc sententia, quæ dicit, Deum, quantùm ex parte sua est; omnibus æqualiter gloriam velle, videtur Sacris Litteris adversari, & iis præsertim, quæ S. Apostolus sæpissimè ad Rom. 9. & 11. repetit: Illic enim cùm disputationem aggressus esset, cur Deus rejectis Judæis, Gentiles ad Fidem elegisset, id totum in Dei voluntatem, occultumque propositum refundit. Verba Apostoli sunt: *Cùm enim nondum nati fuissent, aut boni, aut mali aliquid egissent, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est eis: quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.... Moysi quoque dicit: Miserebor, cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor: igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.... Dicit enim Scriptura Pharaoni: in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, ergò cujus vult miseretur, & quem vult obdurat..... An non habet figulus potestatem ex eadem massa faciendi aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?.... quod ergo quærebas Israel, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est: cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est: dedit eis Dominus Spiritum compunctionis, oculos, ut non videant, aures, ut non audiant usque in hodiernam diem; conclusit enim Dominus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*. Hactenus Apostolus, ex quibus argumentari ita licet? Deus Jacobum dilexit, Esau odio habuit; quæro; unde tanta disparitas, unus diligeretur, alter odio haberetur? ex parte hominis? at nondum nati, nondum operati erant, ergo ex parte Dei: si ergo Deus ante omne opus alium diligit, alium odio habet; sequitur Deum, quantùm ex se est, non in omnes æqualiter propensum esse. Neque dicas: Nihil quidem mali operatum Esau fuisse, antequam nasceretur; prævisum tamen malè operaturum, & ideo non amore, sed odio dignum fuisse. Primò enim in Scripturis inauditum est, Deum aliquem odio, aut pœna prosequi propter peccata, quæ nondum fecit, sed quæ facturus est; amat enim Deus, qualis aliquis est, non qualis futurus est. Deinde, si Deus

si Deus unum diligit, quia prævidit bonum; alium verò odio habet, quem prævidet, malum futurum esse; quid opus Apostolo fuit, tam longam disputationem texere, tot causas inquirere, se in omnem partem versare, ac tandem ad occulta, & inscrutabilia Dei judicia, velut ad asylum confugere, cùm facillimè se labyrintho explicare, totamque causam duobus verbis absolvere potuisset, si dixisset, unum dilectum, alium rejectum esse non ex operibus quidem bonis, malisve, quæ jam fecissent, cùm nondum nati essent, sed quæ prævidebantur facturi, si nascerentur. Rursus ea verba: *non ex operibus, sed ex vocante, & ut propositum Dei maneret, dictum est: quia Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; clarissimè insinuant, quòd unus præ alio diligatur, non operibus, sed Dei proposito adscribi. Si ergo Deus nullam operum rationem habet, sed sola sua voluntate Esau à Jacobo distinguit, non ergo, quantùm ex se est, omnes vult æqualiter salvari. Illa quoque verba: *Miserebor, cujus misereor*, clarè significant, Misericordiam à Deo non omnibus, sed aliquibus tantùm præstari, nam si omnibus: non diceret, *Miserebor, cujus misereor*, sicut quia omnes homines moriuntur, frustra dicitur, eos mori, quos Deus vult, cùm velit omnes. Idem, & præcipuè ex illis verbis colligitur: *cujus ergo vult, miseretur, & quem vult obdurat: an non habet figulus potestatem, &c.* Si enim aliquorum miseretur, quia vult, aliòs verò obdurat, quia vult; sequitur, voluntatem Dei non omnibus propitiam esse; quis enim propitiam illis dicat, quos obdurat? hoc est quorum non miseretur, ut exponit Augustinus. Et sicut, quòd ex eodem luto, eademque massa alia sint vasa ad honestos, alia verò ad sordidos usus; nihil aliud, quàm figuli voluntas in causa est; ita quod Pharao, quòd Judas ex reprobis; quòd Paulus, quòd Petrus ex electis sint; nullam planè aliam causam, quàm Dei voluntatem Paulus agnoscit.

Cùm hæc objectio multa complectatur, ad singula respondendum est.

Primò igitur observa, hunc Apostoli locum, unum ex illis esse, de quibus Sanctus Petrus scribit 2. 3. *Sicut, & charissimus Frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam vobis scripsit; sicut, & in omnibus Epistolis, in quibus quædam sunt difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant.* Et planè his maximè Pauli verbis Lutherus, & Calvinus ad errores suos muniendos abusi sunt. Cùm ergo clarissimis Scripturæ testimoniis ostensum sit, Deum velle omnes salvos fieri, omniumque misereri; quæ ratio patitur, ut clarissima, & planissima testimonia, obscurissimis illis, & abditissimis cedant? Nam quæ clara sunt, per obscura impugnari non debent, sed obscura potiùs per clara monstrari; alioquin si certam veritatem incertis rationibus urgeas, idem fuerit, quod velocissimum cervum lenta testitudine, aut claudis, cæcisque canibus leporem venari. Quæ igitur Paulus de Gentium vocatione prosequitur, vera quidem sunt, sed *difficilia intellectu*, & ideò obscura, non ergo probationi idonea. Adde, quæ in Scripturis uno loco dicuntur, cùm aliis conferenda esse, id enim veritati, quod remotis procul stellis contingit, ut videlicet conjunctæ non solæ appareant. Tu dicis, *non est currentis*, ego respondeo: *Sic currite, ut comprehendatis*. 1. ad Corinth. 9. Tu dicis: *Non est volentis*; ego respondeo: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis* Isa. 1. vers. 9. *Si volueris servare mandata, conservabunt te: Ante hominem vita, & mors, quod placuerit ei, dabitur illi:* Eccl. 15. Tu dicis: *Esau odio habuit*: at ego respondeo: *Nihil odit eorum, quæ fecit*. Sap. 11. 25. Tu dicis: *Est solius Dei miserentis*; at ego respondeo: *Misereamur impio, & non discet justitiam:* Isa. 16. *Curavimus Babylonem, & non est curata*. Isa. 51. 9. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* Matth. 23. 37. Non ergo est solius miserentis, & curantis Medici, sed etiam volentis ægroti. Tu dicis: *Cujus vult, miseretur*; at ego respondeo: *Omnium enim misereris, quia omnium Dominus es*. Sap. 11. *Et neminem perire vis* 2. Pet. 3. Tu dicis, *quos vult, indurat*; at ego respondeo: imò Deus est, qui monet, & jubet: *Si vocem ejus audieritis; nolite obdurare corda vestra*. Psalm. 4. Non ergo obdurat, qui prohibet obdurari. Et iterum. Deus est, de quo Apostolus:

Ipse

Ipse autem neminem tentat. Jacob. 1. si non tentat, quantò minùs obdurat? Tu dicis: *Deus excitavit Pharaonem; ut in ipso ostendat potentiam suam*. At ego respondeo: *ne dicas; ille me implanavit, non enim sunt ei necessarii homines impii* Eccl. 15. Denique tu dicis: *Nunquid non habet figulus potestatem aliud quidem vas faciendi in honorem, aliud verò in contumeliam?* At ego respondeo: *Nunquid voluntatis ejus est mors impii, & non potiùs ut convertatur, & vivat?* Ezech. 18. *Nunquid non vult omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire?* Ad Timoth. 3. Ergo vult omnes vasa honoris, & vitæ, non vasa mortis esse, aut contumeliæ. Si ergo Scripturæ cum Scripturis conferantur, ut fieri oportet; vera sunt, quæ Paulus dixit, sed falsa, quæ ex Paulo colliguntur, nec eo sensu intelligenda, quem cortex verborum ostentat.

Secundò circa ea verba: *cùm nondum nati essent, aut quidquam boni, vel mali egissent, dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, sciendum est, si sensum litteralem, & proximum eorum verborum attendas, non de electione aut reprobatione intelligenda esse; sed tantùm de temporali fœlicitate, in qua Jacob prælatus est, Regno in eum, ejusque posteritatem translato, ac Esau, & Idumæis adempto, ad quos alioquin jure Primogenitorum spectabat. Sic enim apud Malachiam cap. 1. (ex quo Paulus hanc sententiam accepit) legere est: *Dilexi Jacob, Esau autem odio habui, & posui montes ejus in solitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deserti*. Et ipse Paulus loco citato: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est: quia major serviet minori*; totum ergo odium fuit, quòd major serviret, & in catenis Babylonis hæreret, minore regnante, & libertati restituto. Est verò idiotismus, & phrasis Hebraica qua Hebræi, cùm comparativis careant, dicunt, odio haberi, *qui minùs diliguntur*, & *non esse*, qui sunt quidem, sed infrà alium; quòd mille exemplis ostendi ex Sacris Litteris posset. Unum tantùm, alterumve dabimus. Gen. 29. in textu Hebraico dicitur. *Videns autem Dominus, quòd odio haberetur Lia*; hoc est, quòd minùs, quàm Rachel diligeretur. Et Luc. 14. *Si quis non odit Patrem suum, & Matrem suam, non potest meus esse Discipulus*, hoc est, nisi quis minùs Patrem, & Matrem, quàm me dilexerit. Et Matth. 5. *Audistis, quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, id est, minùs inimicum, quàm amicum diliges? Et Joan. 12. *Qui odit Animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*; hoc est, qui minùs vitam temporalem, quàm spiritualem diligit. Et 1. ad Corinth. 3. *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui dat incrementum*; hoc est, qui plantat, qui rigat nihil ferè agit, si cum Deo componas incrementum dante. Nihil ergo aliud est *odium*, quàm *minor dilectio*, alioquin si de vero odio, & reprobatione intelligas, sequetur: Jacobum, omnesque ex eo genitos inter electos (nam non de sola persona, sed toto genere, ac posteritate Propheta, & Apostolus loquuntur.) Esau verò, omnesque Idumæos inter Reprobos esse, quod falsissimum est, cùm Esau, & Jobum (qui ex Esau familia fuit) aliosque multos Idumæorum, constet testimoniis Patrum, ipsaque Scriptura ad vitam æternam pervenisse. Sed Paulus ex sensu litterali ad mysticum, & allegoricum transit; hoc est, ex terrena fœlicitate, quæ non ex meritis, sed ex Dei proposito Jacobo potiùs, quàm Esau collata est, ad mirabilem vocationem assurgit, qua Gentiles ad Christianam fidem præ Judæis electi sunt. Sicut enim Jacobus nullo suo meritò regno potitus est, ita Gentilis nullo meritò suo ad fidem vocatus est, utrumque sine meritò; utrumque non volentis, non currentis, non operantis sed miserentis Dei fuit, id dogma catholicum est, quodque citra hæresim negari non potest, gratiam videlicet primam, seu primam vocationem, nullis meritis dari, alioquin non gratia, sed debitum esset. Et hanc esse Apostoli mentem, constat tum ex ipso contextu, tum etiam ex Augustino lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. ubi sic loquitur; *Et primò intentionem Apostoli, quæ per totam Epistolam viget, tenebo, quam consulam; hæc autem est, ut de operum meritò nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quòd datæ sibi legi servissent, & ex hoc Evangelicam gratiam tanquàm debitam meritis percepisse; unde nolebant eandem gra-*

tiam dari Gentilibus, tanquam indignis, nisi Judaica Sacramenta perciperent, non enim intelligebant, quia hoc ipso, quòd gratia est, operibus non debetur, alioquin gratia jam non est gratia. Et ideò multis locis gratia præponitur operibus, non ut opera extinguat, sed ut ostendat, non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia, ut scilicet non se quis arbitretur percepisse gratiam, quia benè operatus est, sed benè operari non posse, nisi per gratiam; nec enim ut ferveat, calefacit ignis, sed quia fervet; nec ideò benè currit rota, ut rotunda sit, sed quia est rotunda; sic etiam nemo benè operatur, ut accipiat gratiam; sed quia accepit. Hactenus Augustinus, ex cujus verbis intelligis, nihil Apostoli verba nostræ sententiæ, & hactenus dictis obstare, cùm nihil aliud Apostolus velit, quàm primam vocationem non operibus deberi, sed Dei Misericordiæ, quod omnes Catholici fateri debent. Quòd si omninò velis, Esau verò, formalique odio habitum, ac reprobatum esse; sanè nulla hujus odii, & reprobationis alia causa esse potuit, quàm peccatum, & voluntas delinquentis, non verò voluntas omnia diligentis Dei. Audi non me, sed ipsum Augustinum, sic enim in expositione quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos num. 60. scribit: *Quòd autem Jacob dilexi, Esau autem odio habui, nonnullos movet, ut putent, Apostolum Paulum abstulisse arbitrium, quo promeremur Deum bono pietatis, vel malo impietatis offendimus. Sed respondemus, præscientia Dei factum esse, qua novit, etiam de nondum natis, qualis quisque futurus sit.* Et lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. *Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem.... Odit enim Deus in homine impietatem, & in aliis, eam punit per damnationem, in aliis adimit per justificationem, quemadmodùm ipse judicat esse faciendum, judiciis illis inscrutabilibus. Et quòd ex numero impiorum, quos non justificat, facit vasa in contumeliam, non in eis odit, quod facit, quippe in quantum impii, sunt execrabiles; in quantum autem vasa sunt, ad aliquem usum faciunt, ut per eorum ordinatas pœnas, vasa, quæ fiunt in honorem, proficiant. Non itaque odit Deus, nec in quantùm homines sunt, nec in quantùm vasa sunt; id est; non quod in eis facit creando, nec quod in eis facit ordinando..... Sicut enim Judex in homine odit furtum, sed non odit, quod datur ad metallum, illud enim fur, hoc Judex facit; ita Deus.* Et iterum: *Noluit ergo Esau, & non cucurrit. Sed etsi voluisset, & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset; qui etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Vides hic iterum apertè fateri Augustinum, non ideò reprobatum esse Esau, quòd Deus non vocaverit, aut quòd velle, & currere (quod ad gratiam efficacem pertinet) præstare noluerit; sed quòd Esau vocantem contempserit. Causa ergo, ob quam Judæos (de quibus in persona Esau loquitur Paulus) aliosque reprobos Deus odio habet, non est Dei, sed hominis voluntas, hoc est, peccatum; nam si non peccarent, nihil esset, teste Augustino, quo possent odio haberi. Et planè nihil ex parte Dei ad convertendum Judæos defuisse, clarissimum est Scripturas legenti: *Quid debui, inquit, facere vineæ meæ, & non feci?* Isa. 5..... Et: *quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* Matth. 23. Voluit ergo Deus, sed noluit Judæus; quid ergo conqueri potest, si volente Deo, noluit ipse? Audi eleganter Gregorium. Homil. 10. in Evang. *Sed in omnibus signis, quæ vel nascente Domino, vel moriente eo monstrata sunt, considerandum nobis est, quanta fuerit in quorumdam Judæorum corde duritia, qui hunc nec per Prophetiæ donum, nec per miracula agnoverunt. Omnia quippe elementa Auctorem suum venisse testata sunt. Deum enim hunc esse, cæli agnoverunt, quia Stellam protinus miserunt. Mare cognovit, quia sub plantis ejus calcabile se præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis suæ radios abscondit. Saxa, & parietes agnoverunt, quia tempore mortis scissa sunt. Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat, mortuos reddidit. Et tamen hunc, quem omnia insensibilia elementa Dominum senserunt, adhuc infidelium Judeorum corda Deum esse minimè cognoscunt, & duriora saxis, scindi ad pœnitentiam nolunt.* Sanctus Leo, quoque Serm. 8. de Passione Domini: *Traxisti enim Domine omnia ad te, & cùm expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ Majestatis tuæ sensum totus Mundus accepit.*

Traxisti Domine ad te, cùm in execrationem Judaici sceleris unam protulerunt omnia elementa sententiam. Cùm obscuratis luminaribus Cæli, & converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum se usui denegaret. Traxisti Domine omnia ad te, quoniam scisso Templi velo Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, Prophetia in manifestationem, & Lex in Evangelium verteretur. Sanctus Augustinus quoque in ea verba: *Quoties volui congregare filios tuos: sicut gallina congregat pullos suos sub alas*, optimè advertit, non quemcumque amorem, & providentiam Dei erga Judæos; sed maximam, ac præcipuam ostendi: *Mirus*, inquit, *est amor omnibus ferè avibus ad conservandos, & protegendos pullos suos, sed præcipuè gallinis, quæ pullos colligunt sub alas, hoc est, summo cum desiderio, & solicitudine eos fovent*. Si ergo Deus tot miraculis, tot prodigiis, tot beneficiis egit, ut Judæi converterentur, qualia, & quanta nullibi, & nunquam facta sunt; quis dicat, aut omninò, aut non seriò, nec efficaciter voluisse? Quòd si, & seriò, & efficaciter voluit, nec tamen conversi sunt, ergo illorum culpa, non Dei fuit; nec conqueri possunt, se ideò periisse, quia ipsos Deus odio habuit: sed ideò Deum ipsos odio habuisse, quia perire voluerunt. Et planè non gratis Judæos, sed maxima eorum culpa rejectos esse, Apostolus eodem ipso loco, qui nobis objicitur, clarissimè docuit. Nam cap. 10. 23. ita loquitur: *Ignorantes enim Dei justitiam, & suam quærentes statuere, Justitiæ Dei non sunt subjecti*. Et vers. 22. *Expandi manum meam ad populum non credentem, & contradicentem mihi*. Et cap. 11. vers. 20. *benè propter infidelitatem suam fracti sunt*. Et vers. 30. *Nunc autem misericordiam consecuti estis propter eorum incredulitatem*. Et cap. 10. vers. 12. *Non enim est distinctio Judæi, & Græci, nam idem Dominus omnium*. Si ergo apud Deum nulla est distinctio Judæi, & Græci, sequitur, Deum quantùm ex se est, æqualiter in Judæum, & Græcum propensum, affectumque fuisse. Si ideò fracti sunt rami, quia de operibus Legis præsumentes noluerunt Evangelio subdi, si Deo ad credendum invitante, & ideò *tota die manum suam ad eos extendente*, ac auxilium porrigente noluerunt credere; non accusare Judæi alium, quàm se ipsos possunt: sicut non posset, qui in flumen lapsus amico inclamante, & manum non cursim, sed constanter, totaque die porrigente, mallet mergi, quàm juvari. Tales Judæi erant. Ipsi odio, invidia, ambitione, velut torrente rapiebantur. Deus, testibus Isaia, & Paulo, *manum tota die extendebat*, ne absorberentur; absorberi tamen, quàm levari maluerunt; quem incusabis? Opitulari, an absorberi volentem? Quòd si porrò quæras: cur juvari, cur credere noluerint? Respondet Augustinus tract. 53. in Joan. *Quare credere non potuerint, si à me quæres, citò respondeo; quia noluerunt*. Agit quippe gratia in voluntatem humanam non more fulminis, resistentia quæque frangentis; sed more Solis, lucem suam nisi admittas, aliò, citraque strepitum transferentis.

Pergit Apostolus, Moysi enim dicit: *Miserebor, cui misereor, non ergo est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*. Objiciebant Judæi, æquum non esse, ut Gentiles, qui nihil boni, multumque mali operati fuerant, Justificationem, æternamque vitam consequerentur. Quibus respondet Apostolus: mirari eos non debere, cùm hæc natura sit gratiæ, ut gratis detur, citraque meritum; alioquin si merentibus, & ex debito daretur, jam non gratiam, sed debitum, nec donum, sed stipendium fore, quale mercenariis datur. Justificatione ergo (de qua ut posteà dicetur, præcipuè, & ex professo Apostolus agit) primamque vocationem ad Fidem, *non volentis, non currentis, non merentis, sed miserentis Dei esse*, quæ omnia certissima sunt, nec ab alio, quàm hæretico negari possunt. Cæterùm cùm contra Calvini, & Lutheri errores indubitatum sit, duo ad fidem, aliosque actus supernaturales requiri; *gratiam* videlicet Dei, & *consensum* hominis, sicque utriusque voluntatem, explicandum superest, cur Apostolus dicat, non esse *volentis, neque currentis*? Quomodò enim non est currentis, cùm juxta celebre illud Augustini dictum: *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te*? Et ad Simplicianum

lib. 1.

lib. 1. quæst. 2. *Ut velimus, & suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo*. Ut enim in terris, ita multoque magis in cœlis æterna lege sancitum est, beneficium non conferri invito. *L. Invito ff. de R. I.* Si ergo Deus nullum, nisi volentem salvat, nullumque nisi currentem coronat, quomodò verùm erit, non esse volentis, neque currentis? Verissima tamen Apostoli sententia est. *Nam primò:* quia, ut suprà notavimus, cùm Hebræi comparativis careant, dicunt, illud non esse, aut nihil esse, quod minus alio est; qua ratione alibi dixit Apostolus: *neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid;* non quòd reverà, qui plantat, aut nihil sit, aut nihil agat; sed quòd minimum sit, quod agit, si cùm eo componas, quod agit Deus, cùm plantatis, & rigatis incrementum donat; neque tamen maximum illud, quod facit Deus, sequeretur; nisi parùm illud præcederet, quod facit homo. Quanquam, & hoc ipsum parùm quod facit homo, sit quoque factum, & opus Dei, *nam sine me nihil potestis facere*, inquit Christus Joan. 15. Ubi Augustinus: *Sive ergo parùm, sive multùm, sine illo fieri potest, sine quò nihil fieri potest*. Et in Psalm. 102. *Vocat undique Deus ad pœnitentiam: vocat beneficiis creaturæ: vocat per Lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis*. Meritò ergo dicit Apostolus, non esse volentis hominis, sed miserentis Dei, quia tàm parùm est, quod facit homo, tàm multùm, quod facit Deus, ut ad hoc multùm illud parùm velut lumen cicindelæ ad lucem Solis penitus evanescat. Sic quòd ægrotus sanetur, dicimus, non esse ipsius ægroti, sed Medici; quanquàm enim nihil possit medicina, nisi ægrotus accipiat; accipere tamen tàm exiguum est, ut tota gratia sanitatis meritò ad solum Medicum pertineat, qui morbum cognovit, qui causam invenit, qui remedia paravit, qui potionem miscuit, quique pharmacum ita morbo, & genio laborantis aptavit, ut posset, & vellet sumere, nec nauseam sentiret. Qua ergo ratione tu dicis, non esse volentis, nec optantis ægroti, sed curantis Medici, ut sanetur; eadem Apostolus dicit non esse *currentis, nec volentis hominis, sed miserentis Dei*, ut peccator salvetur: agit ægrotus, agit peccator; sed nihil est, quod agunt, si cùm Medico, & Deo comparentur. *Secundò* dicitur Justificatio, & salus hominis non volentis, neque currentis esse; non quòd homo non sit, qui velit, & currat, sed quia ipsum velle, ipsumque currere Dei munus est; nec enim vellet, nisi Deo voluntatem parante; nec curreret, nisi Deo otiosum, & cunctantem trahente. Cùm ergo Dei gratia sit, quæ hominis conatum prævenit, excitat, adjuvat, comitatur, & sequitur; cùm voluntas hominis nec inchoare opus, nec prosequi, nec finire possit; cumque nihil penitus boni, conducensque æternæ saluti habeat, quod à gratia, hoc est, à Deo miserante non acceperit; meritò dicit Apostolus: *non esse currentis, neque volentis*; quia licèt velit, & currat, non suis tamen viribus, sed gratiæ facit. Sicut si debitori nihil habenti mille aureos amicus donet æri alieno diluendo; meritò dixeris, quod debitum solvat, non esse volentis, neque solventis debitoris, sed misereutis, & donantis amici. Cùm ergo tria ad opus aliquod faciendum pertineant, principium videlicet, medium, & finis; & nihil istorum homo velit, aut faciat, nisi gratia moliente, meritò nihil homini, sed omnia gratiæ tribuuntur. Tantòque magis, quia solis naturæ viribus nec se homo ad gratiam disponere, nec aliud præstare potest, cujus causa Deus dare illi gratiam dicatur, de quo vide *S. Thomam 1. 2. quæst. 109. art. 6. Bellarminum de Grat., & libero arbitr. lib. 6. cap. 5.* Sed audi Augustinum lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. *Præcipitur, ut rectè vivamus; sed quis potest rectè vivere, & benè operari; nisi justificatus ex fide? præcipitur, ut credamus, sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? qui habet in potestate tali visu attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? At quis habet potestatem, ut vel occurrat, quod eum delectare possit; vel delectet, cùm occurrerit? Cùm ergo nos ea delectant, quibus proficimus ad Deum,*

Deum, *infunditur hoc*, *& præbetur gratia Dei*, *non nutu nostro*, *aut industria*, *aut operum meritis comparatum*, *quia ut sit nutus voluntatis*, *ut sit industria studii*, *ut sint opera charitate ferventia*; *ille tribuit*; *ille largitur*..... *Igitur non volentis*, *neque currentis*, *sed miserentis est Dei*; *quandoquidem nec velle*, *nec currere*, *nisi eo movente*, *atque excitante poterimus*. Et S. Bernard. lib. de grat. & liber. arbitr. *Conatus nostri*, *& cassi sunt*, *si non adjuventur*, *& nulli sunt*, *si non excitentur*. *Tertiò* denique, ac præsertim verissimum est, *non volentis*, *non currentis*, *sed miserentis Dei esse*; Quia licèt in negotio æternæ salutis voluntas humana suffragium præstet, partesque suas agat; totum tamen meritum, totumque operis pretium à sola gratia, non voluntate hominis est. Quòd enim opus sit supernaturale, quòd Deo placitum, quòd peccatum deleat, quòd animam justificet, quodque meritorium sit æterni præmii, illique consequendo profit, id totum gratiæ debetur. Ut enim Rege ancillam ducente, filius ex nuptiis natus, hæres quidem Regni est, paterno, non materno jure: Ita voluntate Deo per fidem, & gratiam nupta, quidquid bonorum operum ex hoc connubio nascitur, cœlum quidem meretur, sed Dei solius beneficio, nullo que meritò voluntatis, nihil enim juris ancillæ ad Regnum. Quod etiam hoc ipso capite 11. exemplo insitionis illustrare iis verbis Apostolus voluit: *Cùm enim esses oleaster*, *insertus es in bonam olivam*. Quemadmodùm enim si oleastro, alterive sterili trunco surculum punicæ, cedrivè arboris immittas; flores quidem, & poma cedri, aut punicæ erunt juxta illud Poetæ:

Miraturque novas frondes, *& non sua poma*;

Sed totum id à surculo, non trunco provenit. Ita prorsus de operibus hominis sentiendum est; Si enim bona sunt, & præmio digna, non radici, sed inserenti debent, hoc est, non sibi, sed Deo, nec trunco, sed gratiæ; quod duobus verbis eleganter Bernardus expressit Serm. 6. in Cantica: *Proinde meritum meum*, *miseratio Domini*. Sanctus quoque Augustinus libro de Gratia, & libero Arbitrio cap. 6. *Bona sua coronat Deus*, *non merita tua*; *nam si merita tua sunt*, *mala sunt*; *quæ verò mala sunt*, *non coronat Deus*; *quòd si bona sunt*, *Dei dona sunt*. Et cap. 6. *Quid est hoc*, *quòd cùm Apostolus Dei gratiam commendans dixisset*: *non ex operibus*, *ne fortè quis extollatur*; *cur hoc dixerit*, *rationem reddens*: *ipsius enim*, *inquit*, *figmentum sumus*; *creati in Christo JESU in operibus bonis*. *Quomodò ergo non ex operibus*, *ne quis extollatur*? *Sed audi*, *& intellige*. *Non ex operibus dictum tanquam tuis*, *ex te ipso tibi existentibus*, *sed tanquàm suis*, *in quibus te Deus finxit*, *id est formavit*, *& creavit*. Et observa illam Apostoli vocem: *creati*; Creatio enim ex nihilo est; sicut ergo creavit ex nihilo, ita redemit, & salvavit ex nihilo, hoc est, nullo meritò præcedente.

Addit Apostolus. *Dicit enim Scriptura*: *Pharaoni*: *in hoc ipsum excitavi te*, *ut ostendam in te virtutem meam*, *ergo cujus vult miseretur*, *& quem vult indurat*. Hìc videtur Apostolus duo docere sententiæ nostræ adversa. *Primò*, Deum aliorum quidem misereri, alios verò indurare, hoc est non misereri, ut semper exponit Augustinus; non ergo Deus omnium miseretur, sed aliquorum tantùm. *Deinde* quòd unius misereatur, alterius verò non misereatur, non peccatis Paulus adscribit, non humano arbitrio, sed meræ, unicæque Dei voluntati: *Cujus*, *inquit*, *vult miseretur*, *& quem vult indurat*. Hæc ferè præcipua, & maxima difficultas est, quæ, ut penitùs, solidèque evolvatur, altiùs, & à suis principiis petenda solutio est.

Observandum ergo, totum scopum Epistolæ ad Romanos esse, ut ostendat Apostolus justificationem, remissionem peccatorum, & jus ad cœlestem hæreditatem non ex Circumcisione, non ex ceremoniis, non ex operibus Legis esse, in quibus Judæi suam spem collocabant; sed ex fide in Christum, quod cùm in præcedentibus capitulis præsertim tertio, & quarto Paulus fusè, latèque probasset; tandem cap. 9. 10. & 11. probat, ideò Gentiles ad hanc Justificationem veniam peccatorum, adoptionem, æternamque hæreditatem pervenisse, quia in Christum crediderunt: Judæos verò repulsos esse, quia licèt per innumera miracula, ab ipsoque Messia inter ipsos nato, educato,

cato, mortuoque efficacissimè voluit, n-dem amplecti renuissent, idque partim falsa, ac præpostera Legis Mosaicæ æmulatione; partim contemptu ipsius Christi, cujus paupertatem, & humilitatem aspernabantur; partim quoque odio sanctissimæ ipsius Legis, qua flagitia sua redargui videbant. Quòd verò Deus primò Judæos in Populum, filiosque suos, ac hæredes cœlestium bonorum elegerit, rejectis Gentilibus; deindè Gentes assumpserit, Judæosque repulerit; ac tandem sub Mundi finem etiam Judæi ad Christi fidem perventuri sint, docet Apostolus, id non ex bonis Gentilium operibus (qui fortè pejores Judæis erant) sed ex mera Dei voluntate, & inscrutabili providentia fluxisse, qui Justificationem, & Adoptionem voluit potiùs ex fide in Christum, quàm ex carnali Abrahæ propagatione, & Lege Mosaica pendere: Mille enim aliique modi Deo supererant, quibus homines justificaret; quòd verò non aliter justificari voluerit, quàm ex fide in Christum, id dicit Apostolus ex sola Dei voluntate, occultisque judiciis provenisse. Non ergo hìc disputat Apostolus, cur uni major, minorve gratia tribuatur? cur unus ad fidem, non alius perveniat? cur unus ad Electos, alter ad reprobos pertineat? Nihil inquàm, istorum propositum Apostolo fuit; sed tantùm, cur Deus voluerit potiùs per fidem in Christum, quàm per opera Legis, in quibus Judæi tantoperè gloriabantur, justificari? Hunc esse Apostoli unicum scopum, patet caput tertium, quartum, & undecimum legenti. Si ergo ex Apostolo quæras: cur Gentiles, qui verùm Deum ignorabant, non verò Judæi, quorum tota lex nihil aliud resonabat quàm Deum, cur, inquam, illi non isti justificationem adepti sint? duas assignat Apostolus causas. *Primam*, & universalem Dei voluntatem, propositum, & electionem: *ut secundùm electionem propositum Dei maneret* cap. 9. vers. 11. *Electio autem consecuta est*, cap. 11. vers. 7. hoc est, quòd Gentiles potiùs fideles, quàm Judæi infideles ad veniam peccatorum, & adoptionem filiorum pervenerint, causa fuit Dei propositum volentis hominem non per Legem Mosaicam, ejusque opera externa, sed per fidem in Christum justificari. *Secunda*, & particularis causa, quam Apostolus expendit, illa est: quòd Gentiles in Christum crediderint, Judæi verò credere noluerint: *Gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam; justitiam verò, quæ ex fide est. Israel verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit: quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus; offenderunt enim in lapidem offensionis* cap. 9. vers. 30. & iterum: *Ignorantes enim justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti; finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti*, cap. 10. vers. 3. Et iterum: *propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas* cap. 11. vers. 20. Ubi vides, totam causam reprobationis Judæorum ex eorum infidelitate, non ex Dei arbitrio provenire, qui mallet eos credere, & salvari. Si enim iterum ex Apostolo quæras: an ergo non velit Deus Judæos quoque ad fidem, æternamque salutem pervenire? imò, inquit, Apostolus, & quàm maximè: *Non enim est distinctio Judæi, & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant eum*, cap. 10. vers. 12. quasi dicat: sicut non minùs est Dominus Judæi, & Græci, ita non minùs Judæi curam, & providentiam habet; nec curam quamcunque sed curam *divitem*, hoc est, copiosam, & affluentem. Cùm enim verum Deum agnoscant, & adorent; tantùm invocent, & eis non deerit. Quid verò minùs peti potest ab ægroto, ut curetur, quàm ut invocet Medicum? & quid minùs à Mendico, ut ditetur, quàm ut petat à Principe? Et infrà: *Ad Israel autem dicit: tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi*. cap. 10. vers. 21. Quis non dicat, donare seriò, & efficaciter velle, qui tota die, imò qui triginta tres totos annos nihil aliud egit, quàm ut manum ad dandum paratam, & porrectam haberet, rogaretque, ut vellent accipere? Si ergo non acceperunt, nulla culpa fuit volentis dare, sed nolentis datum accipere. Et rursus: *sed, & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur*. cap. 11. vers. 23. paratus ergo Deus est, misereri, & inserere, modò velint; nec ut velint, gratia eis deest; cùm enim cupiat Deus, ut inserantur,

tur, cupit quoque, ut velint, cùm non aliter, quàm volendo inseri possint; nec enim necessitate inseruntur, ut plantæ, sed inseruntur voluntate, ut homines. Et paulò post: *conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*, hoc est omnes, cùm Judæi, tùm Gentiles sunt peccatores, & indigent gratia Dei; sicut ergo nullus omninò est, qui non sit miser; ita nullus omninò est, cujus non misereatur. Non enim dicit Apostolus: *ut aliquorum*, sed *ut omnium* misereatur. Nullum ergo ut à miseria, sic à misericordia excludit. Cujus ergo non miseretur Deus, si miseretur etiam Judæi, hoc est, omnium perfidissimi, durissimique. Et denique Christus ipse: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis. Matth. 23.* quibus verbis non quemcunque amorem, & providentiam Dei erga Judæos, sed maximam, & præcipuam ostendit; nam ut Augustinus hic notat; *mirus est amor omnibus ferè avibus ad conservandos, & protegentes pullos suos, sed præcipuè gallinis, quæ illos colligunt sub alas, hoc est summo cùm desiderio, & solicitudine fovent.*

His prænotatis de mente, & scopo Apostoli, verba ipsa expendamus.

Cujus, inquit, *vult miseretur*, hoc est, pro sua voluntate, nulloque operum respectu Christianis potiùs, quàm Judæis Justitiam, adoptionem, æternamque vitam largitur. Quòd enim credentes in Christum potiùs, quàm non credentes justificentur; id non ex natura, pretioque intrinseco fidei est, sed ex Dei merissima voluntate, qui gratiam justificantem, & cœlestem gloriam veteri æquè, ac novo Testamento, ac mille aliis mediis sibi notis adstringere poterat. Si ergo quæras, cur potiùs Christianum, quàm Judæum adoptaverit? respondet Apostolus: quia voluit. Nihil huc opera, nihil merita, nihil humana voluntas facit. Volebat Judæus salvari, sed nolebat in Christum credere: volebat Cœlum tanquam Abrahæ promissum; sed volebat Legis Mosaicæ merito, non dono Evangelii. *Currebat*, hoc est, per ritus, per cæremonias, per vaticinia Prophetarum, per figuras, totamq; Mosaicæ Legis pompam, velut quodam cursu ad Messiam suum ferebatur; nec tamen pervenit, quia credere recusabat. Gentilis ex adverso, non lege, non Templo, non Sacerdotio, non Oraculis, non cognitione veri Dei adjutus, otio, somnoque velut in profundissima nocte marcebat, & tamen quia credidit, justificatus, adoptatus, redemptus, electus fuit. Meritò ergo iterum, iterumque inculcat Apostolus, *non volentis, non currentis, non operantis, sed miserentis Dei esse*. Et huc duorum geminorum Jacobi, & Esau, Pharaonis, & figuli ab Apostolo tàm enixè commendata exempla faciunt. Nec tamen conqueri Judæus potest, nam ipse quoque Misericordiam, & Adoptionem consequetur, si modò credat; ut verò credat, nihil non agit Deus, nihil non egit, ut suprà expendimus: *sed, & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur*, inquit Apostolus ad Rom. 11. Velint ergo, & credant; credant, & inserentur, Deo semper parato, imò urgente.

Sequitur: *Et quem vult, indurat*, hoc est, *non miseretur*, ut semper explicat Augustinus *Epist. 105. Tract. 53. in Joan. Lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2.* & alibi sæpe. At videtur sibi Apostolus, aliisque Scripturis contradicere. Hic enim dicit: DEUM aliquos obdurare, hoc est, aliquorum non misereri; cùm cap. 11. vers. 37. scribat: *Deum omnium misereri*. Et Sap. 11. *Misereris enim omnium, quia omnia potes*. Et Joan. 1. *illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*, hoc est, sicut nullus est hominum, qui vivat, & non veniat in Mundum; ita nullus est, quem non illuminet, & illuminando misereatur. Quomodò ergo aliquorum non miseretur, si miseretur omnium? Sed facilis est ex dictis responsio. *Miseretur* enim Deus omnium, & non omnium miseretur. Miseretur omnium, qui fide viva in Christum credunt, quales Gentiles erant ad fidem conversi: & non miseretur omnium, eorum videlicet, qui credere nolunt, quales erant Judæi. Cur verò credentium potiùs, quàm non credentium, cùm, & istorum, & illorum misereri posset, si velit? id enim verò ad voluntatem illam, occultumque propositum pertinet, quod inaccessum esse Apostolus

stolus profitetur, quodque venerari nos potiùs, quàm scrutari oportet. Sufficiat ex Sacris Litteris didicisse, quod jam suprà, & evidentissimè ostendimus; etiam Judæis gratiam efficacissimam, & abundantissimam dari, qua credant, sicque ad vasa misericordiæ pertineant, si velint, nam si nolint, non tam quærere debent, cur Deus infidelium non misereatur, quàm potiùs, cur ipsi esse infideles, nec misericordiam consequi velint? Sicut si paratus ego sim debita tua, quibus ad carceres rapiendus es, auro solvere, nec ipse acceptare aurum velis, sed argentum poscas; non tam quærendum est, cur auro magis, quàm argento solutionem offeram, quàm potiùs, cur ipse auro redimi nolis? velle enim hoc, vel illo modo solvere, arbitrii mei, & charitatis est; nolle verò oblatam solutionem accipere, voluntatis, & contumaciæ tuæ, tua interest solvi, non verò modum solvendi præscribere: Sic Judæi redimi quidem volebant, sed per legem, non per Evangelium, non per fidem in Christum, cujus humilitatem, paupertatem, & Crucem superbi aspernabantur: At Deus non aliter eos redimere, quàm per hanc ipsam Fidem, & Crucem statuerat. Quem ergo accusabis? nolentem hoc pretio solvere, aut nolentem hoc pretium accipere? Et huc optimè faciunt illæ Christi sententiæ: *tolle quod tuum est, & vade; an non licet mihi facere, quod volo? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth. 20. Et iterum: *Confiteor tibi Pater Domine Cæli, & Terræ quia abscondisti hæc à prudentibus, & sapientibus, & revelasti ea parvulis; ita Pater, quia sic fuit placitum ante te.* Luc. 10.

Sed expendendum adhuc superest, quid sibi illa vox velit: *obduras*, quod diligentiùs omnino explicandum à nobis est.

Sciendum ergo, quod à nullo Catholicorum negari potest; Deum nullius peccati, multòque minùs obdurationis, quæ omnium est maximum, authorem esse: *Nolite*, inquit, *obdurare corda vestra*. Non ergo facit, quod vetat, alioquin seriò, efficaciterque repugnantia vellet; esse videlicet, & non esse peccatum: non esse, quia prohibet, esse quia facit. Et: *Ne dicas ipse me implanavit: Eccl.* 15. At quæ major implanatio, quàm urgere aliquem, ut agat, quod prohibes? *Deus neminem tentat Jacob.* 1. quantò minùs impellit? pejùs enim est facere, quàm suadere. *Nolo mortem peccatoris: Ezech.* 13. At quæ major mors, quàm peccati? Rogamus quotidie, *ne nos inducat in tentationem*: At vanè, nulloq; fructu, si Deus inevitabili proposito, & voluit ab æterno, & agit, ut peccem. Cùm enim Deus omnia non manu, ut homines, sed voluntate operetur; si causat peccatum volendo causat, peccatum ergo non repugnaret divinæ voluntati, sed conveniret; non ergo peccatum esset, sicut enim non est curvum, quod respondet lineæ rectæ, nec dissonum, quod convenit regulis Musicæ; ita non potest malum, nec peccatum esse, quod divinæ voluntati; hoc est, quod primæ regulæ bonitatis, & honestatis respondet; si ergo furer volente Deo (ùt olim Ægyptiis Judæi) non jam crimen, sed meritum erit; tamergo non facit Deus peccatum, quàm ars non facit errorem; nam si error est, non juxta, sed contra artem est. Quæ omnia tam clara sunt, ut nec ipsos Gentiles, hoc est, cæcos lateant. Sic enim Lucianus in Jove: *Si Parca omnium rerum est causa; ergo si quis patrem occiderit, Parca in culpa est. Si Minos rectè velit uti judicio, multò æquiùs fatum pro Sisypho, & Tantalo puniet; quid enim illi injustè egerunt, quando Diis obtemperarunt?* Deus prohibet parricidium; & tamen movet, & cogit ad parricidium, inquit, Calvinus. Quod si ita est, sequitur, peccatum non esse peccatum. Sicut enim peccatum artis nihil aliud esse, quàm defectus contra regulas artis; ita peccatum moris nihil aliud est, quàm error, & defectus contra voluntatem divinam, hoc est, contra primam, supremamque regulam honestatis. Si ergo Deus, & non vult peccatum, quia prohibet, & vult peccatum, quia impellit, imò, ut Calvinus ait, ad peccatum cogit; sequitur, & peccatum fore, quia repugnat Deo prohibenti, & non fore, quia obsequitur Deo cogenti. Imò potiùs non peccare, quàm peccare dicendus erit, quia sicut Deus magis, & efficaciùs vult, quod ipse facit, ut alios cogit, ut faciant, quàm non vult, quæ tantùm prohibet fieri (prohibere enim est voluntas tantùm signi, facere, voluntas operis) sicque non peccatum, sed pru-

D den-

dentia, & obsequium erit; plus enim obedire teneor Deo cogenti (cùm id vitare non possim) quam Deo vetanti. Quòd si obedis, ergo non peccas, nec pœnam mereris, quis enim nisi de Tyranno audivit, servum punivisse, quia volenti, & urgenti obtemperavit? Sed, & hoc ipsum dogma totam Religionem, hoc est, fidem Scripturarum evertit: Si enim omnium mendaciorum causa, & author est Deus; ergo suspicari meritò de illo possim, omnibus Prophetis, & Evangelistis, ut hominem ad sui cultum, & amorem provocaret, mendacia inspirasse; quid enim justiùs, quàm omnium mendaciorum Authori fidem negare? Nihil ergo in Scripturis erit non mendacii suspectum. *Deindè* cùm peccatum sit infinita Dei injuria; imò tanta, ut si naturæ mortalis esset, eum dolore, ac morte conficeret, & ideò nullo bono creato compensari potest; quàm ergo non potest Deus sui injuriam, & destructionem velle; tàm non potest velle, ac causare peccatum. *Non potest*, inquit Paulus, *se ipsum negare. 2. ad Timoth.* 13. At quo magis negare se possit, quàm id faciendo, quod illius Majestati, Bonitati, fœlicitati, dominioque infinitè repugnat, ut repugnat peccatum? Si ergo vellet peccatum, vellet se ultimum finem non esse, vellet sibi creaturam præponi, vellet se Deum non esse. Vide S. Thomam *q.79. a.1. & 2. & de malo q.3.* Adde, quod observat S. Basilius *Hom. 2. in Hexamer.* Nullum contrarium à dissimili, & contrario nasci. Quando enim aut ficus spinas, aut Laurus uvas, aut ignis aquam, aut ars errorem produxit? At nihil magis contrarium DEO, quàm peccatum, cùm hoc sit summum malum, illud sit summum bonum; majus ergo absurdum est, Deum authorem peccati facere, quàm ficum authorem spinæ, ignem authorem aquæ, aut solem authorem noctis. Planè cùm quidquid facit Deus, sit quædam participatio, & imitatio Dei; sicut umbra imitatio corporis, & parelium, ac radius quædam imitatio Solis; quæro, quid in Deo sit, quod imitari peccatum possit? Nam ut non potest nigrum esse imitatio albi, nec turpe imitatio pulchri, aut curvum imitatio recti; ita nec culpa imitatio Dei. Nec juvat Calvinum, Deum, ut ipse commiscitur, peccatum operari, sed fine honesto, misericordiæ videlicet in electos, justitiæ in reprobos ostendendæ? Nam *Primò*, cùm peccatum sit infinita Dei injuria, quippe infinitæ Majestati facta, nullus finis, nullumque bonum creatum est, quo compensari possit, sicut non potest infinitum debitum, finito pretio, & ideò tam impensè monuit Apostolus, 3. *ad Rom.* 3. *non esse facienda mala, ut eveniant bona*; alioquin, & adulteria, & perjuria licebunt boni alicujus, aut Reipublicæ causa. *Deindè* quid indignius Deo, quàm sibi gloriam per flagitia parare; quasi aut tam impotens sit, ut non possit, aut tam malignus, ut non velit, nisi per dedecora, & infamia clarescere, ut olim Erasistratus, & Catilina incenso Templo, eversaque Patria. *Rursus* quæ clementia, & misericordia dici potest, spoliare, ut alios vestias, vulnerare, ut alios sanes? *Si malevola est benevolentia, quod fieri non potest, potest, & ille, qui veraciter, sincerèq; miseretur cupere esse miseros, ut misereatur*, inquit Augustinus lib.2. Confess. cap. 2. Latronum ergo & Tyrannorum, non Dei sunt hæc beneficia, quæ fingit Calvinus. *Adde*, quamvis daretur per impossibile, Deum omninò peccatum velle; sufficeret, id ab eo permitti, nec opus esset positivo influxu; sicut enim, ut vitrum in terram cadat, casuque elidatur, utque accipiter, aut canis prædam involet, sufficit, venatorem permittere, nulloque alio impulsu opus est; ita ut in peccatum cadat homo, utque in voluptates illicitas ruat, sufficit permittere DEUM; cùm tam pronum sit homini peccare, quàm vitro cadere, quamque falconi, aut cani in prædam rapi. Cur ergo Deus agendo, & causando se omnium malorum, scelerumque complicem faciat, tanto sanctitatis suæ damno, & dedecore, cùm possit, si peccatum velit, id totum, & innoxiè permittendo obtinere? Non ergo causat Deus peccatum, sed permittit; hoc enim justè facere potest, illud nisi impiè non potest. *Deniq;* non esse Deum causam obdurationis, aliorumque peccatorum, inductione omnium Causarum probatur: Nec enim potest Deus esse *Causa materialis* peccati, cùm in eo nullum sit malum, alioquin non esset summum, & infinitum Bonum. Nec est

For-

Forma peccati, cùm potiùs sit Forma totius innocentiæ, & sanctitatis. Nec est *Finis peccati*, cum peccatum sit aversio à Deo ultimo omnium rerum fine. Nec est *Causa Principalis effectiva* peccati, cùm peccatum sit defectus, & non *esse*; defectus verò reducitur semper in causam aliquam deficientem, & imperfectam; sicut inquit S. Thomas 1. p. q. 49. a. 1. *Defectus in motu corporis potest contingere, vel propter debilitatem virtutis motivæ, ut in pueris, vel propter solam ineptitudinem instrumenti, & tibiæ, ut in claudis*. Nec etiam *Deus Causa per accidens* est peccati; quemadmodum ignis incendendo lignum, per accidens causa est, ut forma ligni corrumpatur; id enim dicitur per accidens fieri, quòd necessariò consequitur ad actionem agentis; sicut corruptio ligni sequitur necessariò ad ejus inflammationem; at peccatum non necessariò sequitur ad influxum, & concursum Dei, cùm hic sit indifferens, ut posteà dicetur, nec tollat libertatem, sed relinquat locum eligendi oppositum, si homo velit, & gratia, quæ ad peccatum vitandum nunquam deest, utatur. Nec *denique* Deus est *Causa peccati indirecta* (sicut Gubernator somno indulgens, nec officii sui partes adimplens causa est, ut navis mergatur) quia, ut inquit S. Thomas 1. p. q. 49. art. 2. ad 3. *Deus non deficit ab agendo, quod est necessarium ad salutem*. Vide eundem Angelicum Doctorem 1. 2. *quæst. 79. art. 1.* Nullo ergo modo potest Deus dici causa peccati. Audi ipsum Sanctum Doctorem loco citato artic. 2. *Peccatum nominat ens, & actionem cum quodam defectu, sicut statua nominat lignum cum quadam figura, & claudicatio nominat motum cum quadam obliquitate: defectus autem ille est ex causa creata, scilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi Agentis. Unde defectus iste non reducitur in Deum sicut in causam; sed in liberum arbitrium, sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam, non autem in virtutem motivam, à qua tamen causatur, quidquid est motionis in claudicatione, & secundùm hoc Deus est causa actus peccati, non tamen est causa peccati; quia non est causa hujus, quod actus sit cum defectu*.

Sed dices: Si ergo Deus peccatum non causat, cur dicitur *obdurare*? *Respondeo*, id duplici ex causa esse. *Primò* enim sciendum est, peccatum esse malum, imò omnium malorum maximum: Sicut verò nullum est dissonum, nisi in aliquo sono, nullum curvum, nisi in aliqua linea, nulla umbra, nisi cum aliquo corpore, nullusque morbus, nisi in aliquo membro; ita nullum est malum, est nullumque peccatum, nisi in aliquo, vel cum aliquo bono. Malum est homicidium, sed homicidium non esset, nisi viveres, nisi intelligeres, nisi vigilares, nisi movereris, nisi bonum aliquod appeteres, quæ omnia bona sunt; quis enim dicat, vivere, intelligere, moveri, bona non esse? si bona, ergo à Deo bonorum omnium principio, & exemplari; cùm tam sit impossibile, bonum aliquod esse, non faciente DEO, quàm impossibile est rivum aliquem esse, non tribuente fonte; aut telam non texente artifice. Dicitur ergo Deus *obdurare*, *excæcare*, *vasa in perditionem facere*: quia facit, quidquid boni, & positivi in hujusmodi peccatis est, quamvis non faciat id, quod est malum, videlicet privationem boni, honestique. Tota enim natura, & malitia peccati in eo est, ut deficiat à norma rectæ rationis, legisque æternæ, hoc est, ut careat debita rectitudine. Est ergo peccatum defectus, & pertinet ad *non esse*, at *non esse* non potest in summum, plenumque esse tanquam in causam reduci, nec indiget DEO, sicut aliquid non vivere, non indiget anima, & aliquid non esse pictum, non indiget pictore, ideoque optimè notat Augustinus *Lib. 12. de Civit. cap. 7.* Eorum, quæ deficiunt, & quæ non sunt, nullam causam effectivam, sed defectivam tantùm quærendam esse, qualis utique non est Deus. *Nemo*, inquit, *quærat causam malæ voluntatis; non enim est efficiens, sed deficiens, quia illa nec effectio est, sed defectio*. Et Lib. 83. Quæstion. *Deus non est auctor mali, quia non est causa tendendi ad non esse*. Et S. Thom. lib. 3. contra Gentes cap. 4. art. 2. *Defectus in effectu consequitur defectum in principiis actionis; sicut ex aliqua corruptione seminis, sequitur partus monstruosus, & ex curvitate cruris sequitur claudicatio*. Et 1. p. q. 49. artic. 1. ad 3. *Nunquam sequitur malum in effectu, nisi præcesserit aliquod malum in agente, vel materia*.

Cùm ergo nullus in Deo sit defectus, frustra in illo quæritur causa, & origo peccati; sicut in flamma frustra quæritur origo frigoris, & in Cedro frustra quæritur origo vermis, & corruptionis. Tota ergo, & sola causa peccati voluntas creata est: in hac enim multiplex defectus reperitur. Defectus videlicet *Originis*; quia creatura est ex nihilo facta: defectus *Naturæ*, quia sicut Deus est pelagus *Entis*, hoc est, omnis Entis perfectiones complectitur, ita creatura est gutta Entis; hoc est finitæ, & limitatæ perfectionis, adeò ut paucissimæ sint perfectiones, quas habet, innumeræ, quas non habet, & ideò non Ens potiùs, quàm Ens dicenda est: cùm enim denominatio fiat à potiori, & forma prævalente, sicque Æthiops absolutè dicatur niger, licet candidis dentibus; sequitur, creaturam quoque non Entis potiùs, quàm Entis nomen mereri, quia nulla proportio est perfectionum, quas habet, ad illas, quas non habet. Est etiam in creatura defectus *Cognitionis*. Unde sequitur defectus amoris, & efficacis voluntatis, quæ origo est omnium peccatorum. *Denique*, ut alia quàm plurima omittam, est in voluntate defectus Virtutis ad prosequendum bonum arduum, vincendumque juxta normam rationis, impetum boni delectabilis concupiscentiam moventis. Cùm ergo voluntas creata, hominis præsertim, tot titulis deficiat; quid mirum est, etiam in operando (nam operatio sequitur esse) semper ad defectum, & malum tendere, nisi per gratiam adjuvetur? Ex quibus tandem conficitur, Deum, licèt ad omnem entitatem peccati concurrat, nulla tamen ratione causam peccati dici posse: *tùm* quia causa mali semper est deficiens, quod Deo non convenit, *tùm* quia *esse* non potest dici causa non *esse*, sicut scriptio non potest esse causa non scripti, & albedo non potest esse causa non albi: *tùm* quia malum non continetur in Deo, nec *formaliter*, nec *eminenter*, nec *exemplariter*; quomodo ergo causa, in qua nulla ratione effectus continetur? *tùm* quia non potest esse defectus; qui non pendet à causa, quique causa non eget; at peccatum, cùm sit *non esse*, non potest pendere à Deo, sicut error non pendet ab arte, cùm possit esse sine arte, & non lucidum, seu obscurum non pendet à Sole, cùm possit esse sine Sole: *tùm* quia, quando ad aliquod opus duæ causæ concurrunt, quarum una, non altera deficiens est; defectus operis soli causæ deficienti adscribitur; ut claudicatio non animæ, sed tibiæ curvæ; incertitudo conclusionis ex duabus præmissis, quarum una est evidens, alia inevidens, seu probabilis, præmissæ probabili non evidenti; sonus dissonus non peritissimo Musico, sed cytharæ fractæ, aut discordantibus nervis: *tùm* quia peccatum est recessus à lege; at Deus concurrendo ad entitatem omnis peccati, non recedit à lege; sed potiùs legem, & ordinem primi Entis, primæque Causæ, & universalis Gubernatoris implet; cujus officium est, in omne bonum influere, alioquin daretur aliquod bonum, quod non esset à primo Bono; & aliquod Ens, quod non esset à primo Ente. Imò peccaret Deus peccato omnium maximo, nisi ita concurreret, quia contra officium, legesque primi Entis, & omnium Creatoris ageret, sicque non esset Deus, quod omnium malorum pessimum est. *Tùm* quia, ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 79. art. 1. ad 5. *Effectus causæ mediæ procedens ab ea, secundùm quod subditur ordini Causæ primæ, reducitur etiam in Causam primam. Sed si procedat à causa media, secundùm quod exit ordinem causæ primæ, non reducitur in Causam primam: sicut si Minister faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum sicut in causam. Et similiter peccatum, quod liberum arbitrium committit contra præceptum Dei, non reducitur in Deum sicut in causam. Tùm* denique, quia Deus concurrit ad omnes hominum actiones concursu generali, & indifferenti (quod omnes Catholici admittunt, quocumque tandem modo concursum illum indifferentem exponant) relicta videlicet humanæ voluntati libertate, hoc, illudve agendi: Ut enim Deus uno, eodemque nutu voluntatis suæ) quem Theologi actionem virtualiter transeuntem vocant) omnia quamvis diversissima creavit; ita uno eodemque voluntatis suæ nutu ad omnes, & diversissimas hominis actiones concurrit: *Omnia portans Verbo virtutis*

tutis suæ, *Verbo*, inquam, *non verbis*, uno, non pluribus, sed uno omnia complectente. Effectus verò, quòd sit talis in specie non tribuitur causæ universali, & indifferenti (cùm hujus influxu etiam oppositum fieri potuisset) sed causæ particulari, & specificæ, quod exemplo Solis clarissimum est: Is enim in omnes flores fructusque arborum calore influit, unde cessante influxu, ut hieme contingit, nulli erunt flores, nullique fructus: Quia tamen influxus Solis universalis est, & ad omnes producendos fructus indifferens (nam idem æstatis calor, qui cùm spica granum, & cum vite uvas produxit, cum Lauro baccas, cum quercu glandes, & cùm malo poma produxisset) ideò fructus non Soli, sed plantæ tribuitur, hoc est, non ideò est pomum, quia à Sole, sed quia à malo; nec proles ex homine nata filia Solis, sed hominis dicitur, nam quantùm ex parte Solis erat, poterat Aquila, aut Cygnus nasci. Multò minùs monstra Soli tribuuntur, cùm hujus influxus sit ad perfecta, nisi defectus impediat causæ secundæ. Idem de influxu Dei dicas: Audi Angelicum Doctorem 1. 2. q. 80. a. 2. ad 3. *Deus est universale principium omnis interioris motus humani. Sed quòd determinetur ad malum voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humana, & à Diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis*. Et libro 3. contra Gentiles cap. 66. artic. 5. *Secunda agentia sunt quasi particulantes, & determinantes actionem primi Agentis*. Vide quæstionem tertiam de malo art. 2. *Nec obstat*, deformitatem actus ab ejus entitate inseparabilem esse; nec enim ideò sequitur, Deum, si ad unum, etiam ad aliud concurrere; nam in actu quoque visionis una eademque res est, esse actum vitalem, & esse imaginem objecti, & tamen quòd sit vitalis, non ab objecto, sed potentia; & quòd sit imago, non à potentia, sed objecto habet: Ita in actu homicidii, quidquid boni, & entis est, à Deo est fonte omnis boni; quidquid mali, & deformis, ab hominis voluntate fonte omnis mali. Idem de *obduratione* dicas, cujus causâ totam hanc disputationem texuimus. Et hæc ratio est, cur in Sacris Litteris, eadem obduratio, jam Deo, jam homini tribuatur, utriusque enim est diversa ratione. Nunc audi Augustinum de Genesi ad litteram capite 5. *Non dicimus, Deum fecisse tenebras, quoniam speciem ipsam Deus fecit, non privationes, quæ ad nihilum pertinent, quas tamen ab eo ordinatas intelligimus, cùm dicitur: & divisit Deus inter lucem, & tenebras; ne vel ipsæ privationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta regente atque administrante: sicut in cantando interpositiones silentiorum certis, & moderatis intervallis, quamvis vocum privationes sint, benè tamen ordinantur ab iis, qui cantare sciunt, & suavitati universæ cantilenæ aliquid conferunt. Et umbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt, ac non specie, sed ordine placent. Nam, & vitiorum nostrorum non est Author Deus, sed tamen ordinator est, cùm eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit quæ merentur. Ad hoc valet, quod oves ponuntur ad dexteram, hædi autem ad sinistram. Quædam ergo facit Deus, & ordinat; peccatores autem in quantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantùm. Ipso ergo faciente, pulchra sunt singula, & ipso ordinante, pulchra sunt omnia*. Addi potest, & alia horologii gnomici similitudo: In hoc enim duo ad umbram concurrunt, Sol, & ferrum: & licèt sine Sole umbra non esset, ea tamen, cùm privatio lucis sit; non à Sole, sed à ferro, aliove corpore opaco est. Id tantum à Sole habet, ut per certa intervalla, ordinatimque procedat, ac Solis cursum ostendat: Ita obduratio, aliudve peccatum sine Deo non esset; nec tamen à Deo est, sed à libero, ferreoque arbitrio: id solùm à Deo habet ut ad bonum ordinetur, sicque etiam invito peccatore cursum Solis ostendat; hoc est divinæ Sapientiæ, Providentiæ, Bonitati, ac Justitiæ testimonium præbeat. Ergo quot umbræ, tot testimonia Solis, & quot peccata, tot argumenta Dei.

Alia quoque ratione hæc *obduratio*, similesq; loquendi modi, quibus Scripturæ uti solent, explicari possunt. Si videlicet dicas, nihil in Sacris Litteris frequentius esse, quàm ut de Deo, ejusque operibus humano modo sermocinentur; Sicut enim non intelligeret Gallus Arabicè, aut Persicè loquentem, ita nec homo intelligit

Deum, nisi humanè loquentem. Nec mirum est, Deum, qui, ut ab hominibus amaretur, humanam naturam induit, voluisse etiam, ut ab hominibus intelligeretur, humanam linguam imitari: & ideò videmus mille locis, Deo in Scripturis manus, pedes, cor, dolorem, iram, pœnitentiam, aliosque humanos affectus tribui; non quòd ista revera in Deo sint, sed quòd istorum effectus: Facit enim Deus Omnipotentia, Amore, Justitia, Misericordia, Patientia, quod homines manu, corde, ira, pœnitentia, & somno solent. Hac ergo ratione dicitur Deus *obdurare*, *excæcare*, non quòd revera id faciat, & velit; aut quòd ejus beneficia, & influxus eò spectent, cùm potiùs ex natura sua, Denique clementia, ac intentione ad solveudam cæcitatem, & obdurationem dirigantur. (quid enim ad molliendùm cor Pharaonis, ad eliminandas tenebras Judæorum aptiùs potentiusque facere Deus potuit, quàm quod fecit?) Sed quòd ex Dei longanimitate, & clementia non alius sequatur effectus, quàm major cæcitas, majorque obduratio. Sic dicimus, Magistrum pœnis, & flagellis nihil aliud agere, quàm ut contumacem Discipulùm magis, magisque obduret: Dominum beneficiis, & indulgentia servos indomitos, & insolentes reddere; non quòd hoc velint, sed quòd non alius effectus sequatur, quàm si id vellent, dataque opera molirentur. Eadem ratione; qui manu crystallum tenet, illudque cadere, elidique permittit, dicitur fregisse, cùm tamen id solùm permiserit, & casus, ac damnum vitri non positivè ab homine permittente, sed à fragilitate cadentis vitri proveniat, cadit enim, & frangitur, quia vitrum est: Sic qui laxatis vinculis Leonem permittit in hominem ruere, dicitur hominem occidisse, non quia positivè occidit, sed quia permisit, effectu non minùs ex hac permissione, quàm ex positivo influxu sequente: Ita Deus dicitur humano sensu obdurare, quia ita ipso permittente non minùs obduratio in voluntate humana sequitur, quàm in aqua sequatur frigus, igne ac calore subducto; tàm enim pronum est homini durari, & cæcari, quàm innatum est aquis, cessante igne frigere, aut terræ obscurari cadente Sole: illo tamen discrimine, quòd, ut suprà vidimus, Deus nunquam occidit homini, nunquam desinit misereri, nisi planè repulsus: Si enim quæras, cur permittat? Respondetur, id partim ex judiciis occultissimis quidem, sed non injustis provenire; partim ex impedimentis, quæ voluntas Deo vocanti opponit; nec enim deserit, nisi deserentem; quod de ipso Pharaone omnium obduratorum Principe Augustinus testatur; sic enim in lib. 84. quæst. loquitur apud Bedam in cap. 9. ad Roman. fol. 225. *Si expurgaveris vetus fermentum, & non adhuc parvulus in Christo ut lacte potandus sis, & perveneris ad virum perfectum, de quo dicitur: Sapientiam loquimur inter perfectos; tunc demum, rectè, & non præposterè audies, si qua sunt de Animarum occultissimis meritis, & de gratia, vel justitia secreta Omnipotentis Dei. Nam de Pharaone facilè respondetur, prioribus meritis, quibus afflixit in Regno suo peregrinos, dignum effectum, cui obduraretur cor, ut nec manifestissimis signis jubentis Dei crederet. Ex eadem ergo massa, id est, peccatorum; & vasa misericordiæ pretulit, quibus subveniret, cùm eum deprecarentur, & vasa iræ, quorum supplicio illos erudiret, idest, Pharaonem, & populum ejus: quia quamvis essent utrique peccatores, & propterea ad unam massam pertinerent, aliter tamen tractandi erant, qui uni Deo ingemuerant, ut eis subveniret, & aliter illi, quorum injustis operibus ingemuerant. Pertulit ergo in multa patientia vasa iræ, & eo ipso, quo ait, in multa patientia; satis significavit, priora eorum peccata, in quibus eos pertulit, & opportunè tunc vindicavit, quando de illorum vindicta subveniendùm erat his, qui liberabantur, & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa Misericordiæ. Nunquid enim latebat Pharaonem, quantum bonum consecutæ fuerant illæ terræ per adventum Josephi? Illius ergo rei gestæ cognitio, ejus vocatio fuit, ut populum Israel misericorditer tractans, non esset ingratus. Quòd autem huic vocationi obtemperare noluit, & exercuit crudelitatem in eos, quibus humanitas, & misericordia debebatur, meruit pœnam, ut induraretur illi cor, & tantam cæcitatem mentis pateretur. Hæc autem vocatio, quàm sive in singulis hominibus, sive in populis,*

lis, atque in ipso Genere humano per temporum opportunitates operatur, altæ, & profundæ ordinationis est, & comprehendi non potest, nisi fortè ab iis, qui diligunt Deum ex toto corde. Tanta enim charitate fundati possunt jam fortasse cum Sanctis comprehendere longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profundum. Illud tamen constantissima fide retinendum, neque quidquam Deum injustè facere, neque ullam esse naturam, quæ non Deo debeat id, quod est. Ex quibus Augustini verbis clarum est, obdurationem, & cæcitatem, si propriè loquamur, non ex Dei voluntate, sed hominis culpa, liberoque arbitrio provenire. Quod etiam nec minùs luculenter Scriptura ipsa testatur, quæ optima sui interpres est: Nam. Sap. 2. *Excæcavit*, inquit, *eos malitia eorum*. Et Job. 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini, qui dicunt Deo: recede à nobis*. Et Joan. 1. *In Mundum venit, & sui eum non receperunt*. Et Joan. 5. *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*. Et Joan. 3. *Lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, erant enim mala opera eorum*. Ubi cernis causam obdurationis, & excæcationis non in divina, sed humana voluntate esse. Quod adhuc multòque manifestiùs ex iis ipsis locis constat, qui nobis opponuntur: ubi enim Isaiæ 6. dicitur: *Excæca cor populi hujus, ut videntes non videant, & audientes non intelligant, ne fortè convertantur, & sanem eos*. Salvator ipse hunc Isajæ locum Matth. 13. ita exponit: *Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ Prophetæ: Audietis, & non intelligetis, incrassatum est enim cor populi hujus, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos*. Et Actor. ultimo: *Benè Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam: aure audietis, & non intelligentis; & oculos suos compresserunt, ne forte videant, & conversantur*. Ubi iterum advertis, totam causam excæcationis in solos Judæos referri. Sic etiam ubi Exodi 7. habetur: *Ego obdurabo cor Pharaonis*, id in textu Hebraico sæpissimè Pharaoni, ejusque malitiæ, perversæque voluntati adscribitur: nam eodem cap. 7. vers. 12. *Et roboravit*, inquit, *se cor Pharao, & non andivit*. Et vers. 22. & 23. *Roboravit se cor Pharao, & non audivit, & non posuit cor suum ad hoc*. Et cap. 8. vers. 15. *Et aggravavit cor suum, & non audivit*. Et vers. 32. *Et aggravavit Pharao cor suum etiam vice hac*. Et cap. 9. vers. 7. *Et aggravavit se cor Pharao, & non dimisit*: Et vers. 22. *Et non posuit cor suum ad Verbum Domini*. Et cap. 10. vers. 35. *Et vidit Pharao, quod cessasset pluvia, & addidit ad peccandum, & non aggravavit cor suum*: Et vers. 27. *Et dixit Pharao: peccavi hac vice: Dominus justus, & ego, & populus meus impii*. Et cap. 14. vers. 5. *Et vertit se cor Pharao, & servorum ejus*. Quamvis ergo improprio, humanoque more loquendo, & ex causis suprà libatis, dicatur Deus, cor Pharaonis obdurasse, quia obdurari permisit; vera tamen & propria hujus obdurationis causa ipsius Pharaonis malitia, & avaritia fuit, nolentis populum dimittere, cujus operas, & servitia sibi, regnoque utilissima, & quæstuosa censebat: si ergo, quando dicit Scriptura: *Manus Domini fecit hæc omnia*; non intelligis propriam manum, ne Deum facias corporeum; & cùm iterùm dicit: *tactus dolore cordis intrinsecus, pœnitet me fecisse hominem*; non intelligis propriam pœnitentiam, propriumque dolorem, ne Deum facias mutabilem, & corruptibilem; cur etiam quando dicitur, obdurasse cor Pharaonis non intelligas in propriam, & metaphoricam causam obdurationis, ne Deum facias impium, & seductorem? Id enim multò pejus est, quàm facere corporeum, & mortalem. Obdurat ergo Deus, obdurat peccator; sed peccator faciendo, Deus non impediendo. Sed audiamus disertissimum de hac re Augustini, testimonium, sic enim *Tract. 53. in Joan.* Ratiocinatur: *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum. Hic dicitur nobis: si non potuerunt credere, quod peccatum est hominis non facientis, quod non potest facere? .... Audistis Fratres mei propositam quæstionem, nempè quàm profunda sit, cernitis; sed respondemus, ut possumus. Quare non poterant credere, si à me quæratur, citò respondeo, quia nolebant; malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt. Sed aliam causam, inquis, dicit Propheta, quia indu-*

ravit cor eorum. Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo; sic enim excæcat, sic obdurat Deus, deserendo, & non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. Quid ergo dicimus? numquid iniquitas est apud Deum? absit: si ergo absit, sive quando adjuvat, misericorditer facit, sive quando non adjuvat, juste facit, quia omnia non temeritate, sed judicio facit. Porrò si judicia Sanctorum justa sunt, quantò magis Sanctificantis, & justificantis Dei? justa ergo sunt, sed occulta. Ideò cùm quæstiones hujusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic, non nobis judicium de judicio tanti Judicis usurpemus; sed contremiscentes exclamemus: O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Unde dictum est in Psalmo: judicia tua abyssus multa. Non ergo mei Fratres ad hanc penetrandam altitudinem, ad hanc abyssum discutiendam, ad inscrutabilia perscrutanda expectatio vestræ charitatis impingat. Agnosco modulum meum; altiùs est hoc incrementis meis, & fortius viribus meis, puto, quia, & vestris. Ipse enim Dominus JESUS suis illis magnis, & præcipuè electis Discipulis dicebat: multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Ambulandum est, proficiendum est, crescendum est, ut sint corda nostra capacia earum rerum, quas capere modò non possumus. Quòd si nos ultimus dies proficientes invenerit, ibi discemus, quod hic non potuimus. Si quis autem istam quæstionem liquidiùs, & meliùs novit se posse, & confidit exponere, absit, ut non sim paratior discere, quàm docere, tantùm ne audeat quisquam liberum arbitrium sic defendere, ut nobis orationem, qua dicimus: ne nos inferas in tentationem; conetur auferre: rursus ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum. In utroque ergo illius beneficia cognoscamus: nam agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas, ut filii Dei fiamus, & orandum, ne succumbat infirmitas. Sic ergo dictum est, non poterant credere, ubi intelligendum est, quòd nolebant, quemadmodùm dictum est de Domino Deo nostro: negare se ipsum non potest. De omnipotente dictum est, non potest. Sicut ergo, quòd Dominus negare se ipsum non potest, laus est voluntatis divinæ: ita quòd illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ. Hinc, & illi non poterant credere, non quia mutari in melius non possunt, sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere; hinc excæcantur, & indurantur, quia negando divinum adjutorium, non adjuvantur. An fortè, & hoc de supernæ medicinæ misericordia factum intelligendum est, ut quoniam superbæ, & perversæ voluntatis erant, suam justitiam constituere volebant, ad hoc desererentur, ut excæcarentur, ad hoc excæcarentur, ut impleretur facies eorum ignominia, atque in humiliati quærerent gloriam Domini, & non suam. Hìc planè Augustinus clarissimè simul, & elegantissimè mentem suam exposuit; nec credo, in omnibus Augustini operibus luculentius testimonium esse. *Primò* enim quæstionem proponit, qua ratione ad Deum referri causa indurationis non debeat, cùm de ipso Isaias dixerit: *excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: Secundò*, ad propositam quæstionem respondet: duas hujus obdurationis assignari rationes posse, quæ tamen in unam reducantur: *primam*, & præcipuam, voluntatem Judæorum fuisse, quod videlicet nollent credere, quodque metuerint, ut indurarentur, hoc est, ut à Deo desererentur: meruerint, inquam, quia operibus Legis, & superbia tumidi nollent fidei subjecti esse; nollent in Mediatorem, & Salvatorem credere. Quòd verò id nollent, imò non possent; id non ex gratiæ defectu, divinaque voluntate (cùm mutari utique in melius possent, quæ potestas à gratia erat) sed ex eorum malitia provenisse, qui quamdiu talia saperent, in sensu composito, ut Theologi loquuntur, credere non poterant; sicut quamdiu oculos aliquis claudit, non potest videre: quòd igitur non possent credere, culpæ ipsorum fuisse. *Tertiò*. Quantùm verò ex parte Dei est; ideò illum dici obdurasse, quia obdurationem non impedivit; ideò verò non impedivisse, *tùm* quia superbia, & perversitate sua id merebantur. *tùm* ut implerentur facies eorum ignominia, & hac saltem ratione humiliati discerent, quod superbi discere non poterant, *tùm* denique, quia hoc ad occulta, non tamen injusta Dei judicia

cia pertinet. *Quartò*: Non per Deum stare (qui est scopus Disputationis nostræ) ut etiam excæcati, obduratique salventur, *tùm*, quòd eorum obduratio, à peccatis, propriaque voluntate, non divina fit, *tùm* quia etiam dum eos excæcari Deus permittit, gratiam tamen largitur, qua potestatem habeant, in filios Dei evadendi, quaque mutare perversam voluntatem in bonam possint. *Denique* docet Augustinus, duo in hac quæstione Christianis inconcussa tenenda esse: *primò*, nullam in Deo esse iniquitatem: *deinde*; nemini libertatem; & potestatem ad credendum beneque vivendum deesse. Hæc ergo Augustini sententia est, totam obdurationis causam in malitiam, & voluntatem humanam referentis, etiam ex illa parte, qua Deum pemittentem, & non impedientem spectat, quod licèt non omnes modò intelligant, intelligent tamen aliquando, velo mortalitatis ablato.

Sed audi Augustinum Serm. 88. de temp., vel potiùs, ut notant in ultima Augustini editione Patres Benedictini Parisienses, Cæsarium Arelatensem Augustino coævum, Faustique, ac Pelagianorum hostem acerrimum, qui multa de gratia, & libero arbitrio ex Sacris Scripturis, sanctisque Patribus contrà eandem hæresim collegit, quæ postea Felix Papa per Epistolam suam confirmavit, ut videre est apud Philippum Labbæum de Scriptor. Eccclesiastic. Is ergo, seu Augustinus, seu Cæsarius, ita scribit: *Rogo vos, Fratres charissimi, ut primò hoc fideliter, & firmiter credat Dilectio vestra; quia nunquam prius Deus deserit hominem, nisi priùs ab homine deseratur. Cùm enim, & semel, & secundò, & tertiò unusquisq; gravia peccata commiserit, expectat tamen illum Deus, ut convertatur, & vivat. Cùm verò in peccatis suis ceperit permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur. Dum homines negligentes in primis despiciunt peccata sua, quia parva sunt, crescentibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt, & demergunt. Quod cùm factum fuerit, impletur hoc, quod scriptum est: Peccator, cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Quæ ideò Charitati vestræ insinuare volui, ut intelligatis, quia, & obduratio non Dei potentia compellente dicitur, sed Dei remissione vel indulgentia generatur, ac si Pharaonem non divina potentia credenda est obdurasse, nam quoties eum Dei plaga percussit, afflictus pænituit. At ubi ei remissio divina indulgentiam dedit, iterum se in superbiam elatus erexit. Hoc ergo definitissimè credite Fratres, & hoc intelligite, quia quoties Dominus dixit: Ego indurabo cor Pharaonis; non aliud intelligi voluit, nisi: Ego, inquit, suspendo plagas meas, unde eum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto. Sed fortè aliquis dicat: quare illum Deus parcendo indurari fecerit, & quare flagella removerit? hoc loco securus ego respondeo: ideò Deus toties flagella removit, quia Pharao pro ingenti cumulo peccatorum suorum, non tanquam filius ad emendationem meruit corripi, sed tanquam hostis permissus est indurari. De hac obduratione etiam Propheta ex persona populi ad Dominum clamat, dicens: Indurasti cor nostrum, ne timeremus te, quam rem multis præcedentibus sacrilegiis in populo Judæorum impletam esse cognovimus. Nemo ergo cùm Paganis, aut Manichæis Dei justificationem reprehendere, aut culpare præsumat, sed certissimè credas, quòd Pharaonem non Dei violentia, sed propria iniquitas, & indomabilis superbia contra Dei præcepta fecerit obdurare. Quid est autem, quod dixit: Ego indurabo cor ejus, nisi, cùm abstuleris gratia mea, obdures illum nequitia sua. Sicut enim quoties nimio frigore aqua constringitur, Solis calore superveniente resolvitur, & decendente eodem Sole iterum obduratur; ita nimirum peccatorum frigore refrigescit charitas multorum, & velut glacies obdurantur, & cùm iis iterum calor divinæ misericordiæ supervenerit, resolvuntur. Quod etiam erga Pharaonem impletum est, à quo quoties flagella remota sunt, contra Deum se obduravit; quoties verò afflictus est, humiliter supplicavit. Quare autem Deus noster non omnes ita misericorditer flagellat, ut nullum contra se obdurari permittat? aut illorum iniquitati adscribendum est, aut ad inscrutabilia Dei judicia referendum. Quam rem etiam circa Vernaculos nostros exercere consuevimus, quos nimis delicatè, aut remissè nutrimus, vel quibus frequenter peccantibus indulgemus: Cùm enim pejores de ipsa remissione redduntur, solemus his exprobrantes dicere: Ego te talem feci, ego tibi parcendo proterviam tuam,*

suam, negligentiamque nutrivi. Et hæc non dicimus, quod ex voluntate nostra in tantam sint superbiam devoluti, sed quia magis de bonitate, vel indulgentia nostra fuerint obdurati. Ita, & Deus de Pharaone fecisse dignoscitur. Nos verò Fratres charissimi, qui in veritate agnoscimus, quòd ex multitudine peccatorum desperatio nascitur, & ex desperatione obduratio generatur; quoties nobis aliqua peccata surrepserint, sine ulla mora medicamentum eleemosynæ, vel potentiæ festinemus animarum nostrarum vulneribus providere. Utiliter enim malagina, vel fibula calidis adhuc vulneribus apponitur, & citò ad sanitatem vulnus reducitur; quod putrescere longa abusione non sinitur. Hactenus Augustin vel Cæsarius. Circa cujus verba aliqua observentur. *Primò*. perpetuam esse hujus S. Doctoris sententiam, quam in hoc etiam sermone tantopere auditoribus inculcat: *Deum* videlicet *hominem non deserere, nisi priùs ab homine deseratur* per peccatum videlicet actuale: namsi de originali intelligatur, cùm nemo hoc careat, frustra poneret Augustinus discrimen inter eos, qui Deum deserunt, & eos, qui non deserunt, cùm nemo peccato originali careat. Ut taceam illum, qui solo originali tenetur, dici non posse, Deum deserere, cùm ipse peccatum hoc non faciat, sed ab alio factum contrahat potiùs, quàm committat. Si ergo Deus neminem deserit, nisi desertus, quomodo in illo prædestinationis decretorio momento, & in quo summa rerum incommutabiliter vertitur, tot hominum myriades deseruit, ab iis non desertus, hoc est, nullo eorum peccato, demeritòque prævisо? planè ut hæc omnium maxima desertio, ita non potuit à Deo initium ducere, sed à prævisis hominum peccatis. Priùs ergo quàm peccata hominum prævidentur, sicque quantùm ex parte Dei fuit, nemo desertus, nemo exclusus, nemo reprobus; ergo nemo non electus. *Secundò*, obdurationem peccatoris non à Dei voluntate, non à potentia, sed ad hominis malitia, ejusque peccatis ortum ducere, longa serie commissis, nullaque pœnitentia deleris; tunc enim permittente DEO, sed homine agente, & promerente obduratio nascitur. *Tertiò*, Deum, quamvis desertum, nunquam tamen ita hominem, licèt obstinatissimum deserere; ut non ei gratiam tribuat, qua, & possit pœnitere, imò, & qua actu pœniteat, si velit, ut Pharaonis exemplo patuit, qui Deo flagellante jam in Mosen exarsit, eique mortem minatus est; jam pœnituit, suumque peccatum, & agnovit, & palàm confessus est: *Dominus*, inquit, *justus est; ego autem, & populus meus impii*. Quem ergo peccatorem deserat Deus, si non deseruit Pharaonem? aut quis tàm obduratus, qui non possit, quod Pharao, & potuit, & fecit.

Quartò denique, si quis ad primum peccatum, aut cujuscumque hominis, aut Adami, aut etiam Angelorum deveniat, interrogetque, cur Deus hominem permiserit in primum peccatum illud delabi? Respondendum erit primò, inverecundam hanc quæstionem esse, cùm Deus profiteatur, se illud velle ignorari, quæ ergo audacia est, scire velle, quæ Deus velit non sciri? perinde ac si tonsor aliquis, aut agaso, non vocatus, non admissus, Regium thalamum irrumpat, velitque explorare, quid, & quare in arcano, & Senatu decretum? quid tonsori, & senatui? quid mancipio, & thalamo? *Deinde* suscitanti, cur ergo aut Angelus, aut homo primum peccatum admiserit? respondendum est: quia voluit. Quòd si porrò insistas: cur voluerit? respondeo, stultam hanc esse quæstionem, nec responso dignam; cùm enim prima, & peccandi causa sit creaturæ voluntas, idem est, quærere causam, cur voluerit, quòd quærere, cur prima causa non habeat aliam causam? hoc enim ipso, quod est prima, aliam non habet, & ideò nec alia quærenda est. Eodem modo, si quæras, cur Deus primum peccatum in Angelo, & Adamo permiserit? respondendum erit: quia Angelus oblata gratia uti noluit, obicemque posuit vocanti, & adjuvanti DEO. Quòd si pergas suscitari: cur Deus hoc impedimentum auferre noluerit, aliamque gratiam, qua prævidebat, usurum, non in suppetias miserit? respondebitur, quia id ordo singulis creaturis præscriptus exegit; nam ut in naturalibus, ita in supernaturalibus rebus, omnibus quidem necessaria ad finem obtinendum media præbentur,

tur, non tamen eadem omnibus, sed aliis alia. Quòd si rursus inquiras: cur hunc potiùs, quàm alium ordinem, seriemque mediorum Deus homini, aut Angelo parare voluerit? respondeo, importunam hanc esse, absurdamque quæstionem: cùm enim divina voluntas sit prima rerum omnium, & rectissima causa, nullam aliam, & priorem causam habet: idem ergo est, causam primæ causæ inquirere, quàm petere, cur prima principia non per alia probentur, cur triangulus habeat tres angulos, aut cur circulus sit rotundus; si enim est prima causa, non habet aliam; si non habet aliam, non est quærenda.

Pergit Apostolus: *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te; ut ostendam in te virtutem meam*. Jam supra ostendimus, non ideò velle Deum peccata, ut ex illis aut potentiæ, aut misericordiæ ostentandæ occasionem captet, cùm infinita alia media non desint; hunc finem innocenter nulloque hominum damno consequendi; majoris enim potentiæ est, facere, & conservare, quàm perdere, & demoliri, nec misericordia, sed crudelitas esset, miseros facere, ut possis misereri; id enim perinde fuerit, ac si Medicus aliquos vulneret, ut peritiam curandi aliis ostendat. Audi Sanctus Augustinum in Psalm. 58. *Est quædam iniquitas, quam qui operatur, non potest fieri, ut ei misereatur Deus; ipsa est defensio peccatorum: Si enim quid mali fecerint, volunt Deo imputari. Nemo est, qui audeat dicere: bonum est adulterium, bonum est furtum, sed quomodo ista defendunt. Si Deus noluisset, id non fecissem; quid vis faciam fato meo? ergo peccatum tuum defendis, ut Deum accuses? Ideo excusatur reus, ut culpetur Judex? prorsus talem iniquitatem operantium non miseretur Deus*. Si ergo voluntatem Dei *antecedentem* consideres, ideò Deus Pharaonem creavit (idemque de omnibus peccatoribus dicas) ideò Regem fecit, ideò peccatorem sustinuit; ut Deo serviret, ut cœlo potiretur; ut peccata corrigeret, ac pœnitentia deleret. Hoc, inquam, Deus voluit; hoc unicè intendit. Quòd si peccator Dei patientiæ, & misericordiæ non cedat; gratiasque oblatas iterum, iterumque respuat, tunc demum vult Deus voluntate *consequente* peccato, tanquam veneno, ad aliorum sanitatem; & correctionem, aliosque honestissimos fines uti, quales sunt: Potentiæ, misericordiæ, gloriæque suæ manifestatio; sicque instar peritissimi Pictoris non auro tantùm, minioque; verùm etiam umbris, & atramento imaginem bonitatis, & sapientiæ suæ pingere; nam ut in tabula, ita, & in Mundo, non alia res magis picturam, & lumen, quàm umbra commendat. Non ergo vult Deus, Pharaonem peccare, sed postquam peccare Pharao statuit, vult peccato Pharaonis ad bonum uti; sicque, ut toties inculcat Augustinus, Deus non est *Author*, sed *Ordinator* peccati, prohibet enim fieri; sed facta in bonum vertit, more videlicet sapientissimi Medici, non facientis quidem venena, sed facta in medicinas, & sanitatem aptantis. Quod ergo de cloacis Romanis Plinius notat lib. 36. cap. 8. *Eas fuisse operum omnium dictu maximum, suffossis montibus, atque urbe pensili, subterque navigata*; hoc de peccatoribus dicas, DEO non minorem in illis ordinandis, quàm in bonis quibuscunque providentiam suam testante; quantò enim magis malum à bono distat; tantò majoris potentiæ tàm remota, & pugnantia jungentis. Cloaca ergo Pharao, cloaca Herodes, cloacæ omnes impii, sed non ideò istis turpior Mundus, sicut nec illis turpior Roma, Deo etiam turpia in miracula vertente.

Sed nemo Apostoli sententiam meliùs Apostolo ipso exponet. Dixerat in hoc capite: *Quia ad hoc excitavi te* (hoc est, ut Hebraicus, Chaldaicus, & Græcus textus habent: *sustinui, conservavi te* (*ut ostendam in te potentiam meam*; quod qua ratione sit intelligendum; idem Apostolus ad Rom. 2. jam suprà iis verbis clarissimè ostenderas: *An divitias Bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis ignoras? quoniam benignitas Dei ad pænitentiam te adducit; secundùm autem duritiam tuam, & impænitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ*. Quam sententiam textus Græcus majori cum emphasi expressit: εἰς μετάνοιάν σε ἄγει; hoc est, *ad pænitentiam te agit, urget, impellit*: in quæ verba Hieronymus:

Sicut

Sicut qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri, ut fugiat, quòd si fugere nolit, tantò fortiùs sagitta emissa configitur; Sic Deus, qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem supplicii gravitate compensat. Quòd ergo Deus Pharaonem sustinuit, totque prodigiis, & flagellis admonuit; id ad *divitias bonitatis patientiæ, & longenimitatis* ejus pertinuit, nec alio fine, quàm ut eum ad pœnitentiam adduceret, imò ut Græcus habet: *urgeret, impelleret*. Sed illo recusante, & secundùm *duritiam, & impœnitens cor suum* divinam iram provocante; successit voluntas consequens, qua decrevit Deus malitiam Pharaonis ad majorem gloriam, potentiam, & justitiam suam ostendendam vertere, illaque uti ad populum suum in vera fide, ac Religione confirmandum. Duo ergò ad sustinendum, ferendumque Pharaonem Deum promoverunt, benignitas, & justitia; Benignitas, ut converteretur, justitia, ut puniretur; sed ut priùs benignitas, quàm justitia, (sicut, & in quolibet non pessimo Principe prior pacis, quàm belli voluntas) noluit enim justitiam, & potentiam suam in illo experiri, nisi postquam toties, & tamdiu benignitatem frustratus est. Ubi etiam observa, ex hoc ipso loco ad Rom. 2. clarè ostendi, Deum non esse causam *obdurationis*, Dei enim patientia peccatorem ad *pœnitentiam* adducit, ut hic Apostolus docet, obduratio verò non adducit ad pœnitentiam, sed potiùs abducit; non ergo Deus causa obdurationis, quàm potiùs expellit. Simile est illud Isaiæ: *Expectat Dominus, ut misereatur vestri*; expectat, inquit, nòn ut puniat, & perdat, sed ut misereatur, & parcat.

Denique: *An non habet*, inquit Apostolus, *figulus potestatem, ex eadem massa aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam faciendi?* Aliud hoc argumentum est: quo beatus Apostolus sententiam suam confirmat: Opponentibus enim Judæis, & causam flagitantibus, cur Deus Gentiles in populum suum elegisset? respondet, nullum quæstioni, nullum querelæ locum esse: tàm enim Judæos, quàm Gentiles peccatores, & utrumque populum sine omnibus operibus bonis, & cùm multis operibus malis fuisse; cùm ergo uterque nihil haberet, quod gratia dignum esset; eadem ratione Deum unum præ alio adoptasse, ac Legis Avangelicæ Sectatores Judæis prætulisse, qua figulus ex eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam facit: Id enim tàm injustum non esse, quàm non est injustum, si cùm duo tibi centum talenta debeant, alteri debitum remittas, ab alio exigas; nam quòd exigas, justitia est, quod remittas; gratia, quam rationem perpetuò Augustinus urget. Sic etiam, si è duobus fratribus æquè sordido, ac plebejo sanguine natis, unum Princeps in filium, & hæredem adoptet, alium conditioni suæ relinquat; nec relictus habet, quod conqueratur; nec electus, quo glorietur; hic enim accepit, quod non merebatur, ille non accepit, quod non debebatur. Idem de Judæo, & Gentili dicas. Uterque ad eandem massam pertinebat, quia uterque peccator, uterque adoptione indignus; quòd verò Gentilis præ Judæo assumptus; id meræ gratiæ, & voluntatis fuit, tantòque minor Judæo dolendi causa, quòd, & ipse pertinere ad Electos possit, si velit, & credat; nam si nolit, se ipsum arguere, sibique irasci, non Deo debet. Potest etiam hæc sententia hoc modo explicari. Si Deus permittat, alios in peccatis suis pessum ire, ut olim Pharaonem, alios verò non permittat, ut Nabuchodonosorem Regem; tam id Deo verti vitio non posse, quàm non potest figulo, aliud vas in honorem, aliud in contumeliam facienti: utitur enim Deus jure, ac potestate sua, cum instar optimi Regis duobus æquè reis, æquè pœnam, ac supplicium meritis uni clementissimè parcit, alterum justissimè punit, tantoque justiùs, quòd etiam isti veniam, ac gratiam obtulerat, volebatque indulgere, nisi maluisset perire. Cæterum jam supra ostendimus, Deum voluntate antecedente, & quantùm ex se est, neminem facere vas in contumeliam, sed solùm voluntate consequente, destinando videlicet ad pœnam, quos prævidit malo pertinaciter, & usque ad finem inhæsuros. Duo ergo ad faciendum vas in contumeliam concurrunt, peccator, & Deus: peccator delinquendo, Deus plectendo; cùm verò plectit, po-

potentiæ,& justitiæ est; cùm non plectit, patientiæ,& misericordiæ. Semper ergo verum est, quod dicit Apostolus: In potestate figuli esse, aliud vas in honorem, aliud in contumeliam facere; hoc est; in potestate Dei esse, aut parcere, aut punire, utrumque voluerit.

Sed ut totam hanc, longamque disputationem, qua sententiam Apostoli exposuimus, in compendium colligamus, retexere omnia lubet, & sub unum aspectum ponere. Conquæruntur Judæi,adoptionem, & hæreditatem cœlestium bonorum Abrahæ, ejusque posteris promissam, ad Gentiles velut exteros nihilque meritos deferri, nec æquum putant,majorem fidei Christianæ (qua Gentiles præferebantur) quàm Legis Mosaicæ tot sæculorum possessione insignis rationem haberi. Respondet Apostolus, verum quidem esse, inscrutabili Dei judicio fidem Christianam Mosaicæ prælatam,& non huic, sed illi veniam peccatorum, gratiam justificantem, adoptionemque adstrictam esse, idque sola Dei voluntate,nulloque vel ad opera Legis Mosaicæ,quibus tantoperè Judæi fidebant, vel ad demerita, & peccata Gentilium respectu. Sed id nec mirum, nec novum, nec iniquum videri Judæis debere: An enim Jacobus, licèt secundo loco genitus, non ante ortum, sicque nullo operum merito, solaque Dei electione prælatus in Regno fratri majori fuerit? cur ergo Deus non possit Christianam Legem præferre Mosaicæ? An figulus non habeat potestatem, ex eadem massa vas aliud in honorem, aliud in contumeliam fingendi? Cur ergo non habeat potestatem Deus, ex eadem peccatorum, nihilque merentium massa Christianos potiùs quàm Judæos adoptandi? Maximè, cùm & istos adoptare paratus sit,modò Christum accepent, ejusque se legi subdant; quid enim justiùs peti posse,quàm ut figulo lutum obediat? An non Nabuchodonosoris, & Pharaonis Regum meminerint? quorum, cùm uterque peccator esset, sicque privari Regno, perdique meruisset, uni tamen, licèt immeritò, benignissimè Deus pepercerit, aliorum, quia pœna dignum justissimè punierit? Si ergo nulla iniquitas, imo maxima æquitas Principis, duobus æqualiter supplicium meritis, ita pœnam moderari, ut clementia rigori mixta uni indulgeat,alterum plectat multò minùs aspergi Deo invidiæ,& injustitiæ qualemcumque notam posse, si cùm Judæi, & Gentiles æquè indigni essent (imò ob ingratitudinem Judæi magis) cumque nec operibus Mosaicæ Legis, nec Fidei Christianæ adoptio,& Regnum deberentur, voluerit tamen fidem in Christum medium ad Regnum, & adoptionem consequendam potiùs esse,quàm Mosaicam Legem, quòd si rationem quærant, cur antiquis illis, cur Templo,cur Sacrificiis, Evangelium & Crucem Deus prætulerit; id arcanum supra hominis modulum, & captum esse, & ideo non quæstionem, sed fidem, & obsequium mereri; tam enim non esse hominis, de Arcanis Dei, quàm non esse servi de arcanis Principis judicare. Hactenus Apostoli sententia.

Ex quibus tandem facilè ad *objectionem* initio factam *respondere* est. Opponebatur enim: Deum, cujus vult misereri, & quos vult indurare, aliosque facere vasa misericordiæ, alios vasa contumeliæ; non ergo omnium, sed aliquorum tantùm misereri. *Respondes* enim, ea verba Apostoli non de gratia Vocationis intelligi, quæ omnibus datur, sed de gratia adoptionis, ipsaque æterna gloria, quàm cùm posset Deus tam Judæis, quàm Christianis dare, noluit dare Judæis, quamdiu tales essent, sed Christianis tantùm Evangelicam Legem observantibus. Quod si velit omnino etiam de gratiis actualibus ad evitanda peccata, Legemque implendam intelligi; dicendum est, Deum aliorum quidem misereri, alios verò ut obdurentur, permittere, sed tamen nec ipsos obduratos prorsus deserere, quando etiam, dum obdurari permittit,potestatem largitur, qua in melius mutentur, quæ potestas non aliunde, quàm à gratia proficiscitur. Nam, ut ait S. Augustin. lib. 1. Retract. cap. 22. *In potestate quippe hominis est, mutare in meliùs voluntatem, sed hæc potestas nulla est, nisi à Deo detur, de qua dictum est: Dedit eis potestatem, filios Dei fieri.* Et lib. 1. de sermonibus Domini cap.15. *Nulla est anima, quamvis perversa, in cujus conscientia non loquatur DEUS:* & in Psalm.6. post medium, de peccatoribus obduratis loquens: *Dedit Deus eos in reprobum sensum, nam ea est cæcitas mentis, in eam quis-*

quis

quis datus fuerit, ab anteriore Dei luce secluditur, non tamen penitus, dum in hac vita est. Idemque docet Tract. 53. cap. 12. in Joan. ubi de obduratis Judæis agit, quem locum jam supra, fuséque recitavimus. Semper ergò verum est, Deum etiam, dum punit, justitiam clementiâ miscere, nec unquam peccatorem ita deserere, ut non juvet, sicque etiam deserendo non deserere, & non miserendo misereri: eò ferè modo, quo in motibus violentis, & aliunde impressis videmus ita corpus aliquò ferri, ut non cesset in contrariam partem niti: Sol enim aliique Planetæ, quamvis motu primi mobilis in occasum rapiantur, non tamen cessant motu singulis proprio in ortum volvi, & ignis quamvis impetu deorsum actus, sursum tamen etiam, dum cadit, eluctatur, quæ in fulmine causa est obliqui motus. Eadem Deo natura est: sicut enim ignis etiam cadendo ascendit, & stellæ etiam occidendo oriuntur, ita Deus etiam non miserendo miseretur, etiam puniendo & vindicando parcit, cùm hoc ei naturale, illud violentum fit. Neque mirum, ita cum peccatoribus, & in Mundo agere Deum, quando etiam cum damnatis, & in inferno id agit, ubi citra condignum, hoc est, non absque misericordia justitiam exercet: quid ergo mirum est, nunquam Dei misericordiam peccatoribus deesse, quando ne damnatis unquam deest? Quo fit, ut etiam obduratio, quantùm ex parte Dei est, misericordia dici possit; nam ut optimè, acutéque notat Bernardus serm. contra ingratos: *Ingratis misericordiæ res est, in hac parte subtrahere misericordiam, ne culpa ex beneficiis crescat, juxta illud Prophetæ: Misereamur impio, & non discet justitiam.*

XXI. *Opponitur octavò.* Deus specialem, multóque majorem Electorum, quàm Reproborum curam habet: nam de Electis dicitur: *propter electos breviabuntur dies illi: nemo rapiet eas ex manu mea, crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam &c.* atqui hæc major Dei cura non aliundè provenire potest, quàm quia Deus aliquos vult, aliquos non vult ad gloriam pertinere. Sic etiam quod aliis detur gratia perseverandi, aliis non detur, nulla causa esse potest, quàm quia alios Deus elegit, alios non elegit.

Respondeo. Primò: Quamvis ad hæc, istisque similia responderi nihil posset, non ideo tamen neganda essent, quæ de voluntate salvandi omnes toties, & tam disertis verbis Scripturæ testantur; tum, quia cùm verum sit unum, & falsa vero opposita sint infinita, oporteret eum, qui falsa refellit, infinitarum rerum scientiam habere, quod homini est impossibile; tum etiam, quia omni rationi adversatur, ut quis deserat certa, & clara, propter rationes incertas, & obscuras; perinde ac si aliquis dari tempus neget, quia nescit, quid sit tempus, aut neget, lucere stellas, quia lucis, & stellarum naturas ignorat. Ita velle Deum omnes salvos fieri, certum ex Scripturis clarúmque est: Quibus verò modis, quibusve gratiis hanc voluntatem suam in electos, iu reprobos exequatur; id omnino incertum, obscurumque est, quæ ergo ratio permittit, ut propter hoc incertum neges illud certum; propter hoc obscurum neges illud clarum. Quæ doctrina, licèt in omnibus locum habeat, multò tamen maximè in causa prædestinationis, & gratiæ, quam & omnes Scripturæ, & omnes Patres fatentur inscrutabilem; quid ergo scrutari, & investigare volunt, quæ ipsi consentiunt, scrutari nos, & investigare volunt, quæ ipsi consentiunt, scrutari nos, & investigare non posse? aut cur rationes eorum petunt, quæ omnem rationem longissimè superant? Cessent ergo interrogare, de quibus respondere non licet.

Si tamen scire omnino aliquid velit, cùm dicunt Deum majorem prædestinatorum, quàm non prædestinatorum curam habere, quæro, quid per majorem hanc curam intelligant? merum, internumque Dei affectum? At qui sunt ipsi, ut de occultis, intimisque Dei affectibus judicare audeant? *Quis enim novit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit?* Latro est, non amicus, qui scrinium Principis sine clave, & permissu irrumpit. An per *majorem* hanc curam intelligunt majores, fortioresque gratias prædestinatis, quàm reprobis dari? At hoc aut falsum, aut planè incertissimum est. Nam de Angelis & Magister sententiarum lib. 3. & S. Thom. 1. p. q. 62. a. 6. eleganter docent eos ita fuisse in gratia conditos, ut Lucifero multò majores gratiæ datæ fuerint, quàm Angelis sanctis, & fidelibus, sed naturæ, & ordinis inferioris.

rioris. De hominibus id ipsum, & sacræ Paginæ, & experientia testantur: comparet enim aliquis gratias ex una parte Zachæo, ex altera Judæ datas, videbitque longè plures, & majores fuisse, quibus hic reprobus ad pœnitentiam vocatus est; Zachæum enim semel tantùm Christus invisit, cùm eoque pransus est, & tamen solo aspectu, & colloquio in alium mutavit; at Judam & amicum, & Apostolum, & Thaumaturgum, & Convivam, & testem omnium miraculorum, actionumque suarum habuit, quarum vel una etiam durissimis cordibus in amorem rapiendis sufficere poterat. Illum beneficiis, illum minis, illum oculis, illum tot annorum convictu, velut perpetua obsidione pulsavit, nec tamen vicit; negari ergo non potest, plura huic reprobo auxilia, quàm prædestinato Zachæo impensa esse. Id ipsum observat S. Augustin. ad Simplician. lib. 1. q. 2. *Nathanael credidit ad unam sententiam, quam à Christo audivit. Miraculo facto in Cana Galilææ crediderunt in eum Discipuli ejus. Multos loquendo invitavit ad fidem. Multi nec suscitatis mortuis crediderunt. De cruce, & morte ejus contristati Discipuli titubaverunt, & tamen Latro tunc credidit, cùm eum non præstantiorem videret, sed consortio crucis æqualem. Multi ex eorum numero, à quibus crucifixus erat, qui videntes eum miracula facientem, contempserunt, Discipulis ejus prædicantibus crediderunt*. Idem Augustin. *lib. de prædest. & grat. cap. 15. & lib. 12. de civit. cap. 6.* docet, duobus æqualibus auxiliis à Deo datis, consentire unum, dissentire alium, nullo gratiæ, sed arbitrii tantùm discrimine. Quæ duo loca § sequenti recitabimus. Idemque docet S. Thomas 3. *p. q. 69. ar. 8. ad 2. & c. 8. ad Roman. Lect. 3.* ubi: *Hæc vocatio est efficax in prædestinatis, quia hujusmodi vocationi assentiunt*. Idemque ex Sacris Litteris constat: Negari enim non potest, plures Judæis, quàm Sydoniis, & Sodomitis Gentilibus gratias provenisse. *Luc. 10. Matth. 13.* & tamen magis Judæi, quàm Gentiles peccarunt, magisque puniendi prædicantur. Sicut ergo non ideò unus magis peccat, quàm alter, quia unus minorem gratiam habet, quàm alter; ita non ideo unus peccat, alter non peccat, quia unus minorem, alter majorem gratiam habet. Et plane ipsa divinæ bonitatis ratio exigit, ut in dandis majoribus, aut minoribus gratiis major, minorve necessitas, & infirmitas peccatoris attenderentur; ideo enim plura remedia Judæ reprobo adhibita, quàm Petro electo, quia illi gravior morbus, & ideo pluribus remediis curandus, juxta illud Christi: *Non est opus bene valentibus Medico, sed malè habentibus*; & ovis perdita studiosiùs quæsita, & in filium errantem indulgentior, & liberalior pater, quàm in semper obsequentem. Si ergo reprobis, aut æqualis, aut etiam major gratia, quàm prædestinatis datur, non potest ex hoc capite, quantumque pertinet ad voluntatem antecedentem salvandi omnes, major Dei in secundos, quàm in primos cura inferi. Si verò de gratia illa agatur, quam *congruam, & efficacem*, seu potiùs *effectricem* appellant; aut *primam*, aut *intermediam*, aut *finalem*, hoc est, perseverantiæ intelligis? *Non primam*, aut intermediam; constat enim hujusmodi gratias *congruas*, tam *primas*, quàm *intermedias*, sæpissimè, maximoque numero etiam reprobis dari, quoties videlicet actu credunt, honestèque operantur, & aliquas tentationes vincunt (quis enim tam reprobus, ut succumbat omnibus?) Non ergo hoc electorum, reproborumque discrimen. Nec etiam ad gratiam *finalis perseverantiæ* recurri potest; quamvis enim hæc propria Electorum sit; non tamen ideo solùm aliis datur, aliis non datur; quia Deus alios elegit, alios reprobavit, sed quia alii bonis operibus, ac præsertim assidua prece eam à Deo impetrarunt; alii verò peccatis se indignos illa reddiderunt; poterant & ipsi impetrare, si gratiis à Deo acceptis bene usi essent, assiduèque perseverandi donum efflagitassent, ut videre est apud S. Doctorem 1. 2. q. 114. a. 9. ad 1. ac etiam 1. 2. qu. 110.... & S. Augustin. lib. de persev. à cap. 2. & cap. 22. ubi hæc habet notatu dignissima: *De ipso cursu vestro bono, rectoque condiscite, vos ad prædestinationem divinæ gratiæ pertinere: Vos ipsam obediendi perseverantiam à Patre Luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, semper debetis & quotidianis orationibus poscere, atque hæc faciendo confidere, non vos esse à prædestinatione populi ejus alienos, qui etiam hoc, ut faciatis, ipse largitur*. Non ergo vel ex gratiis natura sua robustioribus, vel ex gratiis congruis tàm

primis,

primis, quàm mediis, ac etiam finalibus colligi potest, Deum alios voluntate antecedente ad vitam elegisse, alios exclusisse; cùm hujusmodi gratiæ, ut ostensum est, aut de facto dentur reprobis, aut impetrari etiam ab istis possint, sicque quod iis careant, non minor Dei cura est, sed major illorum socordia. Alioquin qua veritate posset Christus Matth. 8. v. 12. ubi de Regno cœlesti agit, vocare reprobos *filios Regni*, si ab externo exclusit, si nunquam filii, nunquam hæredes, nunquam jus ad regnum habuere? Nam si Deus, aliquos ab æterno elegit, alios non elegit, idque arbitrio, & sponte sua; electi tantùm filii Regni, non verò reprobi dici possent, cùm sti nec jure suo, nec voluntate, & proposito Dei unquam ad Regnum destinati fuerint; sicut nec filius, hæresque Regni Gallici dici aliquis posset, qui nec sanguine, nec adoptione, nec electione, nec alio titulo ad Regnum pertineret. Si reprobi filii regni sunt, ergo aliquando ad Regnum destinati. Neque obtrudas voluntatem, vel potius velleitatem Dei inefficacem: quis enim unquam tam alienè à communi sensu locutus est, ut Regni hæredem appellare, quem Rex aliquis nec efficaciter adoptare, nec efficaciter in Regnum admittere voluisset? Quæ responsio quàm ipsi Evangelio consentanea sit, prudentum arbitrio relinquimus: Verba Evangelii sunt Matth. 8. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in Regno Cælorum: filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores.* Eomodo 1. ad Eph. S. Paulus ad omnes Christianos Ephesios, & consequenter etiam reprobos, qui inter illos versabantur, *prædestinatos, & electos vocat*, non ergo semper non electi, semper non inscripti.

An ergo, *dices*, non habet Deus majorem prædestinatorum, quàm non prædestinatorum curam? At ego vicissim quæro: an non major sit bonitas, omnes, quàm paucos ad Cœlum eligere? Et si major bonitas; cur neganda maximo Bono? aut cur id magis Deo negatur, quàm quòd *Solem suum oriri faciat super bonos, & malos*, quòdque *pluat super justos, & injustos*? Si ergo Deus & bonis, & malis, & prædestinatis, & reprobis ea parat, & præbet, quæ ad vitam temporalem pertinent, ob quam tamen creati non sunt; quantò magis ea paravit, & præbuit, quæ ad vitam æternam pertinent, ad quam & creati, & redempti sunt? Neque enim ad vitam æternam, tanquam ultimum finem, creasset, nisi vitam quoque æternam illis voluisset: Sicut enim, qui militem ad pugnandum, & vincendum conducit, quid aliud efficaciter vult, nisi pugnare, & vincere militem? Et qui conducit Nautam ad navigandum, quid aliud efficaciter propositum sibi habet, quàm ut naviget, & ad portum aliquando perveniat? Si ergo, (quod nemo Catholicus negare possit) & prædestinati, & reprobi ideo conditi à Deo, ideo redempti sunt; ut æterna vita potiantur, sequitur, voluisse efficaciter, quantumque ex se est, utrosque salvari. Absolutè tamen dicendum est, majorem Deum prædestinatorum, quàm reproborum curam gerere, eosque longè tenerius, ardentiùsque amare, tùm quia prædestinatis, si non semper aut plures, aut majores, eas tamen gratias confert, quibus prævidet assensuros, quæque omnibus spectatis ad consequendum ultimum finem aptiores dici possunt; tùm quia prædestinatos prævidet, spe, amore, observantia mandatorum, & finali perseverantia sibi inseparabiliter, æternumque conjunctos fore. Sed ut supra notavi, hæc ad arcana Dei, & scrinium pertinent, hoc est, ad illa, quæ teste Apostolo: *Non licet hominem loqui*.

Ad illa quæ opponebantur, videlicet: *Propter Electos breviabuntur dies illi*. Matth. 24. Resp. Meritò dici: *propter Electos* breviatos esse dies illos; quia re ipsa omnia salutis, tam intrinseca, quàm extrinseca media ex voluntate illa proveniunt, quam habuit Deus salvandi omnes; sed quia soli Electi iis mediis bene utuntur, reprobis verò nihil prosunt, optimo jure Electorum tantùm, non reproborum fit mentio. Planè nemo negaverit, brevitatem persecutionis aptissimum medium perseverandi non solùm Electis, verùm etiam reprobis esse; imò quantò isti sunt imbecilliores, tantò magis iis consultum brevitate tentationis, sed quia, ut dixi, prædestinati tantùm hac Dei suavissima providentia usi sunt, iisque solùm profuit, ideò de prædestinatis tantùm, non de reprobis dicitur: *Propter eos breviatos dies persecutionis esse*. Qua ratione jam supra quoque

notavimus, alicubi dicere Scripturas, pro aliquibus tantùm Chriſti ſanguinem ſparſum eſſe, quia licèt omnibus effuſus, non tamen omnibus profuit.

Ad illud Joan. 13. *Ego ſcio, quos elegi;* Reſp. Voluntate conſequente, quæ prævi-ſam culpam ſupponit, non omnes electos eſ-ſe, ut ſupra explicatum eſt.

Ad ſententiam Actor. 13. *Crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam.* Non ergo omnes præordinati, ſed aliqui tantùm. Reſpond. Veriſſimè id dici; non enim omnes voluntate conſequente præordi-nati, electiq; ad vitam æternam ſunt, ſed ii tantùm, qui mediis à Deo præſcriptis uſuri erant. Sic *ad Eph.* 1. omnes Epheſios (inter quos multi utiq; reprobi) *prædeſtinatos*, & electos vocat, voluntate utique anteceden-te, quantumq; erat ex parte, & intentio-ne Dei, naturaque ipſius fidei, & gratiæ, quæ quoddam ſemen eſt æternæ gloriæ; ut taceam in græc. & orig. text. non habe-ri *προτεταγμένοι* *præordinati*: nec etiam *προωρισμένοι* *prædeſtinati*: ſed *τεταγ-μένοι* hoc eſt, *ordinati*, bene affecti, amantes, cupidiq; æternæ vitæ. Alioquin dicendum eſſet, omnes, quotquot Antio-chiæ crediderant, præordinatos ad vitam æternam fuiſſe, quotquot verò tunc non crediderant, damnatos eſſe, quorum utrumque abſurdiſſimum, & incredibile eſt.

Ad Philipp. 4. *Apocalypſ.* 20. *& 22. & Da-niel.* 12. aliqui tantùm non omnes *ſcripti* dicuntur *in Lib. Vitæ*: Sicut ergo non omnes ſcripti in Libro Vitæ; ita non omnes voluit Deus ſalvari. Reſpond. Imò de reprobis etiam dicitur, Libro vitæ inſcriptos eſſe: *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo;* Exod. 32. *Aufferet Deus partem ejus de Libro Vitæ*. Apoc. 22. Si ergo etiam reprobi in librum vitæ ſcribuntur, ſequitur, etiam re-probis Deum ſalutem voluiſſe; qua enim ra-tione in librum vitæ ſcripſiſſet, quos noluiſ-ſet ad vitam pertinere.

Non omnes, ſed aliqui tantùm, hoc eſt, prædeſtinati dicuntur *Filio à Patre dati*: Joan. 6. & 16. Et: *Non poſſe rapi manu Filij*. Joan. 10. *Omnia fieri propter Electos*. 2. ad Timoth. 2. 10. Reſpond. Hæc quo-que certiſſima eſſe, citraque dubium, nec pugnare cum voluntate omnes ſalvan-di: quanquam enim Deus, quantùm ex ſe eſt, & voluntate antecedente per certa, & deſtinata media voluerit, & paraverit om-nibus vitam æternam; quia tamen prævi-dit, non omnes, ſed aliquos tantùm iis be-ne uſuros, ideo iſtis tantùm re ipſa vitam æternam dare propoſuit; de iſtis ergo in-telligenda ſunt omnia, quæ citatis locis ha-bentur.

At inquies: Si Deus reprobos æquè, ac prædeſtinatos ſalvari vult; ſequitur, quan-tùm ex parte Dei eſt, non fuiſſe prædeſti-natos majori, magiſque ſpeciali beneficio affectos, beneficium enim ex voluntate, & affectu benefacientis æſtimatur; at ut tu di-cis, non magis in Electos, quàm reprobos, quantùm ex parte ſua erat, Deus propen-ſus affectuſque fuit; non ergo Electis magis beneficus, quàm reprobis. Reſp. & quæ-ro, quid nomine *ſpecialis beneficij* intelli-gas? Illud, quod tibi tantùm, non alteri datur? at hoc ſordidiſſimi, & lividiſſimi ani-mi eſt, nolle videlicet pro ſpeciali beneficio habere, niſi alteri negatum; ſicque magni-tudinem gratiæ non ex pretio, & merito ſui, ſed ex damno alterius metiri. Quòd me creavit, quòd me redemit, quòd me Cœlo adſcripſerit, nolo inter ſingularia be-neficia cenſeri, niſi alios deſerat, alios dam-net. Planè non amantium, non electorum, ſed invidorum vota ſunt iſta. *Imo*, inquit Auguſtin, lib. 1. de Civit. Dei capite 28, *optandum tibi potiùs eſt, ut ſalvandorum am-plior ſit numerus, quàm ut inter paucos emi-neas*. Amantibus enim tantò grandiùs, tan-tòque optatius beneficium, quantò pluri-bus datum. Cùm enim bonum alterius in Electis, & amantibus gaudium excitet, ſequitur, tantò majus illorum gaudium fo-re, quantò major numerus beatorum. Quòd ergò voluerit Deus omnes ſalvos eſ-ſe, id ad ſpeciale Electorum beneficium ſpectat; quantò enim magis Deum amant, tantò magis, & de numero Candidato-rum gaudent, & infinitam Dei bonitatem laudibus attollunt. Dum ergò omnes, quan-tùm ex ſe eſt, amplexum eſſe, omnes ſalvos voluiſſe, non detrimenta, ſed fomenta amoris, gaudii, & gloriæ in Electis ſunt, ſicque ad augendum, non minuen-

dum beneficium pertinent. Sive ergo beneficam Dei, & antecedentem voluntatem *absolutè* consideres, ut Electis propriam: sive *comparativè*, ut omnibus etiam reprobis communem, sequitur, semper maximum, & specialissimum Dei donum, ac beneficium esse. Deinde, si Deus tibi soli bene vellet, nulla hominum aliorum cura, teque solum in filium, & hæredem adoptasset, aliis omnibus Regno exclusis; an, inquam, non tibi speciale hoc beneficium videretur? Atqui amor, quo te Deus prosequitur, talis est, tamquam ardens, & in tua commoda intentus, ac si solus amareris, nec alium præter te haberet Deus curandum, amandumque; quid ergo refert plures amari, quando ita amaris ac si tu solus, nemo alius esset. *Sic intendit Dominus singulis, ac si vacaret à cunctis: Et sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis;* inquit Gregorius libro 25. moral. cap. 13. Quòd si tamen omnino velis, non aliud esse magnum, ac speciale beneficium, quàm quod aliis negatur; cogita, quàm multis, infinitisque creaturarum negatum sibi, quod tibi concessum: Poterat enim Deus infinitos alios homines, & creare, & hæredes Cœli facere, nec tamen voluit; tibi ergo tributum, quod infinitis aliis negatum; idque nullo tuo jure, nulloque merito, sed sola Dei bonitate. Ergo negari non potest, etiam ex hac parte factaque cum aliis, qui neglecti sunt, comparatione, voluntatem te salvandi maximum, ac speciale Dei beneficium esse, quippe te innumeris aliis prælato.

XXII. *Opponitur nonò*: Cùm tam multi hominum alii pereant, alii salventur; quæro, unde tantùm reproborum, electorumque discrimen? ex parte Dei, an hominum? Non Dei; is enim omnibus æqualiter salutem voluit: Ex parte hominis? Ergo homo est, qui in causa salutis se ipsum *discernit*, contra illud Apostoli: *Quis autem te discernit?* 1. ad Corinth. 4. sicut enim, quòd ex una arbore pomum, ex altera ficus nascatur, non potest hæc diversitas fructuum Soli adscribi, (quippe æquali ratione in omnes plantas agenti) sed plantarum diversitati, aliter, aliterque gignentium; ita in causa salutis non poterat illa Deo adscribi, Deo, ut dicimus, in omnes æquali.

Respond. Duplicem discretionem statui posse; aliam, quæ fiat viribus naturæ, aliam, quæ viribus gratiæ. Primam, non secundam damnat Apostolus. Cùm enim e. g. fidelis ab infideli per fidem discernatur; fides verò voluntatem hominis, & gratiam requirat; sequitur, discretionem fidelis ab infideli necessariò, & à voluntate hominis, & à gratia Dei pendere? non ergo Apostolus omnem hominis voluntatem excludit, sed illam tantùm, quæ gratia careat, suisque viribus pugnet. Verba Apostoli sunt: *Nec unus inflietur adversus alterum; quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Vides, non aliam hic ab Apostolo discretionem improbari, quàm illam, quæ suis, non divinis viribus fiat. Sicque hanc Apostoli sententiam ipse Augustinus exposuit libro de Spirit. & Litt. cap. 34. *Consentire vocationi divinæ, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est, quæ res non solùm non nisi infirmat, quod dictum est: Quid habes, quod non accepisti? Verùm etiam confirmat: accipere enim, & habere anima non potest, nisi consentiendo, ac per hoc, quod habet, & accipit, Dei est; accipere autem, & habere, utiq; accipientis, & habentis est.* Et in Psalm. 58. & 85. præclarè eleganterque: *Deus meus misericordia mea. O nomen, sub quo nemini desperandum est! Deus meus, inquit, misericordia mea. Quid est misericordia mea? Si dicas, salus mea; intelligo, quia dat salutem. Si dicas, refugium meum; intelligo, quia confugis ad eum. Si dicas, fortitudo mea; intelligo, quia dat tibi fortitudinem. Misericordia mea, quid est? totum quidquid sum, de misericordia tua est. Sed promerui te, invocando te. Ut essem, quid feci? ut essem, qui te invocarem, quid egit? si enim egi aliquid, ut essem, jam eram, antequam essem. Porrò si omnino nihil eram, antequam essem, nihil à te promerui, ut essem. Fecisti, ut essem, & tu non fecisti, ut bonus essem? Dedisti mihi, ut sim, & potuit mihi alius dare, ut bonus sim? Si tu dedisti mihi, ut sim, & alius mihi dedit, ut bonus sim; melior ille, qui mihi dedit, ut bonus sim, quàm ille, qui dedit mihi, ut sim. Porrò quia pro-*

nemo te in misericordia largior, à quo accepi, ut essem; accepi ab illo, ut bonus essem. Deus meus misericordia mea! Arguens enim superbiam Apostolus non ait, non habes; sed ait: Quod enim habes, quod non accepisti? Non arguit, quia dicebas, te habere; sed arguit, quia ex te esse volebas, quod habebas. Imò, & habere te agnosce, & ex te nihil habere, ut nec superbus sis, nec ingratus. Quamvis ergo fidelis ab infideli propria voluntate discernatur, quia tamen hanc ipsam voluntatem non à se, sed à Deo habet; ideo *gloriari non potest, quasi non acceperit*, quod solùm Apostolus prohibet. Et lucere, & calefacere ferrum candens quis nescit? quia tamen id facit non sua sed aliena dote; ideo non ferro, sed igni laus tota tribuitur; ita laus tota operis non voluntatis, sed gratiæ est, quia ut voluntas bene operetur, non à se, sed à gratia habet. Quòd si tamen omnino velis, nihil humanam voluntatem ad discretionem reprobis, electisq; conferre, id quoque verum erit; quidquid enim in opere aliquo est, quod ad ordinem supernaturalem pertinet quodque æternam vitam meretur, id totum unicèque à gratia est, nihil præter naturalia conferente voluntate: naturalia verò, (qualia sunt, esse actum liberum, esse vitalem) tam nullam ad æternam vitam obtinendam proportionem habent, quàm nullam habent ad Regnum promerendum, terram colere, aut hortum rigare. Et hac ratione verum est, quamvis inter duos æquali gratia instructos unus velit, alius nolit; eum, qui vult, non voluntate sua, sed gratia discerni, quia voluntas ut voluntas nihil habet dignum vita æterna, at nihil non est causa *discernendi*.

XXIII. *Opponitur Decimò*. Si vult Deus omnes homines salvos fieri, cur ergo tot parvuli tam infidelium, quàm fidelium parentum sine culpa pereunt?

Respond. Aliud est perire, aliud beatum non esse: parvuli, quia sine Baptismo decedunt, beati quidem non sunt, nectamen pereunt: & licèt culpa propria careant, non tamen carent aliena, & paterna: quamvis enim damnari nemo possit paterna culpa, potest tamen paterna culpa iis bonis privari, quæ liberaliter à Principe accepturus erat, patre innoxio, nec in Principem delinquente, ut quotidiana exempla ostendunt. Adamo ergo peccante, non is solum, sed tota ejus posteritas justissimè Dei donis, gratiæ videlicet, & gloria, aliisque dotibus innocentiæ privata est, non tamen æternis suppliciis addicta: & ideo de non baptizatis dicitur quidem Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum Cælorum*; non dicit Christus, *æternis ignibus punietur*; sed, *non intrabit in Regnum Cælorum*; hoc est, non torquetur quidem ut rebellis, sed tamen non erit hæres, quia filius rebellis. Audi Augustinum: Is enim, licèt ardore disputandi contra Pelagianos severiùs aliquando de parvulis senserit, alibi tamen mitiùs pronuntiat. Nam l. 3. de liber. arbitr. c. 23. ita loquitur: *Dicunt aliqui: qualis in futuro judicio locus parvulo deputabitur, cui nec inter Justos locus est, quoniam nihil recti fecit; nec inter malos, quoniam non peccavit? Respondeo, super sine quæri de meritis ejus, qui nihil meruit: non enim timendum est, ne non potuerit esse sententia media inter præmium, & supplicium, cùm sit vita media inter peccatum, & rectè factum*. Vides sententiam mediam ab Augustino parvulis non baptizatis inter supplicium, meritumque constitui: Neque hanc sententiam unquam Augustinus retractavit, cùm tamen *l. 1. Retract.* & præsertim *Epist.* 26. diligenter hos libros, & hanc parvulorum causam expendat. Et *lib. 5. in Julian. c.* 8. *Non dico, parvulos sine Christi Baptismo morientes tanta pœna plectendos esse, ut eis non nasci potiùs expediret*: Planè si crederet Augustinus, æterno igne torqueri, certissimum foret, consultiùs eis non nasci, quàm æternùm cruciari futurum fuisse, juxta illud Christi: *Meliùs fuisset, si nunquam natus esset homo ille*. Et infra: *Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissima futuros, quæ qualis, & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quòd eis, ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potiùs expediret*. Et *caput* 93. *Enchiridij* docet: parvulos ob peccatum originale *pœna omnium mitissima puniri*: at pœna ignis perpetua, dici non potest omnium mitissima, cùm infinito quasi excessu omnium peccatorum venialium, & totius purgatorii pœnas longissimè superet:

E 2 qui

qui ergo omnium mitissima? Sanctus quoque Nazianzen. Sermone in S. Lavacrum: *Parvuli*, inquit, *nec cælesti gloria, nec suppliciis à justo Judice afficientur, utpote, qui licèt Baptismo consignati non fuerint; improbitate tamen careant*. In quæ verba Nicetas antiquus Nazianzeni Commentator, hæc habet: *Ex verbis Nazianzeni manifestum est, hujusmodi infantes nullis pœnis torqueri*. Gregorius quoque Nyssenus M. Basilii Frater ord. de infantib. *Immatura mors infantium demonstrat, neque in doloribus, & mæstitia futuros eos, qui sic vivere desierunt*. Sanctus Ambros. lib. 2. de Abraham cap. 11. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum Cælorum: utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate: habeant illi apertam pœnarum immunitatem, nescio, an habeant Regni honorem*.

Sed omnium luculentissimè Sanctus Thomas fidelissimus Augustini Discipulus, & cui in hac causa parvulorum uno agmine Theologi omnes suffragantur. Is enim de Malo quæst. 5. articul. 2. ita loquitur: *Pœna proportionatur culpæ, & ideo peccato actuali mortali, in quo invenitur aversio ab incommutabili Bono, & conversio ad bonum commutabile, debetur, & pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ, respondens aversioni, & pœna sensus respondens conversioni. Sed in peccato originali non est conversio ad creaturam, sed sola aversio à DEO, vel aliquid aversioni respondens, scilicet, destitutio animæ à justitia originali; & ideo peccato originali non debetur pœna sensus, sed solùm pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ. Rursus pœna sensus, nunquam debetur habituali dispositioni; non enim aliquis punitur ex hoc, quod est habilis ad furandum, sed ex hoc, quòd actu furatur. Sed habituali privationi absque omni actu debetur aliquod damnum, puta, quia non habet scientiam litterarum, ex hoc ipso indignus est promotione ad Episcopalem dignitatem. In peccato autem originali invenitur quædam concupiscentia per modum habitualis dispositionis, quæ parvulum facit habilem ad concupiscendum, adultum autem actu concupiscentem; & ideo parvulo defuncto cum originali non debetur pœna sensus, sed solùm pœna damni, quia scilicet non est idoneus ad visionem divinam propter privationem originalis justitiæ.* Et art. 3. *Post mortem in anima non mutatur dispositio voluntatis, usque in bonum, neque in malum. Unde cùm pueri ante usum rationis non habent actum inordinatum voluntatis, neque etiam post mortem habebunt. Non est autem absq; inordinatione voluntatis, quòd aliquis doleat, se non habere, quod nunquam potuit adipisci; sicut inordinatum esset, si aliquis rusticus doleat de hoc, quòd non esset Regnum adeptus. Quia ergo pueri post mortem sciunt, se nunquam potuisse illam gloriam cœlestem adipisci, ex ejus carentia non dolebunt. Animæ ergo puerorum naturali quidem cognitione non carent qualis debetur animæ separatæ secundùm suam naturam, sed carent supernaturali cognitione, quæ hic in nobis per fidem plantatur, eò quòd nec hic fidem habuerunt in actu, nec Sacramentum Fidei susceperunt. Pertinet autem ad naturalem cognitionem, quòd anima sciat, se propter beatitudinem creatam, & quòd beatitudo consistat in adeptione perfecti boni: Sed quòd illud bonum perfectum, ad quod homo factus est, sit illa gloria, quam Sancti possident, est supra cognitionem naturalem, juxta illud Apostoli: Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, quæ revelatio ad fidem pertinet: & propter hoc, quia animæ parvulorum se privari tali bono non cognoscunt, ideo non dolent; sed hoc, quod per naturam habent, absq; dolore possident.* Et in l. 2. Sent. dist. 33. q. 2. *Acerbitas pœnæ sensibilis delectationi culpæ respondet*, Apoc. 18. *Quantùm in delitiis fuit, tantùm date illi tormentum, & justum. Sed in peccato originali non est aliqua delectatio, sicut nec operatio, delectatio enim operationem consequitur, ut ex 10. Ethic. patet; ergò peccato originali non debetur pœna sensibilis*. Et infra: *Pœna debet esse proportionata culpæ, ut dicitur Esaiæ 27. defectus autem, qui per originem traducitur, rationem culpæ habens, non est per subtractionem, vel corruptionem alicujus boni, quod naturam humanam consequitur ex principiis suis: sed per subtractionem vel corruptionem alicujus, quod naturæ superadditum erat: nec ista culpa ad hunc hominem pertinet, nisi secundùm quod talem naturam habet, & ideo*

nulla

nulla alia pœna sibi debetur, nisi privatio illius finis, ad quem donum subtractum ordinabat, hoc est autem divinæ visio; & ideo carentia hujus visionis est propria, & sola pœna originalis peccati post mortem, unde sicut culpa non fuit per operationem ejus, ita nec pœna per passionem ipsius esse debet. In aliis autem perfectionibus, & bonitatibus, quæ naturam humanam consequuntur ex suis principiis, nullum detrimentum sustinebunt pro peccato originali damnati. Et art. 2. *Recta ratio non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipso non fuit, ut vitaretur, propter quod Seneca probat, quòd perturbatio in sapientem non cadit: sed in pueris est recta ratio, nullo actuali peccato obliquata; ergo non turbabuntur de hoc, quòd talem pœnam sustinent quam vitare ullo modo potuerunt.* Et infra: *Sciendum, quòd ex hoc, quòd caret aliquis eo, quod suam proportionem excedit, non affligitur, si sit rectæ rationis; sicut nullus sapiens affligitur, quòd non potest volare sicut avis, vel quia non est Rex, vel Imperator, cùm sibi non sit debitum, affligeretur autem, si privaretur eo, quod habendum aliquo modo aptitudinem habuit. Dico ergo, quòd omnis homo usum liberi arbitrij habens, proportionatus est ad vitam æternam consequendam, quia potest se ad gratiam præparare, per quam vitam æternam merebatur, & ideò si ab hoc deficiant: maximus dolor erit eis, quia amitunt illud, quod suum esse possibile fuit: Pueri autem nunquam fuerunt proportionati ad hoc, quòd vitam æternam haberent, quia nec eis debebatur ex principiis naturæ, cùm omnem facultatem naturæ excedat; nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum consequerentur, & ideò nihil omninò dolebunt de carentia visionis divinæ, imò magis gaudebunt de hoc, quòd participabunt multùm de divina bonitate, & perfectionibus naturalibus.* Et ad 5. *Quamvis pueri non baptizati sint separati à DEO, quantùm ad illam conjunctionem, quæ est per gloriam: non tamen ab eo penitus sunt separati; imò illi conjunguntur per participationem naturalium bonorum, & ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione, & dilectione.*

Hactenus divus Thomas, cujus rationibus addi etiam illa potest, videlicet, peccatum originale nullam reprehensionem mereri; quis enim audivit unquam, propter originalem culpam reprehensum aliquem ab Ecclesia, aut Patribus esse? Plane, quæ in liberam hominis potestatem non cadunt, quæque vitari non possunt, extra omnem reprehensionem sunt, nam, ut eleganter scribit Augustinus Libro de duabus Animabus cap. 11. *Non hic scrutandi mihi libri erant, unde discerem, neminem vituperatione, supplicio ve dignum, qui id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant in montibus Pastores, in theatris Poetæ, & indocti in Circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacris locis, & in Orbe terrarum genus humanum?* Si ergo propter culpam originalem, quam vitare non potuit, nemo potest vituperari, quantò minùs torqueri? Planè longè atrociùs flammæ dolent, præsertim diuturnæ, quàm verba; quis ergo tam absurdè sentiat, ut dicat, posse torqueri parvulos, qui non possunt reprehendi? posse puniri flammis, qui non possunt verbis? Ex quibus omnibus facilè intelligas, magnum parvulorum, & adultorum discrimen esse: Si enim Deus parvulos ad gloriam non elegit, non ideo sequitur, eos damnari; at id sequitur in adultis, in quibus rem ipsam si consideres, unum idemque est, non eligi, quod damnari, cùm medium non detur. Ubi etiam observa, nulla re magis Augustini animum (ut ipse profitetur, præsertim Epist. 28. ad Hieronymum) agitatum, totumque fuisse, quàm hac de parvulorum pœnis quæstione; unde, ut se hoc modo explicaret, in alias, aliasque sententias flexit. Aliquando enim docuit: animas non creari à Deo, sed per traducem ab Adamo proficisci, *Epist.* 28. aliquando: *Deum in æterna vita, inq; secreto judiciorum suorum aliquid bonæ compensationis parvulis reservare, quoniam quamquam nihil boni fecerint, tamen nec peccaverint aliquid.* Lib. 3. de libero arbitrio. Quam sententiam suam licèt in Epist. 28. ad Hieronymum retractet, non tamen ut erroneam, & falsam, sed tantum ut *minùs firmam, validamq;* Aliquandò totam pœnam parvulorum sine Baptismo morientium dixit, ab aliquibus non in anima statui, quam concedebant ad videndum Deum admitti, sed in corpore, quod negabant resurrecturum; quam tamen sententiam fatetur Augustinus, vel sola novitate sibi displicere *Epist.* 28. ali-


quando æternis ignibus cruciari dixit, *Lib. de fide ad Petrum cap.27.* aliquando *pœna omnium mitissima.* Enchirid. 93. aliquando se prorsus animi pendere ostendit, & quid statueret, planè ignorari. L. 5. in Julian. c.8. & Ep.28. ad Hieron. ubi: *Cùm ad pœnas ventum est parvulorum, magnis mihi crede, angustiis arctor, nec quidquid respondendum penitus invenio. .... Quamvis autem desiderem, rogem, votis ardentibus exoptem, & expectem, ut per te mihi Dominus hujus rei auferat ignorantiam, tamensi minimè meruero patientiam mihi petam à Domino Deo nostro.* Denique in hac quæstione id evenit Augustino, quod Venatoribus solet, ut videlicet odore, ac desiderio prædæ, quam insequuntur, nec capiunt, toties mutent locum, quoties spem inveniendi. At ego id quoque ad arcana Dei pertinere censuerim. Constat, sine Baptismo ad vitam æternam, hoc est, visionem beatificam non perventuros, id enim Evangelium expressit. Constat, sensibilis pœnæ immunes fore, id enim ratio, omniumque Theologorum auctoritas convincit, reliqua latent, & ideo semper id tenendum, quod magis divinæ bonitati congruat, juxta illud Sap. 1. *Sentite de Domino in bonitate.* Si enim ipse Deus *superexaltat misericordiam judicio*, quantò magis id faciant homines, qui misericordia indigent? & si clementia prima virtus in Principe est, quantò magis erit prima in omnium Principum Principe? Planè de Deo pessimè merentur, qnicumque formidabilem magis, quàm amabilem faciunt, sicque ex aureo in ferreum mutant, talemque aliis fingunt, qualem nollent sibi esse: si enim experiri clementem ipsi cupiunt, quare aliis inclementem, & inexorabilem faciunt? Imitantur ergo Poetam, qui aliquem è suis Diis ita descripsit:

.... Vultus est illi Jovis,
Sed fulminantis: magna pars Regni trucis
Est ipse Dominus, cujus aspectum timet,
Quidquid timetur. ....

Ita Poeta Plutonem pinxit: at non ita Theologi Deum, quem definiunt *Summum Bonum;* non summum terrorem esse: nam esse terrori, etiam Africæ Monstris, & Basiliscis convenit; non ergo est proprietas Dei: non quòd negemus, timendum esse Deum; sed quòd dicamus, oportere rationibus timendi prævalere rationes amandi.

Ergò, ut dicebamus, Deus parvulos Cœlo exclusit ob peccatum, non proprium, sed paternum: Non ideo tamen naturalibus bonis exuit, sicque si non fecit beatos, quia perduellium parentum filios, & culpa originali aspersos; ac nec fecit miseros, quippe cæterà innocentes.

Deinde in hac parvulorum causa considerandum est, licèt Deus ad cœlestem gloriam non eos admiserit; alio tamen, multoque majori beneficio affecisse, quod illi ipsi longè Cœlo prætulissent, & nos quoque, si electio daretur, multò majoris pretii, quàm Cœlum duceremus. Id verò beneficium fuit, quòd fato præmaturo abreptos innocentiæ suæ personalis securos reddidit, & quàmplurimis peccatis cùm venalibus tùm mortalibus, ac præsentissimis, infinitisque peccandi periculis subduxit, quibus procedentibus annis certissimè implicandi erant, addicendique perpetuis gehennæ incendiis, juxta illud Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus;* quòd præsertim de filiis infidelium verissimum est. Hoc verò innocentiæ personalis donum, & immunitatis à peccato tantum est, ut ipsi parvuli millies Cœlo carere malint, quàm vel uno peccato involvi, nullusque Christianorum est, cujus non idem votum esse debeat. Quid ergo conqueri de Deo possunt, aut quid ipsis mali fecit, si non quidem Cœlo, sed alio beneficio donavit, quod multò præstantiùs Cœlo est, quodque, & ipsi, & omnes sapientes, si potestas eligendi daretur, longè Cœlo præferrent? Quòd si Deus id egit, quod, & ipsi, & nemo alius non optaret, ergo nulla dolendi, nulla conquerendi, sed magna laudandi, gratesque agendi causa est.



§ II.

§. II.

Dari omnibus hominibus ad æternam vitam consequendam, non tantùm necessarias, & qualescumque, sed copiosissimas, & abundantes gratias, quibus, si velint, commodeque obtinere illam possint.

SUMMARIA.

I. *Ex voluntate efficaci salvandi omnes, optimè inferri voluntatem omnibus quoque, quantum ex parte Dei est, efficaces, & copiosissimas gratias offerri.*

II. *Posse causam aliquam, & dici, & esse efficacem, quamvis effectus non sequatur, idq; exemplis Luciferi, & Adami ostenditur.*

III. *Efficaces ex natura sua, & copiosas gratias dari ex Sacris Litteris, & qua ratione jugum Christi leve, & suave dicatur, ostenditur.*

IV. *Sæpe reprobis, & renuentibus æquales, aut etiam majores gratias dari, quàm Electis, & consentientibus. Neq; tantùm externas, verùm etiam, multòq; magis internas. Ubi Augustini, & Thomæ testimonia expenduntur.*

V. *Idemq; probatur ex effusissima etiam in bruta, aliasq; creaturas insensibiles Dei bonitate, & providentia.*

VI. *Et in ipsum hominis corpus.*

VII. *Et quia homo Dei opus est.*

VIII. *Idemque ex corporis humani structura.*

IX. *Ac præsertim hominis Redemptione.*

X. *Ipsaq; experientia.*

XI. *Neq; id tantùm de fidelibus, verùm etiam infidelibus credendum esse, quod variis, multisq; rationibus probatur, præsertim verò testimonio Augustini, ejusq; præstantium Discipulorum.*

XII. *Nihil obstare doctrinam S. Thomæ de infidelitate purè negativa.*

XIII. *Si homini auxilia gratiæ deessent, transgressionem mandatorum ex sententia Augustini nequaquam transgressoribus imputatum iri.*

XIV. *Nullis quantumvis obduratissimis peccatoribus abundatissimas gratias deesse.*

XV. *Quo sensu Augustinus dicat, gratiam non omnibus dari.*

XVI. *Causa parvulorum sine Baptismo decedentium non obesse ostenditur.*

XVII. *Exponitur Augustinus.*

XVIII. *Falsam esse eorum opinionem, qui contendunt gratiam omnibus quidem præparari, non tamen omnibus dari.*

XIX. *Exponitur Apostoli sententia ad Rom. 10.* Quomodo credent, quomodo audient sine prædicante, &c.

XX. *Nemini quamvis perditissimo custodiam Angelicam subtrahi, ubi de peccatorum mensura, deq; prava consuetudine, modisq; eam expugnandi.*

XIX. *Nemini orandi, petendiq; gratiam deesse. Ubi de gradibus Orationis, deq; auxilio remoto.*

I. ID quidem ex iis, quæ superiori Paragrapho disputavimus, facilè conjici potest: Si enim Deus, quantùm ex se est, vult omnes efficaciter, impensèque salvari; sequitur, non minùs efficaciter, impensèque media, & gratias homini dari, quibus hunc finem obtinere possit; voluntati enim finis respondet voluntas, & cura mediorum.

II. Sed hic iterum in memoriam revocandum, quod jam supra probavimus, posse causam aliquam esse, dicique efficacem, quamvis effectus non sequatur, si videlicet cessatio, & suspensio effectus non ex defectu virtutis in causa, sed aliunde proveniat: illa enim dicitur causa efficax, quæ omnem, & necessariam virtutem ad ponendum effectum habet: nemo enim negaverit, Solem causam efficacem illuminationis esse, quia nihil ei ad illuminandum, & aerem, & terram deest, ipsoque facto omnia illuminat, nisi nubem aut velum, aliudve impedimentum opponas, quale opponunt, qui luculenti, & mille radiis ad illuminandum conanti oculos studiosè claudunt; tunc enim cessabit quidem illuminatio, non tamen Solis, sed Solem impedientis culpa. Aliud ergo est causa efficax, aliud effectrix; ista, quam effectus consequitur; illa, quæ omnem necessariam virtutem ad consequendum effe-

ctum habet, nisi aliunde impediatur. Idem de gratia dicas. Alia effectrix, quæ voluntatem expugnat; alia efficax, quæ virtutem expugnandi habet, quæque ipso facto voluntates omnium expugnat, quotquot impedimentum nullum ponunt; unde quòd una, eademque gratia alium flectat; non gratiæ, sed voluntatis culpa est: Sciendum enim, hanc esse libertatis creatæ naturam, ut quamcumque etiam efficacissimam gratiam possit eludere, cassamque reddere; quod si potest, quid mirum est, si aliquando agat? sicut enim nulla gratia est, quæ tollat libertatem; ita nulla est, quæ tollat potentiam resistendi; quid ergo novi, absurdique, imo quid non rationi, & experientiæ consentaneum, resistere aliquando illam, quæ semper potest resistere, juxta illud Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto restitis*. Non quòd major sit in voluntate virtus resistendi, quàm in Deo potentia superandi, sed quòd Deus nolit potentia, sed gratia uti, hoc est, non cogere liberam, sed invitare, ac more nobilis castique Amatoris, petere consensum, non rapere. Et verò hæc creatæ voluntatis etiam potentissimis gratiis resistendi facultas, nullibi clariùs quàm in Lucifero, & Adamo apparuit: Nam ex una parte nihil in iis erat, quo possent ad malum inclinari: non appetitus cum ratione certamen, non indigentia alieni, & extranei boni, non perversi, & inoliti mores, non ignorantia, non cupiditas, non difficultas honesti, non aliquid eorum, quæ homines ad peccandum illiciunt. Ex adverso, nihil eorum aberat, quo possent facillimè in officio contineri, & ad bonum, ac virtutem complectendam propè compelli; summa tranquillitas animæ, perfectissima Dei cognitio, & par cognitioni amor, summa quoque, & facilitas, & suavitas operandi honesta, spes certa futurorum, secura, & plena possessio præsentium, ac denique omnia, quæ optare aliquis ad sanctitatem, & fœlicitatem posset. Et tamen inter tot præsidia virtutum, quis unquam credidisset, cadere illos, quàm stare maluisse? cujus si causam postules, dari alia non potest, quàm voluntatis humanæ libertas, quæ præsentibus, & honestis, incerta, & flagitiosa præposuit, nec validissimis gratiis, quibus ad bonum rapiebatur, vinci se passa est. Ita Angelicus de peccato Luciferi 1. p. q. 63. a. 7. *Peccatum Angeli processit non ex aliqua pronitate, sed ex solo libero arbitrio*. Et ad 3. cùm sibi objecisset: *Quantò magis aliquid inclinatur in aliud, tantò minùs potest ab illo deficere; sed Angelus quantò est Superior, tantò magis inclinatur in Deum, ergo minùs potest à Deo peccando deficere*: Respondet: *Quid, quantacumq; inclinatio ad bonum in supremo Angelo, tamen ei necessitatem non inducebat, unde potuit per liberum arbitrium eam non sequi*. Sententia ergo S. Doctoris est, quantumcumque gratiam, cujus tota efficacia in eo est; ut instar validissimi ponderis, & intellectum, & voluntatem ad cognoscendum, prosequendumq; bonum inclinet) & posse à libera voluntate vinci, & de facto in supremo Angelorum, primoque homine victam esse, quorum uterque deliquit, deflexitque à bono, non aliquo gratiæ defectu, sed voluntatis arbitrio. Certè de Adamo S. Augustinus lib. de Corrept. & grat. cap. 11. hæc habet: *Quid ergo, Adam non habuit Dei gratiam? imò verò habuit magnam, sed disparem: ille in bonis erat, quæ bonitate sui Creatoris acceperat, & in quibus nullum prorsus patiebatur malum, nullaq; tali rixa à seipso adversus se ipsum tentatus, atq; turbatus, in illo beatitudinis loco, sua secum pace fruebatur*. Ergo nec Lucifero, nec Adamo, nec aliis multis *magna gratia defuit*; sed defuit magna, & bona voluntas. Hanc verò magnam, validissimamque gratiam, quam etiam cadentibus, & respuentibus dari diximus, appellat Augustinus *sufficientissimam facultatem*: sic enim lib. 3. de libero arbitrio c. 16. loquitur: *Ex eo igitur, quod non accepit, nemo reus est. Ex eo verò, quod non facit, quod debet, justè reus est, debet autem, si accepit voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem*. Hanc ergo, ut loquitur Augustinus, sufficientissimam, & validissimam gratiam, non quomodocumque, nec parva manu, sed abundantissimè hominibus dari ex Sacris Litteris manifestè probatur. Nam:

Jacobi 1. cap. 4. *Qui dat omnibus affluenter, & nemini improperat*. Nota illa verba *omnibus, & affluenter*: *omnibus*, ut nullum excludat: *affluenter*, ut copiam ostendat. Et ideo *Gen.* 17. Deo nomen Saddai tribuitur, quod mammeum, uberrimum, & instar

Cor-

Cornucopiæ abundantissimum significat, ut meritò dixerit Augustinus: *Erubescat humana pigritia; plus enim paratus est Deus dare, quàm homo accipere*. Et Thomas Angelicus in hæc verba: *Deus dat liberaliter, quia non vendit, sicut multi; dat generaliter, quia non uni, sed omnibus: dat abundanter, non parcè: dat curialiter, & officiosè, quia non improperat*. Planè cùm Deus sit summum bonum, tam naturale, & ingenitum est illi copiosè dare, quàm ingenitum est mari, copiosè, & non guttatim effluere.

1. Ad Timoth. 6. *Sperate in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad ferendum*; quæ verba, licèt videantur de bonis temporalibus accipienda, multò tamen magis de spiritualibus intelligenda sunt, quæ sunt finis temporalium, & quibus multò perfectiùs anima Deo assimilatur, & conjungitur.

Ad Titum cap. 3. *Secundùm misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum generationis, & revocationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum*.

Et ad Rom. cap. 10. *Idest est Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum*.

Et ad Ephes. 2. *DEUS autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, convivificavit nos in Christo, ut ostendat abundantes divitias gratiæ suæ*. Hic iterum audis divitias misericordiæ, abundantiam gratiæ, excessum charitatis, &c. Non quòd in Deum cadere excessus aliquis possit; quid enim excedat infinitum? sed quia & merita, & vota, & expectationem hominum amando excessit; nemo enim, quæ Deus præstitit, ausus esset optare.

Et ad Roman. 8. ℣. 32. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Si omnia donavit, ergo non parcè. Et si donavit illis, pro quibus Filium dedit; ergo non prædestinatis, non paucis, sed omnibus; quid etiam potuit negare, quibus Filium dedit? Planè sicut omnia, quæ hominibus donat Deus, sunt incomparabiliter minora Filio, ut absurdissimum est, dicere Deum, qui dedit hominibus; quod incomparabiliter majus, noluisse dare, quod incomparabiliter est minus; hoc est, omnia ad salutem consequendam necessaria, & opportuna.

Et Deuter. c. Cùm Moyses ea verba præmisisset: *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris præcepta ejus, quæ in lege hac conscripta sunt, ut revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua*; mox addit: *Mandatum hoc, quod præcipio tibi, non supra te est, nec procul positum, sed juxta te est, sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud*. Quæ verba applicans S. Paulus Legi Evangelicæ, ac præsertim præcepto Fidei amplectendæ, quod tamen ex natura sua difficillimum est (cùm res actu, cognituque difficillimas complectatur) ita ad Rom. 10. concludit: *Hoc est verbum Fidei, quod prædicamus*. Ecce & Moyses, & Apostolus ad omnes Hebræos, Romanosque loquebantur, hoc est, ad omnes illos, qui ad Legis Mosaicæ, & Evangelicæ observantiam invitabantur, inter quos multi utique peccatores; reprobique, & tamen eas gratias, & auxilia omnibus promittunt, quibus non utcumque, sed tam facilè, commodèque legem observarent, quàm facilè ea videmus, & tangimus, quæ nobis vicina, & ante oculos posita sunt. Quò etiam faciunt illa Christi verba, omnes justos, & injustos ad subeundam Legem Evangelicam invitantis. Matth. 11. *Tollite jugum super vos; jugum enim meum suave, & onus meum leve est*. Ubi nota, cùm omnes homines ad jugum Evangelicum ferendum ea ratione invitentur, quòd sit *leve, & suave*; sequi, id intelligendum esse, non solùm de jugo Evangelico secundùm se, & ex natura sua, (sic enim durum potiùs, & grave est) verùm etiam secundùm vires ferentium, quas à gratia Dei acceperunt; alioquin frustranea esset, & vana invitatio, sicut frustra paralyticum ad ambulandum provocares; quamvis enim ambulatio secundùm se sit homini naturalis, & ideo non facilis tantùm, verùm etiam jucunda; homini tamen paralysi adstricto impossibilis est, & ideo frustra suadetur. Eodemque sensu dixit Joannes Epist. 1. *Scimus, quia mandata ejus gravia non sunt*. Circa quas Scripturæ sententias observandum est, legem, ac mandata Evangelica, & *jugum*; hoc est, onerosa, & *levia* appellari: onerosa, si eorum natu-

naturam, viresque hominis morbidas attendas: levia verò, & suavia, si gratiam spectes, quæ omnibus, qui ad fidem invitantur, à Deo offertur: non quòd gratia onus, & difficultatem Evangelicæ Legis tollat, sed quòd vires tribuat, eam difficultatem vincendi; nam & rota non tollit, aut minuit pondus rhedæ, imo multò auget, & tamen novo hoc onere facit eam velociùs agi, quòd si rotam currui adimas, pondus quidem minues, sed immobilem reddes: idem de velo navium, de alis, pennisque avium dicas, de quibus more suo eleganter Augustinus serm. 24. de Verb. Apost. *Habent & aves pennarum suarum sarcinas, portant illas, & portantur. Tu si misericordiam velis præbere avi, præsertim æstate, & dicas: miseram istam aviculam onerans pennæ, & detrahas onus, hæc in terra remanebit, cui subvenire voluisti. Porta ergo pennas pacis, alas accipe charitatis; hæc est sarcina, sic impletur Lex Christi.* Duplici ergo ratione mandata Dei, & gravia, & levia dicuntur. *Levia*, vel quia ob magnitudinem, excessumque amoris, & gratiæ tota planè difficultas extinguitur, juxta illud Angelici Doctoris Opusc. de diligendo Deo: *Anima, quæ amas, operatur magna, & reputat parva: operatur multa, & reputat pauca: operatur diu, & reputat breve.* Et illud Bernardi: *Labor meus vix est unius horæ. & si plus est, non sentio præ amore.* Et ideo eleganter S. Gregorius amorem vocat machinam cordis (*machina cordis vis est amoris*) sicut enim parvis machinis ingentia onera nullo ferè labore levantur (quales erant Archimedis) una, levique trochlea integras Romanorum triremes in altum rapientes, & quibus totum se globum terrestrem moturum centro spondebat, si locus standi daretur) ita nullum certam vitiis grave, quod tolli in Cœlum nequeat amore mo.iente, ut in Magdalena, ipsoque Augustino patuit, cujus sunt illæ voces lib. confess. 9. cap. 1. *Quam suavè mihi subitò factum est, carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat, & de quo imo, altoque secreto evocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem cervicem legi jugo tuo, & humeros levi sarcinæ tuæ Christe Jesu adjutor meus, & Redemptor meus.* Sed hæc gratia omnem penitus difficultatem bene operandi extinguens singularis, & paucorum est. Alio modo magis obvio, & quotidiano dicitur jugum Evangelicum leve, quia licèt gratia onus, & difficultatem operandi non tollat; facit tamen eam superare. Ex adverso lex Evangelica gravis dicitur, tum ob datam rationem, quia videlicet ejus difficultatem gratia non penitus delet; sed vincit, juxta illud Christi Domini: *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* tum etiam, ac præsertim *in sensu composito*, hoc est, quamdiu amorem creaturæ retines, nec ei expellendo gratia uti statuis, tam diu lex Evangelica non solùm difficilis, verùm etiam impossibilis observatu est: At si gratia uti velis, ut facilè posses, Evangelium observabis, evadetque onus leve, quod priùs gravissimum videbatur. Res exemplo declaratur. Fac ægrotum aliquem esse, qui, vehementi febri laborans, ardentissimam sitim patiatur; facilè tamen sanari possit, si videlicet Medici tantùm opem, manumque imploret, ac paucissimas sanguinis uncias, quo aliàs & noxiè abundat, è venis mittat. In hac, inquam, hypothesi, ægroto & difficillimum, & facillimum est, ardentissimam sitim vincere, potuque omni abstinere: difficillimum quidem, quamdiu febris urit, quæ desiderium bibendi accendit, facillimum verò, quia nihil faciliùs, quàm sanitatem consequi implorato tantùm Medico, emissaque exigua parte superflui sanguinis; sic enim obtenta sanitate, extinctaque febri, sitis, ardorque immoderatus bibendi sponte sua cedet. Idem de peccatore dicas non corpore, sed anima laborante: febris illi vitium est; sitis, amor illicitis fruendi: durum est avaro, alienis abstinere; durum impudico sine thalamo vivere; verù quamdiu impudicus, & avarus est; sed facile remediù ut desinat esse, oratio videlicet, & largitio superfluorum in pauperes (ut alibi fusiùs ostendam) quis ista non possit? aut quod facilius obtinendæ sanitatis remedium, quàm tantùm rogare Medicum, ut velit sanare? quod nisi facias, quis veniam socordiæ dabit? Si ergo dicas avaro, ne amet pecuniam; aut impudico, ne amet voluptatem; respondebunt, se id non posse: sed si dicas: ut à Deo petant, ne ista ament; quis eorum respondere audebit, se ne petere quidem posse? Audi Augustinum lib. de perfect.

Justit.

Justitiante medium: *Non est grave, quod tibi diligendo fit; nam perfecta charitas facit praecepti sarcinam levem, nec solùm non praementem onere ponderum, verùm etiam sublevantem vice pennarum. Anima ergo, quae illa gravia sentit, oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis.* Ergo quod grave est violentia morbi leve est facilitate remedii. Quae omnia eò spectant, ut ostendam omnibus, qui ad Legem Evangelicam invitantur, reprobis videlicet, electisque gratiam non qualemcumque sed talem offerri, qua Lex Evangelica suavis, facilisque observatu fiat, quòd nisi esset, gratia vix dici posset, cùm difficultas diuturna opus, cui annexa est, moraliter impossibile reddat; Nemo enim diu facit, quod aegrè ac difficulter facit. Ex allatis ergo Scripturae verbis manifestum est: Deum non tantùm seriò omnium salutem velle, verùm etiam ad hanc consequendam, non avarè non parcè, sed effusissimè quantùm est de se omnia media suppeditare, quae non modò sufficiant, imo abundent. Agit videlicet Deus more splendidissimi alicujus, nobilisque parentis, qui filium Regni haeredem peregrè, & in longinqua profecturum, non necessariis tantùm sumptibus instruit, qui videlicet ad vitam aegrè sustentandam, iterque pedibus metiendum sufficiant, sed etiam iis adornat, qui ad facilè, commodè, jucundèque viam superandam, fallendosque itineris labores conferre possint; hinc rhedae, hinc famuli hinc supellex & viaticum patre, filioque dignum. Ita cum hominibus Deus, quippe filiis, Regnique haeredibus. Videant ergo, quàm benè de divina bonitate, ac magnificentia sentiant illi, quicumque gratias reprobis hoc est, plerisque hominum datas, tam ex natura sua tenues, imbellesque faciunt, ut cum iis nemo ad salutem pervenerit, nemo perveniat, nemo perventurus sit.

Qua in re observandum est, non omnem à nobis gratiam sufficientem excludi, quod Jansenius docuit, quodque summi Pontifices damnarunt, sed solùm eam gratiam sufficientem non admitti, quae ex natura sua talis est, quaeque numquam effectum suum completum assequitur. Eam verò gratiam sufficientem agnosci, & doceri, quae subinde impletur, subinde repugnante libero arbitrio, non impletur, effectuque suo culpa voluntatis caret, quamque S. Augustin. clarissimè, & frequentissimè docuit, ut ex laudatis supra ejus textibus patet, & quam tota Societas Jesu amplectitur, gravissimique alii Doctores.

Qui igitur gratiam sufficientem statuunt, quae nunquam effectum suum completum assequitur, talem mihi videntur statuere gratiam, quae non est gratia, hoc est, de qua nemo sperare aeternam foelicitatem suam possit; quis enim speret, se cum ea gratia aeternam salutem obtenturum, cum qua nemo obtinuit, nemo obtenturus est? aut quis morbo suo pharmacum optet, de quo constet, nullum unquam sanatum esse, nullum sanatum iri, imo, quotquot acceperunt, morti cessisse? Haec est ergo nimia illa charitas, qua dilexit nos, haec copiosa redemptio, haec superabundans gratia, hae divitiae misericordiae toties in Scripturis decantatae, toties promissae? dare videlicet auxilia tam ex natura sua parca, tamque invalida, ut ab Orbe condito, spatioque sex mille annorum inter tot hominum myriades non unus repertus sit; cui illa ad aeternam vitam profuerint, nec deinceps ad mundi finem profutura sint, quaeque nemo petere, nemo optare possit ad aeternam vitam consequendam, quippe cùm acceperit, certissimè periturus? Ut silentio praeteream, quod illi dicunt, hujusmodi sufficientes gratias potentiam quidem agendi dare, sed nunquam actum. Quis enim inter tot millia causarum, vel unicam causae speciem, scilicet naturalem, seu artificialem vidit, aut saltem narratam ab aliis audivit, cujus nullum unquam individuum in opus, ac finem speciei, naturaeque suae congruum prodierit? aliquem ignem, qui nunquam arserit? aliquam aquam, quae nunquam madefecerit? aliquam stellam, quae nunquam luxerit, aliquod speculum, quod nunquam imaginem objecti retulerit? Planè tam nova haec sunt, tam inaudita; ut nec dici debeant, cùm careant ratione, nec credi possint, cùm careant exemplo. Imò si aliquid in rerum natura esset, de quo dici tam insolita, & prodigiosa deberent, dici tamen de gratia non possent, quam talem esse oportet, ut maximi beneficii rationem habeat; at beneficium non est, quod nemo optare, nemo petere, & à quo nemo sperare aeternam salutem potest; quis enim

enim speret nunquam facta, nunquam futura? Planè tale beneficium est, gratiam homini dare, qua nemo unquam operatus est; quale est remedium dare, quo nullus ægrotus sanatus est, scutum dare, quo nullus adversus hostem defensus est; cibum dare, quo nemo refectus est. Sed reliqua videamus.

Hæc ipsa, & effusissimà Dei in homines bonitas non necessaria tantùm, sed copiosa tribuentis ex aliis etiam Scripturæ, Patrumque testimoniis ostendi potest, docentium: sæpe reprobis æqualia, aut etiam majora, quàm electis auxilia conferri; sicque quòd illi damnentur, non defectui gratiæ, sed eorum malæ voluntati, & socordiæ adscribi. Id ex celebri illa Christi sententia manifestè patet, Judæis impœnitentiam exprobrantis Matth. 11. *Tum cepit exprobrare Civitatibus, in quibus factæ sunt quàm plurimæ virtutes, quòd non egissent pœnitentiam: Væ tibi Bethsaida, væ tibi Corozaim, quia si in Tyro, & Sidone facta fuissent, quæ facta sunt in vobis olim incilicio, & cinere egissent pœnitentiam; verùmtamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remissiùs erit in die judicii, quàm vobis. Et tu Capharnaum usque in infernum descendes; quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent usque in hunc diem; verùm tamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissiùs erit in die judicii, quàm tibi*. Hic (si modò veritatem fateri ingenuè velis, removeasque alienas illas, tortasque interpretationes, quibus nihil tam clarè dicitur, quod obumbrari non possit) hìc, inquam, apertissimè docet Christus, cum iisdem gratiis, quæ Judæis impœnitentibus datæ sunt, Tyrios, & Sidonios pœnitentiam facturos; sicque cum una, eademque gratia alium pœnitere, non pœnitere alium.

Neque cum Jansenio dicas, Christum loqui de pari gratia *externa*, non verò de pari *interna*: Id quippe absurdissimum est: Christus enim de illa gratia loquitur, cum qua fieri pœnitentia potest; at non potest cum sola externa; sicut non potest cum sola luce externa oculus videre, si careat interna facultate videndi: unde quàm non potest cœco imputari, quòd magis impingat, cadatque, quàm ille, qui sanis oculis est; quia licet utrique Sol luceat, unus tamen interna videndi facultate caret, alter non caret: ita non posset Judæis impœnitentia præ Sidoniis exprobrari, si utrisque æqualiter quidem Christus prædicaret, æqualiter miracula ederet; sed non utrisque gratiam internam æqualiter daret, sine qua tam nihil prædicatio, & miracula prosunt, quàm nihil surdo prodest optima, & dulcissima cantilena. Responderunt ergo Christo Judæi: Quid surdis fabulam canis? priùs surditatem tolle, ut sublaturus ex Sidoniis, & tunc æquè, ac Sidonii prædicantem audiemus; nam si illis surditatem tollis, nobis non tollis, hoc est, si illis, internam gratiam præbes; nobis non præbes, mirum non est, si nos non audimus, & audiunt illi? si nos non pœnitemus, & pœnitent illi. *Deinde*, cùm dicit Jansenius: gratiam *internam* majorem Sidoniis, quàm Judæis à Deo paratam esse, licèt *auxilia* paria essent; cùm, inquam, hoc dicit Jansenius, divinatorem potiùs, quàm Theologum agit: Interna enim, & occulta sciri nisi per externa non possunt; alioquin si externa removeas, tam sciri nequit, quid Deus intra Judæorum, & Sidoniorum conscientias egerit, essetve acturus, quàm sciri non potest, quid in corpore humano agat anima, nisi vultu, colore, aliove signo prodente. A nobis ergo, qui per externa tantùm de internis arbitramur, ita sentiendum est, ut credamus, illis plures, majoresque gratias internas datas esse, qui plures & majores externas accepere, nam externa ad interna tanquam finem diriguntur. Sicut ergo, qui videt quamplurimos remos adornandæ Classi, aut quamplurimas machinas expugnandæ Urbi à Principe parari: nullus dubitat, quamvis non videat, parem quoque Regum, militumque numerum conductum iri, sine quibus nihil machinæ, remique proficerent; ita dicendum de Deo, cujus externa vocatio nulla esset, nisi jungeretur internæ, & ideo idem foret, non vocare, quàm sic vocare, nam, ut optimè notavit etiam Juris Consultus: *Nihil, & inutile paria esse dicuntur. L. quoties ff. de Sadisf. cogat.* Observet Jansenius opera naturæ & gratiæ, videbitque externis organis, & instrumentis (nisi contrarium *per accidens*, extraque ordinem contingat) internas quoque vires, & potentias sociari. Plantæ non solùm radices habent, sed etiam vim internam, & nutritivam,

qua alimentum trahant: avibus & alæ, & vis volandi: animalibus & oculus externus, & in oculo sensus videndi. At lapides, aliaque inanimata, sicut vitam non habent, ita nec organa, & instrumenta vivendi; Idem de gratia dicendum, nunquam videlicet gratiam, & vocationem externam sine interna esse. Quod tantò certiùs est, si & ordinem naturæ, & Officium Angeli tutelaris attendas: Ordinem quidem naturæ, quia cùm objecta externa sensum, sensus phantasiam, phantasia intellectum, intellectus voluntatem quodam nexu, ac serie causandi naturaliter moveant, fieri non potest, ut ex iis, quæ foris audiuntur, & spectantur, non proportionatæ, paresque illis externis in intellectu, & voluntate, ipsaque conscientia, cogitationes; cognitiones, trepidationes, aliique motus, & affectus animi existant, quos nemo non experitur, quoties prodigiosi aliquid videt, auditque: Officium verò Angeli Tutelaris quod attinet, quis ausit negare, etiamsi ponas Judæorum tam stupidos, & saxeos fuisse animos, ut Christo cùm verbis, tum prodigiis divinitatem suam afferente nihil moverentur; quis, inquam, negare ausit, non id Custodem Angelum egisse, ut internis, piisque cogitationibus, illustrationibus, inspirationibus, ac præsertim flagello timoris illorum conscientias agitaret, urgeretque ad credendum iis, quæ foris, tantaque coruscatione veritatis agebantur; Quòd si Christus de vocatione externa verissimè dixit Joan. 4. *Nisi ego venissem, & signa in eis fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: quantò magis, veriusque dicendum erit de vocatione interna, eos, qui ista caruissent, non peccaturos; cùm, ut dixi, multò hæc magis ad credendum, quàm illa necessaria sit; sicut ad scribendum magis necessaria manus, quàm penna. & ideo magis etiam excusandus, qui non scribit, si careat manu, quàm si careat penna, nam hujus defectus suppleri potest. Denique nescio, an dici aliquid possit à Dei genio, ac dignitate magis alienum, quàm eum imitatione vanitatis humanæ pompam sui amoris foris tantùm expromere, ac instar Romani illius Cæsaris pictis tantùm conviviis invitatos frustrari; cùm potiùs experiamur, in omnibus operibus suis plura, & majora intus condere, quàm in superficie forisque exponat. Compara, quæ in plantis, quæ in brutis, quæ in hominibus, quæ in Cœlis, quæque in Sacramentis videntur, cum iis, quæ non videntur, & intelliges, verissimè à Propheta dictum: *Quia Deus absconditus es*, hoc est, minimè ostentationis, pompæque amicum, ac instar Solis prætiosa quæque in fundo, occultoque elaborantis. Quantò ergo potiori jure id quoque de operibus gratiæ dicendum erit, quæ rationem beneficii, & hominis utilitatem pro fine habent; Deum videlicet vocando, dicendo, miracula patrando; non tantùm foris, verùm etiam multoque magis inspirando, illustrando, excitandoque intus, & in anima operari; nam sine interna hac vocatione, tam externa illa nihil prodesset, quàm evertendis mœnibus nihil machinæ bellicæ prosunt, foris quidem, & aspectu terribiles, sed intus vacuæ. Potest quidem Deus dare, aut negare gratiam, cùm nemini debeat, sed si dat, dubium nullum est, talem dare, quæ juvare hominem possit, & qua nisi utatur, exprobratione, pœnaque se dignum reddat; at talis non est sola gratia, & vocatio externa: nam ut frustra ligatum ad fugiendum invitas, viamque monstras, qua exeat, & non exeuntem injustissimè accusas, nisi aut ipse solvas, aut saltem instrumenta solvendi offeras; ita frustra ad pœnitendum miraculis, & prædicatione Judæos Christus vocabat, frustra præ Sidoniis arguebat, si nihil in eorum cordibus per internam gratiam agebatur, quo solverentur. Aut ergo injusta exprobratio Judæorum præ Sidoniis fuit, aut si justa, non minùs per internam vocationem Judæi, quàm Sidonii ad exeundum, & penitendum adjuti, quod etiam eleganter S. Prosper, magnus & fidelissimus Augustini Discipulus iis verbis expressit lib. 2. de Vocat. Gent. c. 26. *Gratia Dei in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos sive manifestos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia, quod autem à multis recipitur, & gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ.* Ubi vides S. Prosperum de gratia internæ vocationis aptissimè loqui.

Dicunt alii, ideo Judæos præ Sidoniis objurgatos esse, quia pares Sidoniis quoad gra-

tiam ſufficientem erant, qua poterant pœnitere; licet impares eſſent quoad gratiam *efficacem*, & ad actum prædeterminantem, quæ ſolis Sidoniis deſtinabatur. Sed planè ſi affectus, & præventio abſit; nemo non videt, quàm parùm hęc reſponſio ad rem prǫſentem faciat: Gratia enim ſufficiens ad pœnitendum, quam illi ſtatuunt,talis intrinſecè, & ex natura ſua eſt,ut tantû detur *ad poſſe*, non verò *ad agere*,& ideo,quàm actus ſecundus creatus neceſſariò, & eſſentialiter à cauſa prima,hoc eſt, à Deo pendet; tam neceſſariò præter gratiam ſufficientem, quæ dat poſſe, requiritur gratia alia intrinſecè efficax, quæ det agere, ſine qua, ut ipſi ajunt, tam nequit actus ſecundus, & operatio eſſe, quàm nequit aliquid eſſe non dependens, non proveniens à Deo; & ideo ab Orbe condito repertus eſt nemo, qui cum hac ſola gratia ſufficienti, quàm illi docent, actu, verèque pœnituerit. Quæ ſi ita ſunt, ſequitur, non poſſe Judæos præ Sidoniis objurgatione dignos conſtitui: Nam primò nemo paria ab iis exigit, quibus paria non dedit; at Judæis, & Sidoniis paria non dantur; iſtis enim gratia ſufficiens, & efficax datur, illis ſufficiens tantùm; quid ergo mirum eſt, minùs reddidiſſe, qui minùs acceperant, minùs viciſſe minùs armatos? minùs navigaſſe, minùs vento adjutos? Si Princeps aliquis duos habeat belli Duces, quorum utrumque in bellum, & hoſtem mittat; ſed primum manipulo tantùm; alterum Phalange inſtructum: primus verò hoſtem non aggrediatur, ut poterat; alter aggrediatur, & fundat: primus quidem nec laudem, nec prǫmium merebitur, imò potiùs pœnam,quia non fecit, quod poterat (ſuppono enim aggredi potuiſſe) ſed non propterea poteris exprobrare, quòd in tanta virium diſparitate non ęquè, ac ſecundus pugnavit, & vicit; nam ut quis *abſolutè* arguatur, ſufficit non feciſſe, quod poterat: ut verò quis arguatur *comparativè* ad alium, neceſſaria eſt paritas virium, comparatio enim eſt ęqualium,non inæqualium. Idem de Judæis & Sidoniis dicas: iſti Phalangem, illi manipulum acceperant, hoc eſt, Judæi gratiam ſufficientem tantùm (cujus ad efficacem minor proportio, quàm manipuli ad Phalangem eſt) Sidonii & ſufficientem, & efficacem; quid ergo mirum eſt,tam diſparem effectum ſecutum eſſe ex tam diſpari cauſa? Quæ incommoda locum non habent in ea gratia ſufficiente, quàm prędicamus: ea enim, cùm ex natura ſua, & copioſa, & efficax ſit, hoc eſt, virtutem producendi effectum de ſe habeat; nec ad poſſe tantùm agere, verùm etiam ad agendum tribuatur, & cum illa ipſo facto quàm plurimi agant, egerintque; ſic contingat te non agere; non gratiæ defectus erit, ſed voluntatis tuæ vitium. Nec refert Deum prǫvidiſſe, cum illa te non acturum; prǫviſio enim nihil mutat naturam rei, cauſæque prǫviſæ: nec etiam tenebatur Deus, non dare eam gratiam,qua prǫvidebat te non uſurum; ſicut nec ideo tenebatur abſtinere creando Soli, ac luci, quibus tamen quamplurimos prǫvideat ad perniciem, & flagitia uſuros. Accedit, moraliter ſaltem impoſſibile eſſe (ut nihil dicam de impoſſibilitate phyſica) cum ſola gratia illa ſufficienti pœnitere, quàm impugnamus: Illud enim moraliter impoſſibile dicimus, quod tam difficile homini eſt,ut nunquam,aut rariſſimè ab eo fiat: at cum gratia ſufficiente, qualem illi ſtatuunt, non tantùm rariſſimè, ſed nunquam omnino factum,nec futurum eſt,ut quis pœniteat; at quod moraliter eſt impoſſibile, quomodo exprobrari imputarique Judęis, quomodo tam gravi pœna, quàm eſt ęterna,puniri potuit? id planè perinde eſt, ac ſi aliquem tota die ludere alea jubeas, nec ſub pœna capitis alium numerum,quàm ſenarium jacere, quod phyſicè quidem poſſibile eſt (alioquin ne ſemel quidem eveniret) ac moraliter impoſſibile. Quantò ergo minus dicendum, præcipere Deum Judæis, ut cum ſola ſufficienti illa gratia pœniteant,æternum perituri, niſi faciant; cùm tamen id eo genere impotentiæ moralis impoſſibile ſit,qua major dari non poteſt, ita, ut nunquam, & à nullo homine, vel factum, vel futurum ſit.

Hanc ipſam de auxiliis æqualibus ſententiam,quibus alii cooperantur, alii verò non cooperantur,tradit quoq; S.Auguſt.*de Civ.Dei lib.* 12.*c.*6.ubi quærit:Cur pulchra mulieris facie duobus oblata ęqualiter corpore,ęqualiter animo,æqualiter tentatione perverſa affectis, unus amori ſuccumbat,alter obſiſtat, maneatque pudicus; quærit, inquam, quæ ratio ſit in cauſa tam pari, tam diſparis voluntatis? concluditque: non id diſpari animo, diſpari cor-

corporis temperamento, dispari tentationi (cum omnia paria supponantur) sed dispari tantùm voluntati, pro suo arbitrio malum pro bono eligentis tribuendum. Quæ Augustini sententia, sive tam anxia disquisitio vanissima erit, nisi paritatem quoque auxiliorum ponas: alioquin facillimè responderi possit, ideo stetisse unum alio cadente, non quòd impares animo aut corpore, aut tentatione; sed quòd impares viribus essent; hoc est, unus minori, alter majori gratia fulciretur: cur ergo tam anxiè, & per partes imparitatem quærit Augustinus; cùm illa in promptu sit? Si enim cessaret admiratio, & difficultas Augustini, posita aliqua corporis, animi, aut tentationis disparitate; quantò magis cessare debet posita inæqualitate gratiæ? Aut ergo Augustinus omnia etiam ex parte gratiæ æqualia supponit, aut si non supponit, vana est illius inquisitio, vana ratiocinatio. Sed ejus verba audiamus: *Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo, & corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse causæ, ut in illo fiat, in illo nō fiat voluntas mala. Neq; enim pulchritudo illa corporis, nam eam non fecit in ambobus? quandoquidem amborum non dispariliter occurrit aspectibus: an caro intuentis in causa est? cur non & illius? an verò animus? cur non utriusque? Ambos enim & animo, & corpore æqualiter affectos fuisse prædiximus. An dicendum est, alterum eorum occulta maligni spiritus suggestione tentatum, quasi non eidem suggestioni, & qualicumque suasioni propria voluntate consenserit? Hanc igitur consensionem, hanc malam, quam malè suadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit, quærimus. Nam ut hoc quoque impedimentum ab ipsa quæstione tollatur, si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque consentiat; alter idem, qui fuerat, perseveret: quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere:* Idem Augustinus *lib. de Prædestinat. & grat. cap.* 15. quærens, quid causæ fuerit, ut Nabuchodonosor, non Pharao Rex punientem Deum agnoverit, respondet: id non ad Dei præscientiam referendum esse, non ad disparem causam, non ad conditionem, & dignitatem inæqualem, non ad defectum externæ, aut internæ vocationis, sed ad solum merumque arbitrium; quamvis enim deseruerit Deus Pharaonem, id justo judicio factum, Deo quidem permittente, ut pro sua libertate caderet, non ideo tamen ne caderet, gratiam, & auxilium subtrahente. Verba Augustini sunt: *An fortè si piè de Deo, sicut expedit, sentiamus; etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus? Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem, qua differens justum, meritumque supplicium, miraculorum verbera densabat. Nunquid non potuit sicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoscere? Si dicitur Pharaonem non potuisse mutari, quia eum præsciverat Deus non esse mutandum: Respondetur: Dei præscientiam non cogere hominem, ut talis sit, qualem præscivit Deus, sed præscire talem futurum, qualis futurus est, quamvis eum non sic fecerit Deus. Existere nihilominus fortasse aliquem reor, qui dicat, minùs idoneam ad salutem, viam, si nulla intrinsecus vocatione pulsatus tamen quispiam flagelletur. Unde Nabuchōdonosor ergo pœnitentiam meruit fructuosam? nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & Regnum, quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem ipsis flagellis est durior effectus, & periit. Hic mihi rationem reddat, qui divinum consilium nimium altum sapienti corde dijudicat, cur medicamentum unius Medici manu confectum, aliis ad interitum, aliis valuerit ad salutem? Nisi quia Christi bonus odor, aliis est odor vitæ in vitam; aliis odor mortis in mortem. Quantùm ad naturam, ambo homines erant: quantùm ad dignitatem, ambo Reges: quantùm ad causam, ambo captivum Populum Dei possidebant: quantùm ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diversos, nisi quòd unus manum Dei sentiens, recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio;* Ubi observa, ex ipso Sacro textu manifestum esse, Deum non solùm externis prodigiis, verùm etiam internis inspirationibus Pharaonis animum pulsasse: Cùm enim Moyses, & Aaron primo ingressu Dei mandatum exposuissent, & ille superbè, impièque respondisset: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Postea tamen flagellis, & prodi-

prodigiis factus & Deum agnovit, & peccatum ſuum confeſſus eſt: *Miſit*, inquit, *Pharao, & vocavit Moyſen, & Aaron, dicens: Peccavi etiam nunc, Dominus juſtus eſt, ego & populus meus impii*. Hæc verò agnitio Dei ſine gratia interna fieri non potuit, & ideo optimè argumentatur Auguſtinus; *Numquid non potuit ſicut flagellis cedens expulit populum; ita miraculis credens, Deum tantæ virtutis agnoſcere?*

Hanc quoque æqualitatem auxiliorum agnovit S.Thom.in c.8.ad Rom.Lect.3. ubi: *Hæc vocatio eſt efficax in prædeſtinatis, quia hujuſmodi vocationi aſſentiunt*. Diſparitas ergo non ſemper ex gratia, ſed ex voluntate eſt; quod etiam Dominicus Soto, inſignis S. Thomæ Diſcipulus, his verbis explicavit Lib. de Natur.& Grat. cap. 15. *In adultis reddenda eſt proxima cauſa, cur, cùm duos æquè ſit Deus paratiſſimus convertere, præſentiſſimaque utrumque miſericordia adſpiret, hunc trahat, illum non trahat, quæ revera reddi non poteſt, niſi quòd alter præbeat aſſenſum, & cooperetur, alter verò minimè*. Vides hìc à Soto ſupponi, Deum ex parte ſua æquè ad utroſque convertendos paratiſſimum eſſe, quod dici non poteſt, niſi utrique parem gratiam adſpiret. Quòd verò non uterque trahatur, id eſſe, non quòd Deus non æqualiter juvet, ſed quòd homo non æqualiter velit. Idemque S.Doctor 3. p. qu. 69. a.8. ad 2. *In baptizatis, quòd major, vel minor gratia apparet, poteſt dupliciter contingere: uno modo, quia unus in Baptiſmo percipit minorem gratiam, quàm alius propter devotionem majorem. Alio modo, quia etiam æqualem gratiam percipiant; non æqualiter ea utuntur, ſed unus ſtudioſiùs in ea proficit. alius per negligentiam gratiæ Dei deeſt*. Ubi nota, D. Doctorem non loqui tantùm de gratia habituali, verùm etiam de actuali, quæ per Sacramenta non minùs, ac habitualis æqualiter diſpoſitis, æqualiter confertur, ut idem docet q.62. a.2. *Deinde*, illa verba; *non æqualiter ea utuntur, ſed alius gratiæ Dei deeſt*, ſignificant gratiam actualem, quæ ſola dat *uſum*, & actualem influxum, & ideo ei ſoli dicimur *deeſſe*, ſicut qui Soli oculos claudit, ne videat, non dicitur deeſſe oculo, aut facultati viſivæ, quæ dat potentiam videndi; ſed dicitur deeſſe Soli, ac luci, quibus ad actualem viſionem excitator.

Imò idem Angelicus clariſſimè tradit, nos ſolùm æquali, verùm etiam majori gratia interna à Deo inſtructum vocationi ſubinde non reſpondere, ac conſenſum negare: Docet enim 1.p.q.62. a. 6. & q. 63. a.7. Angelos gratiam, qua converterentur ad Deum, conſecutos eſſe juxta menſuram perfectionum naturalium, ſicque Lucifero, quippe omnium perfectiſſimo, maximam quoque ante alios gratiam contigiſſe. Verba S.Doctoris ſunt *Dicendum, quòd ſecundùm gradum naturalium: Angelis data ſint dona gratiarum, & perfectio beatitudinis, ut puta ſi ædificator lapides polit ad conſtruendam domum, ex hoc ipſo, quòd aliquos pulchriùs, & decentiùs aptat, videtur eos ad honoratiorem partem domus ordinare: Sic igitur videtur, quòd Deus Angelos, quos altioris naturæ fecit, ad majora gratiarum dona, & ampliorem beatitudinem ordinaverit. Et idem apparet ex parte ipſius Angeli: Non enim Angelus eſt compoſitus ex diverſis naturis, ut inclinatio unius naturæ impetum alterius impediat, aut retardet ſicut in homine accidit. Quando autem non eſt aliquid, quod retardet, aut impediat, natura in id ſecundùm totam ſuam virtutem movetur: & ideo rationabile eſt, quòd Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, & fortiùs, & efficaciùs ad Deum ſint converſi, quia ſecundùm intenſionem converſionis in Deum datur major gratia, & gloria. Unde videtur, quòd Angeli, qui habuerunt meliora naturalia, habuerunt plus de gratia, & gloria, ... Fuit autem Dæmonum peccatum ſuperbia, cujus motivum eſt excellentia, quæ fuit major in ſuperioribus Angelis, & ideo dicit Gregorius, quòd ille qui peccavit, fuit ſuperior inter omnes, dum enim cunctis agminibus Angelorum prælatus eorum claritatem tranſcenderet, ex eorum comparatione elatior fuit. Et hoc videtur probabiliùs; quia peccatum Angeli non proceſſit ex aliqua pronitate, ſed ex ſolo libero arbitrio, unde magis videtur conſideranda eſſe ratio, quæ ſumitur à motivo excellentiæ ad peccandum*. Eademque opinio eſt Magiſtri Sententiarum *in 2. Diſtinct. 2.* ubi: *Angeli, qui natura magis ſubtiles, & ſapientia ampliùs perſpicaces creati ſunt, hi etiam majoribus gratiæ muneribus præditi ſunt*. Et nota verba Angelici Doctoris, non ſolùm de gratia habituali, verùm etiam actuali intelligenda eſſe: Dicit enim: *Angeli qui meliorem naturam habuerunt, fortiùs & efficaciùs*

efficatiùs ad Deum conversos esse: at hæc fortior & efficacior conversio opus est gratiæ actualis, ut taceam, gratias actuales proprietates esse habitualis, & ideo majori habituali majores quoque actuales debentur, nisi obicem ponas; at Lucifer ante peccatum nullum obicem posuit, unde sequitur, si majorem habitualem habuit, majorem quoque actualem habuisse.

Idem S. Thomas 1.2.q. 106. a.2. ad 2. cùm præmisisset: *Etiam littera Evangelii occideret, nisi adesset interiùs gratia fidei sanans*, adjungit: *Si quis post acceptam gratiam Novi Testamenti peccaverit, majori pœna dignus est tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non utens. Nec tamen propter hoc dicitur, quòd Lex nova iram operatur, quia quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Sicut ait S. Doctor, peccans post acceptam gratiam Novi Testamenti majori pœna dignus est; tanquam majoribus beneficiis ingratus, sequitur, multos cum majori gratia, tam interna, quàm externa (nam sola externa beneficium dici non potest, cùm juxta S. Doctorem *ad litteram occidentem* pertineat) in Novo Testamento graviùs peccare, quàm peccaverint alii cum minori gratia in Testamento antiquo; sicque cum majori gratia peccare aliquos, cùm tamen alii cum minori, aut non peccent, aut saltem non tam graviter peccent.

Id etiam videtur apertissimè Christus insinuasse, cùm Matth. 12. dixit: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce! plùs quam Jonas hic. Regina Austri surget cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit de finibus Terræ, audire sapientiam Salomonis: & ecce! plùs quàm Salomon hic.* Hic docet Christus Judæos majoribus beneficiis, & gratiis donatos, quàm Ninivitas, Austrique Reginam fuisse, & tamen Judæos non credidisse, cùm Ninivitæ, & Regina Jonæ, ac Salomoni crediderint tantò Christo minoribus, & ideo Judæos à Ninivitis condemnatum iri. Neque hic iterum opponas, hæc Christi verba de gratia externa, non interna intelligenda esse, nam ut jam dicta omittam, Christus loquitur de majori beneficio Judæis quàm Ninivitis præstito, & de quo præ Ninivitis ad credendum, ac pœnitendum moveri debuerant; at gratia externa, nisi internæ respondeat majus beneficium dici non potest, nec ad magis credendum, ac pœnitendum sufficit, cùm, ut suprà ex S. Thoma notavimus, gratia externa sine interna ad litteram occidentem pertineat. Planè desiperet Medicus, qui crederet, se majus beneficium vulnerato præstitisse, quòd non validiori ad sanitatem, sed pulchriori ad speciem, aut majori emplastro plagas obduxisset. Ipse quoque Seraphicus Doctor de hac ipsa æqualitate gratiarum ita loquitur Distinct. 16. p.2. a.2. q. 1. *Ex æquali gratia aliquando magis fervens elicitur motus, aliquando minùs secundùm cooperationem liberi arbitrii*. Nec verò mirari oportet, cum fortiori, aut æquali gratia alium dissentire, alio consensum dante: cùm enim nulla gratia tam valida sit, cui dissentire non possis; quid mirum est, aliquando dissentiri, hoc est aliquando fieri, quod semper fieri potest? imò potiùs mirandum esset, si quod fieri potest, fieret nunquam. Sed jam alia videamus.

V. Hæc ipsa effusissima in homines bonitas ex iis etiam arguitur, quæ in bruta animantia, omnesque etiam insensibiles creaturas videmus à Deo quotidiè conferri: Quod enim brutum tam vile, cui non omnia ad vitam necessaria, imo etiam commoda pro singulorum natura non copiosè suppetant? Arbori datæ radices, quibus alimentum rapiat, fibræ, quibus transmittat, folia, quibus protegatur, flores, quibus ornetur, pluviæ, rores, lucis, umbræque vicissitudo, quibus nunc frigore, nunc calore, justa, æqualique temperie foveatur. Quid dicam, singulas ferè stellas singulis arboribus propitias? aliæ siquidem crescente, aliæ cadente Luna proficiunt: aliæ Martem, aliæ Venerem, aliæ Cancrum, aliæ Taurum amant; Vites, & oleæ Virgiliarum exortu concipiunt, Solstitio florent. Quid ventos maturandis fructibus paratos? aliæ enim Aquilonibus, aliæ Favoniis germinant. Quid nives tegendis, fovendisque seminibus lanæ instar hyeme injectas? Quòd si arborum aliquæ ultra solita, & communia naturæ beneficia, peculiaribus præsidiis indigeant, quando ista defuere? sic vitibus, quia Sole, & aprico gaudent, ne calore nimio læderentur, dati

F adver-

ad ve rsus æstum largissimi pampini. Tritico, ne à vermibus, qui à terra proveniunt, infestaretur, dati longiores calami, quibus in altum, terraque procul injuriam fugerent. Rosæ spinis armatæ, ne passim, impuneque carpantur. Lilia, quæ odore prægrandi, multoque onusta, crassioribus caulibus, thyrsisque imposita, ne oneri cedant. Terra, quia naturæ siccæ, solidæque, tot fontibus, tot fluviis, pluviisque rigata, & ne displiceat nuditate, aut homini vilescat, quippe infimum elementum, tot florum illecebris vestita, tot preciosis metallis, & gemmis impleta, quodque mitissimum est, tam gravis, ingensque moles, cui sustinendæ non Alpes, non Apennini, non omnium columnarum fulcimenta, licèt ære aut adamante compacta sufficiant; ita uno puncto, seu centro libratur; ut licèt in medio aere suspensa, licèt tot hominum, pecudum, ædificiorum, urbium, montiumque oneribus prægravata in nullam partem inclinet, sed immota, inconcussa perduret; cùmque levissimam pilam ne uno quidem momento aer sustineat, sustinet tamen jam sexies mille annis Orbem Terrarum semper pendulum, nunquam caducum, successante Dei providentia. Denique nihil non copiosè, & affatim in fines usus que suos instructum. Eadem in corpus humanum naturæ benignitas, quod tot membris, tot fibris, tot nervis, tot visceribus, tot humoribus, tot venis distinxit, ut ei non solùm ad necessaria, sed etiam ad jucundè, commodèque operandum nihil penitùs desit. Dati oculi, ne impingeret; pedes, ne caderet; manus, ne torperet; os, dentes, stomachus, ne inedia consumeretur: comæ, ad ornatum, genæ & facies ad venustatem; vox, quæ non tantùm animi arcana transfunderet, verùm etiam audientes cantu mulceret. Tanto mille alia divinæ providentiæ in animantes miracula, in quibus nihil desideres, quod deceat, quod conducat, quod prosit, quodque immensam Creatoris beneficentiam non mille argumentis prodat. Quis ergo, nisi planè desipiat, suspicari possit, in omnes creaturas tam copiosum, tam splendidum, in solos homines tam parcum, modicumque fuisse, ut eis, quæ ad animæ salutem necessaria sunt, aut subtrahat, aut tam inclementer, avaréque suppeditet, ut difficillimè, ægerrimèque consequi eam possint. Magis ergo bruta animantia, imo creaturas inanimes diligat, quàm animas immortales, suique imagine impressas, & cœlestis Regni hæredes? Magis plantis providebit, quàm filiis? magis curabit, quæ in obsequium, & famulatum hominis condita sunt, quàm hominem ipsum creaturarum omnium finem, mundique principem? Planè id nihil aliud foret, quàm nobilissimam Dei perfectionem, quæ amor est, penitùs deformare, & inordinatissimam reddere, quippe qui minimis rebus maximam curam, maximis verò minimam impendat, sicque contra leges justæ charitatis vilissima impensè diligat, pretiosissima verò, qualia animæ sunt, aut omnino negligat, aut cordi non habeat, puerorum videlicet amores imitatus, qui rerum ignari, pomum præ auro, vitrum præ margaritis eligunt, chariusque habent. Cùmque, ut dixi, homo sit sublunarium creaturarum finis, creaturæ verò sint media in commodum, obsequiumque hominis creata, ut eam videlicet aut vestiant, aut pascant, aut oblectent, aut medeantur, aut hospitio recipiant, si Deus, inquam, minùs homini, quàm aliis creaturis provideat, planè inconsultissimum faciet, quippe qui media fini præponat, perindeque agat, ac si opulentissimus Princeps splendidissimam Filio domum adornet, famuliam pretiosa veste, penuariam electissimis cibis, Aulas supellectile Regia instruat, Filio interim Regni hærede, omniumque Domino gelu algente, seminudo, & vix famem tolerante. Quæ si tam absurda sunt, ut in nullum hominem cadant, quantò minùs cadent in Deum? aut ergo Deus talis non est, qualem nobis & Scripturæ, & ratio depingunt; aut si talis est, non minùs in homines, quàm in alia benignus, quæ homini serviunt.

VI. Huc etiam spectant, quæ Deus corpori, vitæque temporali degendæ tam largè, affluenterque providit, ut omnem planè admirationem vincat, & ex iis facilè colligas, quid de anima sentiendum sit, tantò corpore præstantiori, quantò Rex suo palatio, artifex suis instrumentis præstantior est. Ergo corpori vestiendo, ornandoque quot in avibus plumæ, in piscibus purpu-

purpuræ, in pecudibus pelles, in vermibus serica, in mari uniones, in montibus metalla, gemmæque parata? Quotquot flores, herbæque in remedia morborum? quot liquores siti, quot escæ fami delendæ per elementa dispersæ? quid de illis dicam, quæ tanto numero, tanta varietate, non ad necessitatem, sed ad delitias homini data? quot colores oblectandis oculis, quot soni demulcendis auribus? quot artes fallendo tempori inventæ? Et hæc omnia adeò in universum genus humanum effusa, ut nullam toto Orbe nationem reperiam tam barbaram, tam incultam, tam à vera Religione alienam. cui non remedia, non vestes, non cibi, non tecta, non omnia denique fovendo corpori necessaria natura impensè providerit. Audi Senecam in hoc ipsum argumentum ita disserentem lib. 4. de Beneficiis: *Tot arbusta non uno modo frugifera; tot varietates ciborum per totum annum digestæ: jam animalia omnis generis, alia in sicco, solidoque, alia in humido nascentia, alia per sublimè demissa, ut omnis rerum naturæ pars tributum aliquod nobis conferret. Unde istum, quem trahis spiritum? unde istam, per quam actus vitæ quæ disponis, atque ordinas lucem? unde sanguinem, cujus cursu vitalis calor continetur? unde ista palatum tuum saporibus exquisitis lacessentia? Neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est, usque in delicias amamur.* Si ergo quæ ad conservandum, recreandumque corpus necessaria sunt, desiderari Deus à nullo mortalium voluit; quantò minùs id de animabus voluisse dicendus erit? Quid enim aliud est corpus, quàm animæ instrumentum? Si ergo adornando instrumento tanta cura laboratum est, quantò magis laboratum fuerit, ne quid deesset artifici? alioquin quid pingendæ imagini prosint exquisitissimi colores, cœco, & manco Pictore? aut conficiendo bello acutissimi & limatissimi gladii, languente, invalidoque milite? Cùm ergo Deus animas hominum æternæ felicitati condiderit, in eumque finem corpori velut instrumento adstrinxerit, planè studium instrumento impensum manifestissimo argumento est, multò magis curatum esse, ne quid ad hunc finem obtinendum artifici, hoc est, animæ deesset.

VII. Accedit, nihil causis maximè intellectualibus tam naturale, insitumque esse, quàm ut opera, quæ ab ipsis procedunt, commendatissima habeant, tantòque magis, quantò illa nobiliora sunt, pretiique majoris. Si quis peregrinum florem in horto domestico manu sua consevit, aut vivacissimis coloribus, summaque arte imaginem adumbravit, aut ingenti studio poema confecit, quàm anxiè, quantaque cura laborat, ne pereant, ne grandine, ne pulvere, alioque casu corrumpantur? Ita Cæsar Commentarios, quos nocturnis horis elucubravit, ne Naufragus quidem, ac hoste persequente, dimisit. Ita Parrhasius, domo incendio conflagrante, nihil aliud, quàm Adonidem suum servari optabat. Ita res quoque sensu carentes, arbores exempli causa, poma à se producta & sinu ferunt, & succo alunt, & foliis, tunicisque corticum vestiunt, & non priùs dimittunt, carpique patiuntur, quàm jam matura, suisque numeris absoluta. Quid ergo de Deo dicemus, inter cujus opera nihil pulchriùs, nihilque præstantiùs anima humana, & immortali, in qua divinitatis imago velut in tersissimo crystallo non sculpta, non picta, non opere plumario intexta, sed naturaliter ingenita efflorescit; hoc, inquam, tam regium opus, nulloque pretio æstimabile, Deus non cordi habeat, impensèque custodiat?

VIII. Sed præsertim hæc ratio convincit, quòd in hominis structura, non peritissimi tantùm Conditoris & Artificis, verùm etiam amantissimi Patris officium, ac partes sustineat Deus: Cùm enim carnalis pater modicam tantùm sanguinis sui portionem corpori formando præstet, circa animam verò nihil penitùs agat, solus est Deus, qui paterni sanguinis indigestam massam elaborat, distinguit, & in tot organa, perfectumque corpus componit, idque multò nobiliori ratione, quàm sculptor ex rudi marmore statuam, aut pictor in nuda, rasaque tabula pulcherrimam Helenam fingat. Quantò ergo justiori titulo statuarium, & pictorem dicimus, non qui saxum, & tabulam dedit, sed qui eam sculpsit, pinxitque; ita longè magis pater vocandus est, qui corpus humanum tam stupendo opere ex paucis humani sanguinis guttis confecit, quàm qui guttas

ipsas suggessit. Animam verò quod attinet, præcipuam videlicet hominis partem, ea solius Dei opus, & speciem est, ut proinde sive corpus, sive animam spectes, nemo ita hominis pater, ut Deus est. Cùm ergo tantam videamus esse hominum in suas proles charitatem, tamque iis alendis, educandis, custodiendis, augendisque sollicitudinem, tantam quoque in eos clementiam, si erratorum poenituerint, sinumque paternum repetierint; quis hæc ipsa non multò magis in Deo agnoscat omnium patrum maximo, & præstantissimo; Ille, qui amorem filiorum omnium hominum, imo omnium Leonum, Tigridumque animis impressit, ille, inquam, filios suos non amavit? aut si non amavit, non seriò, non officiosè, non efficaciter; sed vel simulatè, vel perfunctoriè tantùm? Sicque in illo amoris affectu, quo nullus innocentior, nullus justior, vinci se ab hominibus, imò à brutis, & serpentibus ferret? Planè tam hæc sunt Deo indigna, ut ne cogitari de illo quidem sine scelere possit. Ergo si Deus omnium Pater, imo si magis Pater, quàm reliqui hominum; sequitur, ut omnes seriò, officiosè, & efficaciter diligat: & si diligit, ut omnibus affatim, copiosèque provideat; nec enim Pater esse potest, nisi vehementer diligat, nec vehementer diligere, nisi vehementer quoque provideat, & curet. Aut ergo Pater non est, aut si est, non utcumque, non perfunctoriè, sed flagrantissimè amat.

IX. Sed nihil æquè hunc Dei in homines beneficentissimum amorem, ut opus Redemptionis ostendit: Si enim amantis est, amato uniri, eique similem fieri, quæ major unio, non dico repetiri; sed vel cogitari illa potuit, quæ cum divina, humanaque natura intercessit, quæque in Sacra Eucharistia singulis Fidelium offertur? adeò ut caro, sanguis, & Divinitas Redemptoris, carni, sanguini, naturæque hominis fidelis verè misceatur: atque ut hac ipsam unionem Deus operi manciparet, quot miraculis, quot prodigiis actum? *Deinde:* quæ major similitudo effingi potuit, quàm ut Deus, deposita, aut potiùs velata Majestate, non solùm naturam, verùm etiam miserias, inopiam, labores, lacrimas, ipsamque hominis mortalitatem indueret? Planè tanta hæc fuit, tamque prodigiosa similitudo, ut neque re ipsa parem unquam habuerit, nec etiam omnibus Poetarum mendaciis fingi par aliqua potuerit: nam quòd Achilles, & Hercules Amicarum gratia, positis armis, togam, & colum, ornatumque muliebrem induisse fingantur, quid, rogo, id est, si cum Mysterio Incarnationis componas? Quantò enim major inter Deum, & hominem, inter naturam, & tunicam distantia, tantò major quoque magisque stupenda Dei cum homine conjunctio: quid Achilles, & Hercules ad Deum? quid pallâ muliebris auro, gemmisque intexta ad ipsam, veramque hominis naturam? Quid aliquorum dierum scena, & ludus (nec enim Achilles, & Hercules semper fœminam egerunt) ad perpetuam, & hypostaticam Unionem? quanquam nec mirum est, plùs fecisse Deum, quàm Poetæ fabulari potuerint; cùm istorum fingendi facultas finita sit, infinita verò potentia, & dilectio Dei. Quem ergo majorem amorem, & similitudinem cum amato illa velis, quam nec fingendo, nec mentiendo quidem assequi ullus hominum potuit? Rursus, si certissimum amoris argumentum est pati, quis magis, aut plura passus est, quàm Deus pro homine? poterat enim vel uno suspirio, unaque lacrima, imò vel unico verbo homines redimere, sed ut amorem, & misericordiam suam testaretur, utque maximos etiam peccatores ad maximam fiduciam invitaret, neque magnitudine scelerum spem veniæ deponerent, voluit ea ferrre, quæ omnem necessitatem, omnemque modum, & exemplum superarent: voluit, inquam, mari, quod potuit gutta; voluit non sufficere charitati, quod sufficiebat Redemptioni; voluit totus in nostros usus expendi. Utque B. Thomas Villanovanus eleganter exclamat: *Dilexisti me Domine supra modum, dilexisti me sine modo. Et qui omnia in numero, pondere, & mensura fecisti, in me diligendo omnem modum, pondus, & mensuram excessisti.* Et tamen post tot amoris argumenta, & pignora, quæris adhuc anxius, & disputas, ac velut de re incerta, & nuper ex Indiis audita, frigidè interrogas, an verum sit, Deum amare? perinde ac si quis algens, geluque confectus, postquàm diu igni assedit, & calore refectus est, circumstantes per otium

inter-

interroget: an verum sit, quod Aristoteles, & Philosophi passim testantur, ignem calidum esse? quid ex Philosophis, & Theologis quaeris? te ipsum, & beneficia toties, ac tanti pretii accepta, ac sanguinem pro te venis omnibus sparsum interroga, & ista quovis Philosopho & Theologo meliùs, certiùsque testimonium amori in homines dabunt. Quid enim est seriò, & efflictim amare, si illud non fuit? aut quae tu dabis veri amoris paria exempla? Planè aut nemo unquam seriò amavit, aut amavit Deus. Postquàm verò, ut amorem suum hominibus probaret, etiam in eorum pretium Unigenitum dedit; optimè infert Apostolus: *Quomodo non cum illo omnia nobis donavit?* Quasi dicat, quid negavit Deus petenti, postquàm etiam non petenti Unigenitum spontè donavit? qui plantam integram dedit, negabit pomum? qui thesaurum profudit, circa micam rixabitur? Et planè quid sunt omnia bona, & beneficia creata, si cum Dei Filio comparentur, quàm micae, & guttae? ergo guttam non dabit, qui dedit mare? hoc est, non dabit gratiam, qui dedit Filium? Planè aut ratio, & Apostolus fallunt; aut Deus donato Filio negare nihil ampliùs potest?

X. Et denique id ipsum experientia constat: Quis enim gratias, & adminicula numeret quibus Ecclesia abundat, Christianis partim sanctificandis, partim expiandis, partim in accepta gratia conservandis, sicque ad aeternam vitam promovendis? Quot Sacramenta? quot libri, quot Templa, quot exempla, quot Sacrificia, quot conciones, quot catecheses, quot Sacerdotes, quot Missionarii, quot Indulgentiae, quot Collegia utriusque sexus, vel tuendae, vel recuperandae innocentiae? quot Religiosorum cohortes juvandis peccatoribus promptae? Denique mille modi, mille artes repertae, quibus & sanis, & infirmis, & morientibus subveniretur, tanta copia, tanta varietate, tantaque illecebra, & condimento pietatis, ut ferè mirum sit, inter tot praesidia, & blandimenta virtutum perire aliquem posse: *Heu quot sunt ad salutem viae*, exclamat Chrysostomus, & Augustinus in Psalm. 103. *vocat undique ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam; vocat beneficiis, vocat per Lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis.* Et Propheta legis Evangelicae felicitatem depingens Isa. 35. *scissae sunt*, inquit, *in deserto aquae, & torrentes in solitudine, & quae erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum: in cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami, & junci, & erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur, & haec erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam.* Planè si vel centesimam eorum partem Christiani faciant, ne pereant, quae faciunt, ut pereant; nemo illorum beatus non esset, ut meritò scripserit eloquentissimus Salvianus lib. 3. ad Eccl. *O Caecitas, o insania! quanto studio infelicissimi hominum id efficitis, ut miserrimi in aeternitate sitis, quod minore cura, minore ambitu id vobis praestare potuistis, ut semper beati esse possetis.* Quòd si Christianorum aliquem etiam perditissimum interroges, an expertus ipse non fuerit mille Dei beneficia, mille gratias, mille internas, externasque inspirationes, occasiones poenitendi? fatebitur. Si porrò urgeas: an ingenuè, bonaque fide dicere possit, Deum sibi defuisse, seque justam de illo conquerendi causam habere? negabit: idem secundus, idem tertius, idem quartus, idem alii, omnesque respondebunt. Si ergo nemo in Coelo, nemo in terra, nemo in inferno repertus, qui causam suae damnationis adscripserit Deo, qui gratiam accusaverit; cur ergo nos quoque non omnium testimonio, non experimentis, non oculis, & conscientiae propriae credimus, sed vanis cavillationibus circa fontes Nili rixamur, nodumque in scirpo quaerimus, hoc est, ea insequimur, quae inveniri non possunt, ea omittimus, quae in oculis, & manibus sunt? Constat, Deum posse; constat, Deum velle; constat, Deum dare; constat, Deum usque ad sanguinem, & mortem tibi sanandò laborasse; constat, te sanitatem, ac remedia nolle; & adhuc causam tuae perditionis quaeris, gratiamque incusas? quasi omnibus contentionibus nostris fieri possit, ut vera non sit illa Prophetae sententia: *Perditio tua ex te Israel, ex me tantùm auxilium tuum.* Duo sunt ergo hominis fines: perire, & salvari, hoc debemus Deo, illud nobis.

XI. Quae omnia licèt in Christianis maximè appareant, in caeteris quoque mortalium, quamvis infidelibus, & barbaris suo modo intelligenda sunt: Si enim Milvi, Ciconiae,

hirundines Ægyptum, & plagas suas, viasque norunt, quibus mari transmisso hyeme protegantur; si apes suos flores, Aquilæ suum Solem, magnes suam Stellam, Cervi, Graculi, Merulæ, Ursi dictamnum, laurum, Mandragoras, herbasque alias medicas, quarum gustatu sanantur: si omnia flumina suum mare, omnia Elementa suum centrum agnoscunt, quò nemine docente rapiuntur, & in quo denique quiescunt, quis credat, tot hominum myriadas esse, qui Deum, finemque suum, & media, ad illum perveniendi, nesciant; sicque brutis, & saxis stupidiores, quod nullum istorum latet, ipsi tanto numero, tantoque tempore ignorent? Si nulla Natio tam remota, tam barbara, cui non Sol, non Stellæ, pluviæ, non omnia ad vitam corporis necessaria suppetant, quis credat necessaria ad vitam animæ defutura? Si omnibus iis Angelus tutelaris datus, quis credat, hunc cessaturum ea suggerere, sine quibus salvi esse non possint? Si pro illis quoque, & passus, & mortuus est Christus; qui credat, non iis, & illa omnia daturum, sine quibus frustra sanguinem, & vitam dedisset? Nemo tam imperitus, qui visa pulcherrima domo, non continuò intelligat, fuisse aliquem Architectum, qui struxit. Nemo, qui procul audito dulcissimo, & ordinatissimo cantu, ac voce, & fidibus mixto, non cogitet, esse aliquem Musicum, vocis, sonique authorem, visoque corpore, quod movetur, quod loquitur, persuasum non habeat, illud vivere, animoque constare, quamvis nec vitam, nec animum, nec Musicum, nec Architectum videat. Ita omnino sentiendum est, nullum in Europa' nullum in Asia, nullum in Africa, Americaque hominem esse, qui, viso pulcherrimo hoc Mundi opere, non quodam naturali instinctu ad Opificem cognoscendum, amandum, colendumque moveatur? Aut si fingas, contrà quàm in brutis experimur, tantùm hominis naturam, & rationem non posse; quis dubitet, Angelum singulis datum, ipsumque Conditorem, ut in aliis rebus, ita in hac quoque tam necessaria defectum naturæ suppleturum? Audi Augustinum in Psalm. 77. *Corpus tuum videtur, anima tua non videtur: unde scis quia vivit, cujus animam non vides? unde scis, inquam? respondebis; quia loquitur, quia ambulat, quia operatur. Stulte ex operibus corporis agnoscis animam viventem; & ex operibus creaturæ non potes agnoscere Creatorem? Rursus:* Sicut ex illo principio omnibus naturaliter impresso: *vitam conservandam esse*, nemo non intelligit, esse comedendum, esse bibendum, manum opponendam, & perdendam esse, ferro capiti imminente, idque citra discursum, nulloque Magistro: ita ex illa, primaque regula omnium honestarum actionum, quamquàm natura nullum non docuit, videlicet: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, nemo non agnoscit, parentes, & Magistratus observandos; homicidia sine justa causa, furta, adulteria vitanda; quæ, si contra naturæ, ac rationis imperium fiant, etiam nullo teste, nulloque vindice, mox apud Barbaros quoque conscientiæ flagella, timores, ocultique carnifices; *nullum enim scelus, licet illud fortuna exornet, muneribus suis impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est, inquit Seneca Epist. 98.* Denique sicut inter tot hominum millia nemo fuit, qui totam vitam dormiendo egerit, nunquam experrectus; ita multòque minùs repertus aliquis, qui Deum, & ad salutem necessaria semper ignoraverit; hoc enim est animæ ignorantia, quod corpori somnus, nec hic esse perpetuus, nec illa potest.

Id ipsum ex Sacris Litteris ostendi potest: nam ad Rom. 1. ita de Gentilibus loquitur Apostolus: *Quod enim notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit; invisibilia enim ipsius à creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur; sempiterna quoq; ejus virtus, & Divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* In quæ verba Doctor Angelicus; *Considerandum est*, inquit, *quòd Deus homini dupliciter aliquid manifestat: uno modo infundendo lumen interius, per quod homo cognoscit: altero modo proponendo sapientiæ suæ signa externa, videlicet sensibiles creaturas: sic ergo Deus homini manifestatur.* Et Sap. 13. *A magnitudine speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterat Creator eorum videri.* In quæ verba S. Augustinus lib. 10. Confess. *Percussisti cor meum verbo tuo, & amavi te. Sed, & Cælum, & Terra, & omnia*

quæ

quæ in eis sunt undique mihi dicunt, ut te amen, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Et Serm. 143. de Temp. *Revelatur ira Dei super omnem impietatem. Quid est super omnem? non solùm super Judæos qui Dei Legem acceperunt; verùm etiam super impietatem Gentium, quoniam, quod notum est Dei, manifestum est illis. Unde manifestum? adhuc audi: Deus illis manifestavit. Si quæris, quomodo manifestavit, quibus legem non dedit? audi quomodo: invisibilia enim ejus à constitutione Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Quare ergo inexcusabiles? quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Non dicit, nescientes Deum; sed cognoscentes. Unde cognoscentes? ex his, quæ fecit. Interroga pulchritudinem terræ; interroga pulchritudinem Maris; interroga pulchritudinem dilatati, & diffusi aeris; interroga pulchritudinem cæli; interroga ordinem Siderum; interroga Solem; interroga Lunam; interroga ista, respondent tibi omnia: ecce pulchra sumus: pulchritudo eorum, confessio eorum est. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher in se ipso?* Et Sanctus Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 1. *Quòd est testimonium, quòd semper Domino deservivit, & nunquam de ejus bonitate, ac potestate contienuit, nisi totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives, & ordinata largitio? per quam humanis cordibus quædam æternæ Legis tabulæ præbebantur, ut in paginis Elementorum, & voluminibus temporum communis, & publica divinæ institutionis doctrina legeretur. Cælum ergo, Mare, Terra, & omnia, quæ in eis sunt, protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua majestatem sui loquebantur Authoris.* Et Sanctus Hieronymus Epistol. 3. ad Nepotianum: *Totius Mundi una vox est, Deus est.* Philo Judæus lib. 4. de Monarch. *Si quis in civitatem veniat legibus optimis constitutam, quid aliud suspicabitur, nisi regi ab optimis Magistratibus? Quamobrem qui in magnam introjerit civitatem, Mundum videlicet, ibique contemplatus fuerit aeris temperiem, annuarum tempestatum conversiones, Solem, Lunam, Stellas, diei noctisque moderatrices, & cæterorum errantium, fixorumque siderum, & Cæli totius in orbem agitationem, & choreas; nonne verisimiliter, aut potiùs necessariò de Patre, & Conditore, nec non Rectore cogitabit?* S. Damascenus Lib. 7. Orthodoxæ Fidei cap. 1. *Notitia Dei omnibus à natura est insita, neque id aliquis ratione utens ignorare potest.* Et Tertullian. in Apologet. cap. 17. *Summa est delicti nolentium agnoscere, quem ignorare non possunt.* Ipsi Gentiles id ipsum fassi sunt, nam, ut quàmplurimos alios prætereant, Trismegistus in Pimandro cap. 5. *Cùm statuam absque fabro, & Pictore fieri nullus asserere audeat, miram hujus Mundi constitutionem sine Conditore constitisse, putabimus?* Tullius lib. 1. de Legib. *Nulla Gens est tam immansueta, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.* Sicut ergo nulla Natio est tam barbara, tamq; ab humanis moribus aliena, cui Deus sui notitiam, tanquàm primam regulam, primumque principium omnis moralis, & honestæ actionis, seu naturæ, seu gratiæ instinctu non indiderit; ita quoque nulla est, quæ illum colendum, & invocandum esse ignoret; id enim, ex primo naturaliter sequitur; sicut qui novit, hunc patrem suum esse, mox intelligit, amandum, & honore prosequendum esse. Et ideo bene observat Tertullianus, hominibus in naufragio, aliove periculo constitutis, sponte quadam naturæ, nihilque cogitantibus has precationes excidere: Adsit mihi Deus! O Deum immortalem! Deus videt. *Quis enim*, inquit, Tertullianus, *ejusmodi eruptiones animæ non putaverit doctrinam esse naturæ? & unde hæc didicit Anima? certè non à Philosophis, non à litteris, non à Scripturis, non à disciplina, hæc enim pronuntiat, nondum Scholis formata, simplex, rudis, impolita, de compito, de textrino. Ergo didicit Magistra natura, & anima discipula. Tertullian. lib. de Testimon. Animæ.* At invocatio Dei est præcipuum, certissimumque medium, reliquas omnes gratias ab eo consequendi, juxta illud Apostoli: *Dives in omnes, qui invocant illum* ad Rom. 10. Et celebre illud Augustini: *Semel accipe, & intellige: non traheris? ora: ut traharis.* Patet ergo, nullum esse Mortalium, cui Deus non solùm qualemcumque gratiam, verùm etiam media, clavemque dederit, majorem semper, majoremque obtinendi; quis verò

cauſari inopiam poſſit, ſi clavem ad theſaurum accepit? *Neque dicas*, loca, quæ ſuprà ex Sacris Litteris attulimus, non de omnibus omnino fidelibus ſed de Philoſophis, & præcipuis eorum Magiſtris eſſe intelligenda, qui ſtudio, ſolertia, diſcurſuſque humano ad Dei cognitionem pervenerunt. Nam *primò* obſtant Sancti Patres, & quos laudavimus, & quos deinceps laudaturi ſumus, qui non de aliquibus, & Philpſophis tantùm, ſed omnibus omnino loquuntur. *Deinde* obſtat quoque huic exceptioni ratio Scripturæ; hæc enim docet, Deum inviſibilem per creaturas viſibiles cognitum eſſe: Sicut ergo non Philoſophi tantùm, ſed indoctiſſimus quiſque, viſis ſtatua, imagine, domo, navique plenis velis undas ſulcante, continuò intelligit, eſſe aliquem ſculptorem, qui ſculpſit, pictorem, qui pinxit, Architectum, qui ſtruxit, rectoremque, qui navim gubernat; ita non Philoſophi tantùm, ſed quicumque mortalium, viſo pulcherrimo hoc, maximoque Mundi opere, ignorare non poteſt, eſſe aliquem, qui fecit, & hunc Deum eſſe; neque enim aliud Dei nomine, quàm Mundi Conditorem, & Gubernatorem intelligimus: nam quòd aliqui negaverint, id tam non obſtat notiſſimæ huic veritati, quàm non obſtat candidiſſimo lilio, ab aliquibus, qui regio morbo laborant, non candidum videri; ſicut enim id vitium oculi eſt, alieno colore infecti; ita illud eſt vitium animi, Deum teſtem, vindicemque ſcelerum metuentis, & ideo negantis; unde optimè dixit Auguſtinus in Joan. tract. 106. *Exceptis paucis, in quibus natura nimiùm depravata eſt, univerſum genus humanum Deum Mundi hujus fatetur Auctorem.*

Rurſus quæro ex te: cur Deus non Philoſophis tantùm, verùm etiam cuilibet mortalium facultates videndi, loquendi, ambulandi, primaſque illas notiones, & regulas agendorum impreſſerit, videlicet: *quod ſibi quis fieri non velit, non eſſe aliis faciendum; parentes eſſe colendos &c.* cur, inquam, hæc omnibus, & non Philoſophis tantùm? reſpondebis: quia ſine iſtis vita mortalis degi non poteſt: atqui multò minùs degi poteſt ſine notitia Dei vita immortalis, ad quam non Philoſophi tantùm, ſed omnes omnino homines conditi ſunt: quomodo enim amabunt, & colent ignotum? & niſi ament, & colant, quomodo poſt hanc vitam obtinebunt? *Quod* ſi fingas, aliquem eſſe tam rudem, cui ne ad hanc quidem tam obviam veritatem ingenium ſufficiat, quid aliud ſequetur, quàm Deum, qui omnes ad ſe cognoscendum, amandumque creavit, aliunde, ut in ſimilibus ſolet, defectum naturæ ſuppleturum? Sic Globis cœleſtibus, quia motu proprio carent, datæ Aſſiſtrices Intelligentiæ, à quibus diu, noctuque volverentur: Sic Lunæ, propriæ lucis experte, imperatum Solis, ut radiis ſuis vacuam impleret: ſic nocti, quia obſcuræ, datæ mille faces, & ſtellæ, quibus umbram temperarent: ſic brutis, quia mente, ac ratione carent, proviſum à natura, ut aliæ ſquammis, aliæ teſtis, aliæ lanis, aliæ plumis veſtirentur: aliæ contra inſidias, aut curſu, aut cornu, aut dolo, aut unguibus, aut dentibus, aut ſpiculis armatæ: Balenæ, quia viſu imbecilli, ne ad ſcopulum impingeret, additus cuſtos, qui duceret: coturnicibus, quia mole corporis graves, & hoſtium incurſibus impares, paratus auſter, qui transfretantes levaret, additæque volucrum cohortes, quæ comitarentur, & prædones arcerent: ſic Ægypto, quia pluvias non habet, ſereno ſemper Cœlo, & nubibus vacuo, ſubventum innundatiodibus Nili ſingulis æſtatibus, miraque ratione, nec hactenus comperta in terram excurrentis: Quid ergo mirum eſt, ſi dicamus Deum id cum hominibus facere, quod cum brutis, & inanimatis facit? An illi minor de hominibus cura, quàm de ſervitiis hominum? aut major corporum, quàm animarum providentia? Refert quidem Molina, ſibi à multis narratum, Braſiliæ incolas, priuſquàm à Luſitanis docerentur, nullum Deum cognoviſſe: Sed aliud eſt, Deum ignorare, aliud invincibiliter, citraque culpam ignorare, at ita Barbaros ignorare, quis Molinæ narravit? *Deinde* cùm Deus nulli creaturæ vires, & facultates negaverit, quibus finem proprium conſequeretur, ut ſuprà oſtendimus, quis credet, id ſoli homini negaſſe omnium ſublunarium creaturarum nobiliſſimæ? At demus, ita ignoraſſe; id quoque magna beneficii, & gratiæ pars fuit: Cùm enim peccatum ſit eſſentialiter offenſio, & injuria Dei, ſublata Dei cognitione, neceſſariò ſequi-

sequitur, nec injuriam, nec peccatum, nec æternam pœnam esse. Ergo cùm hac ignorantia impeccabiles redderentur, alioquin certissimò peccaturi, si agnoscerent, sequitur, hoc ipsum beneficium esse, juxta illud Apostoli: *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato*. 2. Pet. 2. Ergo sive Barbari agnoscant, sicque invocare illum, & salutem consequi possint: sive penitus ignorent, & ideo nec possint peccare; semper verum erit, ne illis quidem misericordiam deesse.

Sed ne videamur hæc nostra sponte, & judicio comminisci, audiantur Augustini, ejusque nobilium Discipulorum sententiæ.

Sanctus ergo Augustinus Lib. 2. de Sermon. Dom. cap. 15. *Nulla anima est, quamvis perversa, quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus corde non loquatur Deus*. Et in Psalm. 6. *Dedit eos Deus in reprobum sensum; nam ea est cæcitas mentis; in eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur, sed non penitus, dum in hac vita est*. Et in Psalm. 18. *Cùm autem Verbum etiam caro factum est, & habitavit in nobis, mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum moralium excusare se de umbra mortis; & ipsam etiam penetravit Verbi calor*. Et in Psalm. 91. *Non cessat Sathanas suadere malum, sed nec Deus cessat admovere bonum. Sathanas autem non cogit invitum: in tua potestate est, consentire, aut non consentire*. Sanctus Prosper Lib. 2. de Vocat. Gen. cap. 17. & 29. *In extremis mundi partibus sunt aliquæ Nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit, quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur . . . . Ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de obnegato lumine veritatis*. Et cap. 14. *Neque ob hoc inexcusabiles sunt aliæ Nationes, quæ alienatæ a conversatione Israel, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo sub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit: adhibita enim semper est universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris, occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen sicut Dominus judicavit quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium*. Et cap. 31. *Elaboratum est, quantùm Dominus adjuvit, ut non solùm in novissimis diebus, verùm etiam in cunctis retrò sæculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse; quoniam sive manifestè, sive occultè, ipse est, ut Apostolus ait, Salvator omnium hominum, maximè fidelium*. Et Lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 25. *Sive igitur novissima contemplemur sæcula, seu prima, seu media; rationabiliter creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse: & hoc non aliunde monstratur, quàm de iis beneficiis, eaque providentia Dei, quàm universis Nationibus communiter, atque indiferenter impendit; fuerunt enim, ac sunt ejusmodi dona ita generalia, ut per ipsorum testimonia ad quærendum verum Deum possent homines adjuvari*. Et capite 23. de Infantibus loquens: *Non irreligiose, arbitror, creditur, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa Nationibus, qua utique si bene uterentur, eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur*.

Paulus Orosius, qui, Hieronymo, & Augustino viventibus, Librum Apologeticum scripsit de Arbitrii libertate, ipsique Augustino inter carissimos fuit, pag. 353. disertissimè suam, quam utique ab Augustino didicit sententiam, his verbis exponit: *Mea semper hæc est fidelis, & indubitata sententia: Deum adjutorium suum, non solùm in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem dona largitur, verùm etiam universis in hoc mundo Gentibus propter longanimem sui, æternamque elementiam subministrare, non ut tu asseris cum Discipulo tuo Cælestio, in solo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam, sed specialiter quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis, & singulis ministrare: ex quo evidentissimè declaratum est, nemini hominum deesse adjutorium Dei, præsertim cùm, & seductor assistat, & insit infirmitas*.

Sanctus Fulgentius Epist. 7. ad Venantium

tium cap. 8. *Nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore cælestis potest deficere medicina.*

. Sanctus Anselmus in cap. 1. ad Rom. *Dominus illis manifestavit, id est, non solùm naturalis ratio præfuit, sed Deus quotidie adjuvit, ne sola natura sufficere videretur.*

. Sanctus Thomas Epist. ad Hebræos cap. 11. Lect. 3. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ideo gratia nulli deest, sed omnibus, quantùm in se est, se communicat.* Et in cap. 6. Joan. *Cor humanum ex se ad inferiora tendens, non potest sursum elevari, nisi tractum, si verò non elevatur, non est defectus ex parte trahentis, qui quantùm est in se, nulli deficit, sed est propter impedimentum ejus, qui non trahitur; Deus enim omnibus ad trahendum manum porrigit, quantùm in se, & quod plùs est, non solùm attrahit manum recipientis, sed etiam aversos ad se convertit. Ex quo ergo Deus paratus est dare omnibus gratiam, & ad se attrahere; non imputatur ei, si aliquis non accipiat, sed ei, qui non accipit.* Et quæst. 14. de Veritat. artic. 11. ad 1. *Si aliquis nutritus in silvis, vel inter bruta animalia ductum rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè est tenendum, quòd ei Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret sicut misit Petrum ad Cornelium.* Et ad 2 ibidem: *Quamvis non sit in potestate nostra, cognoscere ea, quæ sunt fidei ex nobis ipsis; tamen si nos fecerimus, quod in nobis est, ut scilicet ductum naturalis rationis sequamur, Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis est necessarium.* Idemque repetit Lect. 3. cap. 10. ad Romanos, additque: *Sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt, quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est, movente corda ipsorum ad bonum.* Ubi supponit Sanctus Doctor, hanc gratiam faciendi, quod in se est, omnibus dari.

XII. *Opponitur primò:* Docet Sanctus Thomas, aliique Theologi, dari infideles aliquos, qui laborant infidelitate *purè negativa*, hoc est inculpabili, & invincibili; non ergo omnibus ad eam infidelitatem vincendam datur gratia.

Respond. Aliquos Fidei articulos invincibiliter ignorari posse, quales sunt de Eucharistia, Necessitate Baptismi, &c. sed omnes prorsus ignorari, ac præsertim illum de existentia, cultuque alicujus Dei, planè negamus; cùm sine hac cognitione nihil homini supersit, quo finem suum, ad quem conditus est, valeat adipisci. Sive ergo id naturæ, sive gratiæ instinctu homines agnoscant, semper agnoscunt, & licèt modò nos lateat, quibus modis quibusque secretis spiraculis Deus etiam Barbaris lucem, & gratiam suam infundat, certum est, infundere, cùm illi nec bonitas desit, ut velit, nec Omnipotentia, ut possit. Sicut ergo nullus terræ sinus impervius Soli, quò calorem suum non mittat, & metalla, gemmasque producat; ita nullus sinus conscientiæ impervius Deo, quem gratia, & radiò veritatis non impleat; modus quidem, & ratio non patet, sed aliquando patebit, tunc videlicet, cùm, ut docet Apostolus, *Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium* 1. ad Corinth. 4. Et ipse Christus Matth. 8. *Dico autem vobis, quòd multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in Regno Cælorum.* Nec Elias credere poterat, toto Israele in Idololatriam prolapso, *septem millia virorum fuisse, qui genua Baal non curvaverant;* Nec Jonas persuasum habebat, in maxima illa civitate centum viginti millia hominum degere, qui nesciebant, quid *inter dextram, & sinistram* esset; & tamen utrumque verum fuit. Ita Sanctus Justinus Martyr. *cap. 28. Apologiæ* Socratem Philosophum non tantùm salvum, verùm etiam Martyrem esse docet, quòd unicum Deum professus morte ab Atheniensibus punitus fuerit. *Et Orat. ad Antonin. Imperat.* insigniores Philosophos, & quotquot de Gentilibus cum ratione vixerunt, Christianos appellat. Idem de Platone, Seneca, Trismegisto, alii dicunt. Sic quoque Melchisedechum, Jobum, Jetrum, aliosque Gentilium salutem obtinuisse ex Scripturis colligitur, Sanctus quoque Dionysius *cap. 3. de cælesti Hierarchia* refert, multos Gentilium Angelorum ministerio, qui eis ad salutem necessaria revelaverint, salvatos esse. Referunt quoque *Paulus Dia-*

tenus Lib. 23. *Sigebertus, & Genebrardus in Chronico ad Annum* 796. sub Constantino Sexto, & Irene Imperatoribus, cadaver Platonis cum aurea lamina ad collum, & hac inscriptione repertum esse: *Christus ex Virgine nascetur, & ego in illum credo: & tu Sol sub Constantino, & Irene Imperatoribus iterum me videbis.* Alia ergo sunt hominum, alia Dei judicia, qui ubique terrarum, & apud omnes Nationes aliquos habet, qui eum agnoscant, & colant, ejusque gratia, & beneficiis fruuntur, juxta illud Apoc. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis stantes ante thronum.* Nulla ergo gens, nullus populus, imò nulla hominum tribus, ex qua non coloniæ, & delectus in Cœlum ducantur. Planè præter omnium opinionem, ob præcedentia aliqua bona opera, quàmplurimos vitam æternam consequi, dubium non est, quàmvis adeò occultis modis, secretisque rationibus, ut humanum animum fugiant, cujus vel unicum specimen ex lib. Divin. *Insinuat. cap.* 30. in Vita S. Gertrudis, & apud Blosium in *Monili Spirituali cap.* 1. videre est, ubi: *cùm S. Virgo Gertrudis audisset in Concione, neminem posse salutem consequi, nisi saltem tantillum veræ charitatis habeat, ut ex amore Dei pœniteat, abstineatque à peccatis: & ipsa apud se cogitaret, plurimos migrare ex hac vita, qui videntur pœnitere magis timore gehennæ, quàm Dei amore; Dominus sic respondit: Quando video illos agonizantes, qui mei unquam dulciter recordati fuerunt, vel aliquid meritorij operis peregerunt, in ipso mortis confinio exhibeo eis me tam pium, amabilem, & benignum, ut ipsi ex intimis cordis medullis doleant, quod unquam me offenderint, ac per talem pœnitentiam apti redduntur ad salutem consequendam, & perire non possunt.* Dices: illa notitia, quâ Barbari cognoscunt, Deum esse; vel est naturalis, vel est supernaturalis? non naturalis, quia hæc non sufficit ad inchoandam salutem, cùm *sine fide impossibile sit Deo placere.* Non supernaturalis; quia Deum esse, cognosci naturaliter potest. Resp. eam quidem cognitionem naturalem esse, cùm, ut observat Sanctus Thomas 1. part. quæst. 2. articul. 2. ad 1. sit magis præambulum ad fidem, quàm ipsa fides; *fides enim præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam*: sed quia hujusmodi notitia, præsertim apud Barbaros, & rudes, est nimis vaga, confusa, & universalis; propterea à Deo, supplente defectum naturæ, ea per gratiæ inspirationem magis completur ad ipsum Creatorem, velut rerum humanarum principium, & bonorum, malorumque remuneratorem cognoscendum, invocandum, colendum, timendumque. Et hæc est illa fides inchoata, sine qua nemo placere Deo potest, & qua si bene aliquis utatur, ad completam quoque, & Christianam fidem perventurus est.

XIII. *Opponitur secundò*: Sanctus Augustinus sæpiùs docere videtur, homini gratiæ auxilia deesse, quibus legem, & mandata observet, nec ideo tamen culpæ immunem esse, quia volens, libensque in hujusmodi se necessitatem conjecit, indignumque gratia reddidit; sicut homicidium ebrio imputatur, quia liberum in sua causa, idemque Sanctus Thomas 3. *contra Gentes cap.* 160. *numer.* 5. & S. Bonaventura in 2. *Distinct.* 28. *art.* 1. *quæst.* 2. docere videntur.

Respond. primò: Nihil hoc cum sententia nostra pugnare: Esto enim, aliquo casu gratia careas, quia sponte impedimentum posuisti, v. g. tam longa, & obstinata inebriandi consuetudine te ipsum obligasti, ut usu in naturam verso citra gratiæ prodigium (quod Deus exhibere non tenetur) explicari, & evolvi non possis, sicque moralem quandam peccandi necessitatem incidisti; at poteras non incidere, si videlicet iis gratiis usus esses, quas toties, tamque copiosè à Deo acceperas; non ergo Deus tibi, sed tu Deo, & gratiæ defuisti; nec magis conqueri de illius bonitate, & clementia potes, quàm conqueri de amico possit, qui, isto rogante, ac prohibente, se ipsum in mare præcipitem dedit, mersusque est. Talis aliquando Augustinus fuit, qui *Lib.* 8. *Confess. cap.* 5. de se ipso hæc habet: *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa*

versa facta est libido : & dum servitur libidini, facta est consuetudo : & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Cæterùm necessitas ista, cùm sit consequens, hoc est, voluntaria, & Deo, ac gratia repugnante contracta, nec libertati quicquam, nec ipsi divinæ Bonitati obstat, quam tuemur.

Respond. Secundò : Veriùs tamen est, nullum esse, dum vivit, tam perditum, tam peccatis assuetum, cui Deus gratiam resipiscendi, abstinendique peccatis non donet; sicque nullum esse, qui vel physica, vel morali necessitate, quam consuetudo inducit, ad peccandum urgeatur. Id imprimis probant sententiæ Patrum, quos suprà laudavimus; probant etiam omnes illæ Scripturæ, quæ perditissimos, & durissimos peccatores ad pœnitentiam vocari, expectarique à Deo testantur; possunt ergo, nam si non possent, frustra vocarentur, sicut frustra vincti, claudi, fractique ad currendum vocantur: *Nolo inquit, mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat*. De omnibus etiam pessimis, & obstinatissimis loquitur, quales Idololatræ Judæi erant; quantò enim pejores, tantò magis Medico, & remediis egent, at si non daret gratiam, qua converti possint, non eorum conversionem, sed majorem damnationem vellet, sicque clementiùs faceret, eos post peccatum morte, & inferno confestim puniendo, quàm illos expectando: nam expectare ad pœnitentiam, nec tamen vires pœnitendi, abstinendique peccatis dare, quid aliud est, quàm non ad veniam, sed ad majorem damnationem pœnasque differre? Non ergo ad vitam, sed ad mortem expectat; nec istud clementia, sed severitas est. Relegantur Pharaonis, Nabuchodonosoris, ipsorumque Judæorum vulgatissima exempla; si enim istis quippe omnium pessimis, & obstinatissimis datæ vires, & gratiæ, ut pœniterent, quibus non dabitur? & si istis subventum, quis sperare non possit? nec enim credibile est, gratiam, quæ magis improbis, magisque indignis negata non est, minùs improbis, minusque indignis negatum iri? Neque ulla consuetudo opponi potest; fac enim illam in naturam, & necessitatem conversam esse; at etiam ista vinci tempore, & solertia potest, ut in Leonibus, Tigribus, Ursis, ipsisque serpentibus videre est, quæ constat, domari. *Deinde* nulla consuetudo est, quæ gratiæ non cedat; at huic comparandæ nunquam media peccatoribus desunt, oratio videlicet cùm propria, tùm aliena, ut suo loco dicetur: si jejunia peterentur; opponeres imbecillitatem: si vigiliæ, diceres, vires non esse; si peregrinatio, & solitudines; negares vacare: si corporis afflictationes; morbum obtenderes: si largitiones in pauperes; domesticos sumptus: at quæ imbecillitas, quis morbus, quæ fragilitas naturæ, quæ paupertas, aliæque causæ obstare possunt; ne petas à Deo, ne cum Augustino millies dicas: *Jubes Domine continentiam; da, quod jubes, & jube, quod vis:* jubes temperantiam, jubes mansuetudinem, jubes pietatem; *da quod jubes, & jube quod vis*. Nullus ergo peccator tam deploratus, tam durus, cui negatum sit, *facere quod possis, & petere quod non possis*, alioquin pejor erit peccatorum, quàm damnatorum conditio: isti enim, si non possunt pœnitere, at nec possunt novis peccatis damnationem, pœnasque augere, peccatores verò, ut tu dicis, & pœnitere non possunt. quia ob admissum peccatum gratia privantur, & possunt novis peccatis graviorem damnationem mereri; pejus ergo cum istis, quàm cum damnatis agitur. Verùm quidem est, commisso semel peccato dignum esse peccatorem, qui omnibus Dei auxiliis, ac beneficiis privetur; nam, & jure humano sancitum est, posse ob ingratitudinem omnem donationem revocari, at nos non quærimus, quid peccator mereatur, aut quid facere Deus possit, sed quid Deus faciat, quidque promiserit se facturum? promisit verò peccatoribus omnibus, nullo excepto, quamdiu viverent, veniam, si pœniterent, omnesque ad pœnitendum invitat; supponit ergo, id posse; nam si non possent, perinde id foret, ac homines invitare ad volandum, & volaturis præmium spondere, nec tamen alas dare; non hæc promissio, sed illusio esset, qualis in summam Veritatem, & Majestatem non cadit. Quando ergo Patres in aliquibus Peccatorum

rum necessitatem peccandi agnoscunt; vel nomine necessitatis magnam difficultatem intelligunt, ut observat Sanctus Anselmus Lib. de Concord. quæst. 3. capite 10. *Sæpissimè*, inquit, *solemus asserere, impossibile nobis esse, quod sine difficultate perficere non valemus*. Et Sanctus 3. *part. quæst. 86. articul. 1. ad 2.* explicans Augustinum: *Dicitur, non posse sanari, qui non potest facilè sanari*. Idque in Sacris Litteris frequentissimum est Hierem. 13. *vers.* 23. Matth. 10. *vers.* 25. ad Hebræos 6. *vers.* 4. Vel intelligendi sunt Patres de necessitate non absoluta, sed hypothetica, & conditionali: si enim mediis, quæ Deus præscripsit vincendis tentationibus uti nolis; non orare, non Sacramentis uti, non Verbum Dei audire, non occasionibus abstinere; quis neget, te necessariò peccaturum; at necessitas ista, cùm libera sit, & vinci possit à peccato, non excusat. Eodem modo respondendum testimoniis Augustini, quæ Jansenius agglomerat *Lib. 3. de Grat. Christi*. Ut taceam, Augustinum contra Pelagium loqui de necessitate Naturæ, quatenus gratia caret; sic enim fatemur, necessariò peccaturum, sed negamus, gratiam abesse saltem incompletam, & remotam, qua majorem, & proximam consequi possit. Audi ipsum Augustinum tam malè à Jansenio intellectum: is enim præter toties citata lib. de Grat. & Libero Arbitrio cap. 16. ita loquitur: *Certum est, nos mandata servare, si volumus; sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantùm velimus, quantùm sufficit, ut volendo faciamus.*

XIV. *Opponitur tertiò*. Sunt multi peccatores, qui nullo pudore, nullo metu, nulloque conscientiæ freno in peccata ruunt, de quibus Job. 15. *Bibunt sicut aquam iniquitatem*. Et Proverb. 2. *Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*; ergo isti saltem videntur, nulla gratia juvari, coercerique à voluntate peccandi; quod præsertim in iis peccatis verum est, quæ subitò motu iræ, aut amoris fiunt, in quibus vix conscientiæ, nedum gratiæ, locus esse videtur.

Respond. Primò: Si loquamur de justis, certum est, quoties urget præceptum, aut tentatio illud violandi, auxilium quoque sufficiens dari ad peccatum vitandum; ita enim ex Innocentii X. contra Jansenium Decreto, Synodoque Tridentina *Sess. 6. cap. 11.* constat, juxta celebrem illam S. Leonis sententiam: *Singulariter admonemur, ut dona gratiæ non negligenter habeamus; justè enim nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio*. Eleganterque expressit Sanctus Augustinus lib. de Natur. & Grat. cap. 26. *Medicus*, inquit, *cùm sanaverit hominem; jam de cætero sustentandum elementis, & alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat, atq; persistat, Deo dimittit. Ipse autem Deus, cùm ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam, justitiamq; perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut piè semper, justèq; vivatur: Sicut enim oculus corporis, etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic etiam homo, etiam perfectissimè justificatus, nisi externa luce divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere; sanat ergo Deus, non solùm ut deleat, quod peccavimus; sed ut præstet etiam, ne peccemus*. Unde cùm Patres aliquando dicunt, peccantibus Dei gratiam abfuisse, intelligendi sunt de gratia illa specialissima, & effectrice, cum qua nemo peccat, quæque per Antonomasiam, & excellentiam *gratia* vocatur. Cæterum, ut bene notat Bellarminus, ad vitandum peccatum non requiritur semper superna inspiratio, sed sufficit, vel occasionem removeri, vel objectum aliud offerri, quo voluntas distrahatur, vel terrorem incuti, vel reprimi phantasiam, ut bonum delectabile minùs vivaciter, languidèque, & velut fracto cuspide objiciat. Et hoc saltem illis verbis Apostoli probatur 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari super id, quod potestis*. In quæ verba eleganter S. Ephrem Tract. de Patientia: *Si homines suis jumentis non plùs oneris imponunt quàm ferre queant, multò minùs plùs tentationum imponet Deus hominibus, quàm ferre possint. Rursum, si figulus vasa sua igne excoquit eò usq; dum ritè coquantur, nec rursum ulteriùs ea finit in igne, ne adurantur, fiantque inutilia; multò magis idem facit Deus, ut igne tentationum eò usque nos coquat, dum perficiat, ulteriùs verò tentatio-*

tatione aduri, & consumi non sinet. Et observa, Paulum universim ad Corinthios scripsisse, quorum plurimi peccatores, & reprobi erant, omnes ad quam sortem pertinerent, ignari. Sicut ergo nullum peccatum est, non contra rationem; ita nullum non contra conscientiam, quæ nihil aliud est, quàm ratio practica dictans in particulari, quid non liceat, liceatque. Et quemadmodùm omne peccatum est contra conscientiam, & tamen aliqui, magnique peccatores vix ea percelluntur, non quòd non pulset, & moneat, sed quia confestim animum ad alia, & placentia convertunt; ea ferè ratione, qua manus, per ingentem flammam celerrimè ducta, nihil aduritur, non ignis, aut caloris defectu, sed quia pertransit: idem de gratia dicendum est. Quod etiam in Concilio Provinciali Senonensi Anno 1528. *Decreto* 15. istis verbis explicatum est: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa semper sit in promptu, nec momentum quidem præstereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuit januam, intrabit ad illum*. Ubi pro singulis momentis, quibus gratia in promptu esse dicitur, intelligendum est illud tempus, quo, & quoties præceptum, aut tentatio urget, ut suprà iisdem ferè verbis Orosius fidelissimus Augustini Discipulus exposuit. Et planè Concilii Senonensis magna authoritas est; non solùm quia Provincialis, & ex flore collecti Ecclesiæ Gallicanæ, quam in rebus ad fidem pertinentibus, & præsertim in Augustini doctrina versatissimam semper fuisse negari non potest; verùm etiam, ac præcipuè, quia cùm Episcopis ex officio pastorali incumbat, fideles sibi commissos docere, & in Christi nomine congregatis specialis Dei assistentia promissa sit, iis decernentibus longè major authoritas est, majorque fides adhibenda, quàm cuilibet cœtui privatorum, licèt alioquin præcellentium Theologorum.

Respond. Secundò: Sed quidquid de hac quæstione sit, an videlicet, quoties præceptum urget, etiam improbissimis peccatoribus gratia detur, nostri instituti haud est, id indubitanter asserere, sed solùm dicimus, nullum hominem esse, cui dum vivit, & ut loquitur Augustinus, *per mensuras temporum, per intervalla locorum*, non quàm plurima gratiæ auxilia dentur, quibus, & majorem, completamque gratiam, & ipsam quoque vitam æternam consequi possit; id enim sufficit ac Dei Bonitatem planè ostendendam in omnes effusam, nihil interim contendendo, quando, quoties, quantoque numero ea auxilia præstentur: sicut enim aliud est, Solem omnibus lucere, aliud semper lucere: ita aliud est, Deum omnibus gratiam dare, aliud semper dare; istud dubium, illud compertum, & à nobis hactenus probatum est. Et hac ratione negari non potest, etiam in obstinatissimis peccatoribus conscientiæ voces, metúsque nunquam extingui, juxta illud Isaiæ 57. *Impius quasi mare fervens, quod quiescere non potest*: Et Job. 9. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Et cap. 15. *Sonitus terroris in auribus eorum, & cùm pax sit, semper insidias suspicantur*. Et de obduratissimis Ægyptiis Sap. 17. *Sive Spiritus sibilans, aut circum densos ramos avium sonitus suavis, aut concentus aquæ euntis, aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut lascivientium animalium cursus, aut repercussa de concavitate montium Echo, dissolvebat illos*. Quod etiam Gentiles ipsi agnoverunt, quorum omnium una vox fuit: *Nihil miseriùs esse, quàm animum hominis conscium: pejorem, & maximam peccantium pœnam, peccasse: maximum sceleris in scelere supplicium esse*. Quis unquam pejor, impurior, magisque flagitiis assuetus Tiberio, & Nerone? & tamen de utrisque narrat Tacitus Annalium lib. 7. *Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur*. Et de Nerone: *Reliquo noctis modo per silentium defixus, sæpiùs pavore exurgens, & mentis inops lucem operiebatur tanquam exitium allaturam*. Si ergo ne istis quidem defuit Deus, quin per conscientiam moneret, cui rogo defuturus est? aut quos Tiberio, & Nerone pejores, magisque procul gratia reperies? Ergo quæ de conscientia opponebantur, sententiæ nostræ suffragantur potiùs, quàm noceant, cùm constet, nullos esse peccatores tam improbos, quibus à peccato coercendis Deus conscientia, velut domestico tortore,

re, non utatur, torquere verò, ut vel abstineant, vel emendent. Semper ergo verum est, quod scribit Augustinus suprà laudatus lib. de Serm. Dom. in Monte: *Nullam esse animam, quamvis perversam, quæ tamen ullo modo ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur Deus.*

XV. *Opponitur quartò:* S. Augustinus sæpe docet, gratiam non omnibus dari, ac præsertim Serm. 11. de Verb. Apost. ubi: *Communis*, inquit, *est omnibus natura, non gratia.*

Respond. Jam suprà notatum esse, Sanctum Augustinum plerumque de illa gratia loqui, quæ per antonomasiam *gratia* vocatur, hoc est, de specialissima illa, & effectrice, quæ cur non omnibus detur, duplex causa est; & indignitas creaturæ impedimentum ponentis, & arcana Dei voluntas, ut citato loco eleganter observat Augustinus circa finem: *Sed movet me, inquis, quòd ille perit, ille baptizatur; movet tanquam hominem. Si verum vis audire, & me movet. quia homo sum. Sed si tu homo, & ego homo, ambo audiamus dicentem Apostolum: ò homo, tu quis es, qui respondeas Deo? si posses loqui pecus, & dicere Deo, quare istum hominem fecisti, & me pecudem? nonne justè succenseres, & diceres: O pecus, tu quis es, qui respondeas Deo? & tu homo es, sed ad Deum pecus es.* Loquitur etiam Augustinus *de gratia immediata*, & *proxima*, non verò *remota*: sicut enim certum est, non omnes esse Christianos: ita certum est, non omnes gratiam *immediatam*, & *proximam* habere, qua sint Christiani; habent tamen gratiam illam *remotam*, *mediatam*, & *incompletam*, qua si uterentur, Christiani fierent, ut suprà ex Sancto Augustino, & Thoma ostensum est. Imò hanc gratiam universalem, & remotam nemini à Deo negari, in illo ipso Sermone docet Augustinus, qui nobis opponitur, sic enim scribit: *Adoremus eum Fratres, & prosternamur ei, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, non enim fecit, & deseris; non enim curavit facere, & non curas custodire. Ploremus ante Dominum, qui nos fecit; quia nonploravimus, quando nos fecit, & tamen fecit. Qui ergo fecit, antequàm rogaretur, deserit, cùm rogatur? utique exaudit, quos fecit, utique non potest non curare, quos fecit.* Vides ex sententia S. Augustini neminem à Deo deseri, quem fecit: sicut ergo nullus homo est, quem non fecit; ita nullus est, quem deserat, nullus, quem non custodit; à quo autem magis custodiat, quàm à gehenna? aut per quid aliud custodiat, quàm per gratiam?

XVI. *Opponitur quintò:* Exemplum parvulorum sine Baptismo decedentium, quibus constat, gratiam non dari, qua salvari possint.

Respond. Quæro ab iis, qui hæc opponunt, si concederemus, imò etiam probaremus efficaciter, parvulis sufficientem gratiam à Deo dari, applicarique; an non continuò acquiescerent, crederentque, nihil ampliùs in causa parvulorum exigi à Deo posse, multoque minùs illius misericordiæ litem moveri? at nos dicimus exhiberi parvulis, si non gratiam sufficientem, qua vitam æternam consequi possint, exhiberi tamen beneficium longè præstantius, quodque infinitis partibus ipsam gratiam sufficientem antecellat: eo enim beneficio priùs è medio tolluntur, quàm peccatis se obstringant; & non damnantur, & innocentiam personalem, quæ scilicet peccatis actualibus opponitur, illibatam conservant, & in eum statum bonorum naturalium transferuntur, quem paragrapho primo ex Angelico Doctore descripsimus. Ergo, ut jam latè suprà ostensum, certum est, etiam in parvulos maximam Dei misericordiam elucere; quamvis enim Dei visione, æternaque gloria priventur, at præservantur, ne peccent, hoc est, ne Deum ipsi offendant, ne jacturam innocentiæ faciant, ne perpetuis ignibus crucientur, quæ omnia, & maxima beneficia esse, & cœlesti gloriæ certa ratione præferri, & consequenter ad Christi merita, & Redemptionem pertinere, jam suprà ostendimus. Quòd si *dicas*, Sanctum Augustinum, quoties causa parvulorum contra Pelagianos ageretur, nunquam hoc modo philosophatum esse, sed semper ad secretam, & inscrutabilem Dei voluntatem confugisse: *respondeo*, jure merito id ab Augustino factum: cùm enim vellet Pelagius gratiam; & salutem æternam iis dari, qui viribus natu-

naturæ, & arbitrii eam vellent, non dari, qui nollent: Augustinus exemplo parvulorum id efficaciter refellit; parvuli enim arbitrio uti non possunt, cur ergo Baptismum non accipiunt, nisi quia noluit Deus? & hoc ad occulta ejus judicia pertinet, sufficitque refutando Pelagio. Alia verò, quæ dici de hac causa parvulorum possunt, nec ad institutum Augustini pertinebant, nec voluit ipse aliis libertatem adimere, ea omnia dicendi, quæ deinceps opportuna viderentur: quamvis enim nemo meliùs de gratia, & contra Pelagium Augustino scripserit, non scripsit tamen omnia, quippe haud necessaria, Calvino necdum exorto, & hominis arbitrium, Deique bonitatem impugnante: aliis nunc armis opus est, alio hoste, belloque instantibus; & ipse Augustinus non contraria quidem iis, quæ scripsit, sed alia diceret, sicut olim cum Pelagio, ita modo cùm Calvino, & Jansenio signa conferret: quid ergo mali est, si modò id facimus, quod faceret Augustinus, imò quod fecit, quando non contra Pelagium, & pro Gratia, sed contra Manichæos, & pro libertate pugnaverat?

XVII. *Opponitur sextò*: Docebant Pelagiani, Deum velle omnes omnino, nulloque excepto, salvos fieri, ideo verò non omnes salvos esse, quia non omnes volunt: *ideo non omnes ad agnitionem veritatis venire, quia nolunt petere, cùm Deus velit dare; nolunt quærere, cùm Deus velit ostendere, nolunt pulsare, cum Deus velit aperire.* Quibus Augustinus *Lib. 4. contra Julianum cap. 8.* respondet *primò*: ea verba, *vult omnes salvos fieri*, explicanda esse hoc modo: *vult multos salvos fieri*: *Deinde*, falsum esse, ideo non omnes salvari, quia nolunt, cùm de parvulis, qui sine Baptismo decedunt, id dici non possit. Falsum quoque esse, vitam æternam dari iis, qui petunt, qui pulsant, qui quærunt; cùm parvuli Baptismo tincti nec petant, nec pulsent, nec quærant, & tamen æternam vitam consequantur. Ergo ex sententia Augustini falsum est, omnibus gratiam dari, & & qui gratia carent, ideo carere, quia nolunt accipere, Deoque dare volenti resistunt.

Respond. Sententiam illam Apostoli quod attinet, qua ratione, & quàm universaliter intelligenda sit, jam suprà ex Augustino, ejusque Discipulis ostensum est; ubi etiam advertimus, aliter illam, aliterque ab Augustino expositam fuisse, utcumque opportuniùs videbatur Pelagianis confutandis; patiantur ergo, qui hæc opponunt, suorum verborum Augustinum interpretem esse. Tam multos quoque æternùm perire, quia ipsi volunt, Deo licèt ne pereant omnia moliente, jam quoque ex eodem Augustino, ejusque præcipuis Discipulis probatum est, quorum sunt frequentissimæ voces: *Misericordia ejus prævenit nos, sed vocationi dissentire propriæ voluntatis est. Hoc sibi imputatur ad culpam, quòd sanare volentem contemnit: ad Cœnam Evangelicam omnes vocati sunt, sed qui venire noluerunt, tribuere sibi debent, quoniam ut venirent, in eorum potestate erat, &c.* Hæc, inquam apud Augustinum, ejusque Discipulos Prosperum, Fulgentium, Orosium, Anselmum, Thomam frequentissima sunt, ut de illorum mente dubitare non liceat; ideo videlicet reprobos perire, quia sic volunt, Deo salutem omnium volente, & ideo gratiam omnibus dante. Neque Augustinus loco citato contrarium docet; Negat enim id solum, quod Pelagiani asserebant; asserebant verò hominem viribus naturæ, propriæque voluntatis petere, pulsare, quærere, velle, & sic à Deo, & gratiam, & gloriam obtinere, quod meritò Augustinus rejicit, refutatque exemplo infantum, qui nec velle, nec petere, nec pulsare possunt, imò potiùs Baptismo repugnant, & tamen accipiunt, & salvantur. Hanc esse verissimam Augustini mentem, patet ex ejus verbis, quæ loco citato præmiserat, videlicet; *Calumniaris, me dicere; nihil studii expectari ab humana voluntate debere contra illud Evangelicum, quo ait Dominus: petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Ibi enim vos, ut video, ponere jam cepistis merita gratiam præcedentia, quod est petere, quærere, pulsare, ut his meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter nuncupetur, tanquam gratia nulla præcesserit; & cor tetigerit, ut beatificum bonum peteretur à Deo.* Vides, quid dixerit Pelagius, & conse-

quen-

quenter quid refutaverit Augustinus. Pelagius dixerat, ideo hominem salvari, aut non salvari; quia in ejus potestate, liberoque arbitrio est, velle, aut nolle; orare, vel non orare; pulsare, vel non pulsare &c. & ideo iis gratiam dari, qui volendo meruerunt, non dari, qui nolendo demeruerunt; quæ planè falsissima sunt, & meritò ab Augustino, omnibusque Catholicis damnata; nemini enim priùs merenti gratia datur, cum ipsa sit principium meriti, & quamplurimis non merentibus data sit, ut in Paulo, Magdalena, Gentilibus, aliisque patuit. Ergo, ut semel omnia dicamus; sciendum est, in hac Prædestinationis, & gratiæ causa, neminem cum Augustini sententia pugnare, nisi eum solum, qui ita defendit gratiam, ut neget liberum arbitrium, ita defendit arbitrium, ut neget gratiam, reliqua, quæcumque salva libertate, & gratia, Deique in omnes misericordia dicuntur, Augustino paria sunt. Ita Augustinus, ipse profitetur Tractat. 53. in capit. 12. Ioann. ubi: *Si quis autem istam quæstionem liquidiùs: & meliùs novit, se posse, & confidit exponere, absit, ut non sim paratior discere, quàm docere; tantùm ne audeat quisquam liberum arbitrium sic defendere, ut nobis orationem conetur auferre: rursus ne quisquam neget voluntatis arbitrium, ut audeat excusare peccatum, sed audiamus Dominum & præcipientem, quid facere debeamus, & adjuvantem, ut implere possimus.* Mirùm ergo fuerit, aliquos inveniri, qui plura opinionibus suis tribui velint, quam Augustinus voluerit sibi. Notand. quoque, ad eruendam veram Augustini sententiam, Sanctorum Bonaventuræ, & Thomæ præclara verba, Nam ille in Breviloqu. part. 3. capit. 5. *Non debetur parvulis pœna sensus: Hoc credendum est, sensisse S. Augustinum, licet verba ipsius exterius propter detestationem erroris Pelagianorum aliter sentire videantur, ut eos reduceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum, plus dicens, & minus volens intelligi.* Et Sanctus Thomas quæstio. 5. de malo artic. 2. ad 1. *Sancti tali modo loquendi usi sunt; ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant, in parvulis nullum peccatum esse.* Et in cap. 1. Ioan. Lect. 7. *Antiqui Doctores, & Sancti emergentes errores circa fidem ita persecuti sunt ut interdum viderentur in errores labi contrarios; sicut Augustinus contra Manichæos, qui destruebant libertatem arbitrii, taliter disputat, quòd in hæresim Pelagii videatur incidisse.*

XVIII. *Opponitur Septimò*: Quando Sanctus Augustinus, Thomas, aliique Patrum docent, omnibus hominibus gratiam dari, intelligendum id esse, non quòd re ipsa omnibus detur, sed quod omnibus præparata sit: pro omnibus, inquiunt, instituit Sacramenta, pro omnibus passus est, sed non omnibus gratiam Sacramentorum, & Passionis suæ applicat; sicut Medicus, qui Apothecam aperiat, omni remediorum genere instructam; dicitur omnium salutem velle, quamvis ea remedia non omnibus adhibeat.

Resp. Ita quidem aliqui philosophantur, sed pace illorum dixerim tam procul à Scripturarum, Patrumque sententia, ut nihil magis. Verba S. Augustini, eiusque Discipulorum Prosperi, Orosii Fulgentii, Thomæ sunt ista: *Deum neminem deserere, quem fecit: nullam esse animam tam perversam, in cuius corde non loquatur Deus: nulli hominum negatum esse, quærere utiliter, quod inutiliter ignorat: non permisisse Deum, ut ullus Mortalium excusare se posset de umbra mortis: nulli pereuntium excusationem superesse de abnegato lumine veritatis: in extremis Mundi partibus illis Nationibus, quibus nondum illuxit gratia Salvatoris, illam mensuram generalis auxilii, quæ omnibus hominibus est præstita, non esse negatam: universis, atque innumeris modis velle Deum, ut omnes homines salvi fiant, sed qui salvantur, Dei auxilio dirigi, qui non veniunt, sua pertinacia reluctari: cunctis retro sæculis gratiam Dei, sive occultè, sive manifestè, omnibus adfuisse: Deum non solùm in corpore suo, quod est Ecclesia, verumetiam universis in hoc Mundo gentibus adjutorium gratiæ suæ quotidie, per dies, per momenta, & cunctis, & singulis ministrare: evidentissimum esse, nemini hominum deesse adjutorium Dei: gratiam nulli deesse, sed omnibus communicari: Deum, quantùm in se est, omnibus ad trahendum manum porrigere: si homines non trahuntur, non esse defectum*

ex parte trahentis Dei, qui, quantùm in ſe eſt, nulli deficit, ſed impedimentum ex parte illius eſſe, qui non trahitur. Hæ ſunt Patrum ſententiæ, & verba, quæ an intelligi poſſint de gratia, quæ actu ipſo non tribuitur, tam clarum eſt, ut nec à me, nec ab aliis dici aliquid clariùs poſſit, & qui aliter interpretantur, planè oleum, & operam perdunt. Paria ſunt illa Scripturæ: *Deus omnium miſeretur, quia eſt Dominus omnium: omnes peccatores ad nuptias vocat: dives in omnes: illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Nec verò, ut aliqui comminiſcuntur, hæc ultima verba: *illuminat omnem hominem*, intelligi poſſunt, aut de lumine *cognitionis naturalis*, cùm Ioannes de illo lumine loquatur, quod Chriſtus ſua Incarnatione nobis meruit, quale non eſt lumen naturale, nec etiam intelligi poſſunt de aliquibus tantùm, ſive, ut loquuntur, de generibus ſingulorum; ea enim verba; *omnem hominem venientem in hunc Mundum*, oſtendunt, nullum penitùs excludi: Nec etiam dici poteſt, Deum præparare quidem omnibus lucem gratiæ, ſed non omnibus dare; aliud enim eſt lumen præparare, aliud illuminare; non verò dicit Joannes: *Qui præparat lumen omnibus venientibus in hunc Mundum*: in quæ verba planè ad rem noſtram Angelicus Doctor: *Verbum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quantùm de ſe eſt, quia ex parte ſua nulli deeſt; imò vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quòd ſi aliquis non illuminatur, ex parte hominis eſt, avertentis ſe à lumine illuminante*. Quid clariùs dici poſſit? Quòd ſi aliquando negat S. Thomas, quibuſdam auxilium gratiæ neceſſarium dari, ut videre eſt *2. 2. quæſt. 2. art. 5. ad 1.* intelligendus eſt, ut ſuprà oſtendimus, vel quòd ſubinde, non verò ſemper, totoque vitæ tempore negetur: vel de auxilio gratiæ proximo ad aliquid faciendum, non verò de remoto, & incompleto, quo ſi utaris, reliqua etiam neceſſaria adjungentur, ut idem Angelicus à nobis citatus docet de Cornelio Centurione, & de Barbaro in ſilvis educato. Rurſus illa Scripturæ verba, quæ toties de peccatoribus etiam obduratiſſimis repetuntur, videlicet: *Deum ſtare ad oſtium, pulſare, intraturum, ſi quis aperiat; vocare, tota die manus extendere ad populum contradicentem, & reſiſtentem*, hæc, inquam, omnia clariſſimè oſtendunt actum, curamque ipſam Dei, circa peccatores laborantis. Audi Scripturam ipſam, & judica: Paralip. 2. cap. 36. *Mittebat autem Dominus Deus ad illos per manum Nuntiorum ſuorum de nocte conſurgens, & quotidie commonens, eò quòd parceret populo: at illi ſubſannabant Nuntios Dei, & parvipendebant ſermones ejus, illudebantque Prophetis, donec aſcenderet furor Domini in Populum, & eſſet nulla curatio*. Nec obſtat huic Patrum, & Scripturarum ſententiæ ſimilitudo illa Medici, omnibus remedia præparantis, ſed non omnibus applicantis: Id enim potiùs ad rem noſtram facit: Si enim Medicus remedia ſua manu, & arte confecta, ita cuſtodiat, ſeriſque claudat, ut nemo accipere poſſit, niſi eo dante, ipſe verò firmiſſimum propoſitum habeat dandi aliquibus tantùm, non verò omnibus, nemo dixerit, Medicum re ipſa, ſerióque omnibus remedia paraſſe, quæ applicari non poſſint, niſi illo volente, & dante, ipſe verò non velit omnibus dare. Idem de Deo dicas: Cùm enim nemo ſalvus eſſe poſſit, nemo gratiam accipere, niſi eo volente, ac dante; ipſe verò noluerit omnibus dare; imò, ut tu dicis, voluntate efficaci, æterna, inſuperabili, omnemque culpam etiam prævisam antecedente, aliquos excluſerit; qua ratione dici poteſt, iis, quos ſic excluſit, ſeriò, verèque vitam æternam, & gratiam præparaſſe?

X I X. *Opponitur Octavò:* S. Paulus ad Rom. 10. hæc habet: *Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit: quomodò autem invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Quibus verbis inſinuat Apoſtolus, ſalvari neminem poſſe, niſi qui credat, neminem credere, niſi qui Evangelium audiat; atqui certum eſt, quàmplurimas Nationes fuiſſe, quibus Evangelium annuntiatum diu non fuit, & nondum eſt: illi ergo gratiâ caruerunt, quæ ſalvarentur; nam ſi credere, & ſalvari poterant citra prædicationem, ergo falſa eſt Apoſtoli ratiocinatio.

Reſp. Apoſtolum loqui de fide explicitæ

in

in Christum, quam certum est, ordinario modo, nisi prædicatione Evangelii haberi non posse. Cæterùm sine hac fide explicita in Christum, quàmplurimos ante illius adventum per solam gratiam, qua legem naturæ observabant, &, si eam transgressi erant, de Deo omnium Creatore, & Provisore offenso dolebant, salutem adeptos esse, dubium nullum est. Ita enim Apostolus testatur ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia remunerator est*. Vides, nullam fieri Incarnationis mentionem, solamque ad æternam vitam cognitionem existentis, & providentis Dei sufficere. Post promulgatum verò Evangelium, an fides explicita in Christum omninò necessaria sit, disputant Theologi; si tamen admittamus necessariam esse, dicendum est cum Angelico Doctore, omnibus hominibus, etiam incultissimis, ac planè barbaris auxilium gratiæ dari, quo legem naturalem observent, qua observata, & nisi obicem ponant, Deum curaturum, ut eis quoque Evangelium innotescat, ut de Sibillis, Cornelio, Eunucho Candacis Reginæ, & Platone Philosopho constat. Verba Sancti Doctoris sunt ad Rom. 10. Lect. 3. *Nunquid illi, ad quos fama prædicationis non pervenit, utpote si fuerint nutriti in sylvis, excusationem habent de peccato infidelitatis? Ad hoc dicendum est, quòd secundùm sententiam Domini Joann. 17. illi, qui loquentem Dominum per se, vel per ejus discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis, non tamen justificantur ab aliis peccatis, quæ vel nascendo contraxerunt, vel male vivendo addiderunt, & pro his meritò damnantur. Si qui tamen eorum fecissent, quod in se est, Dominus eis secundùm suam Misericordiam providisset, mittendo eis prædicatorem Fidei, sicut Petrum Cornelio, & Paulum Macedonibus. Sed tamen hoc ipso, quod aliqui faciunt, quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est, movente corda ipsorum ad Deum*. Et 2. 2. quæst. 2. artic. 7. ad 3. *Multis Gentilium facta fuit revelatio de Christo, ut patet per ea, quæ prædixerunt. Sibylla etiam prænuntiavit quædam de Christo, ut Augustinus dicit lib. 13. contra Faustum cap. 15. Invenitur etiam in Historiis Romanorum, quòd tempore Constantini Augusti, inventum fuit quoddam sepulchrum, in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat: Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum. Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris; quia, etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen implicitam in divina Providentia, credentes, Deum esse liberatorem hominum secundùm modos sibi placitos, & secundùm quod aliquibus veritatem cognoscentibus Spiritus revelasset, secundùm illud Job. 35. Qui docet nos super jumenta terræ.*

XX. *Opponitur Nonò:* Quibusdam obstinatissimis peccatoribus, & quorum sperari ampliùs correctio non potest, subducitur custodia Angelica, juxta illud Isaiæ 5. *Auferam sepem ejus, & erit in direptionem*. Et Jerem. 51. *Curavimus Babilonem, & non est curata, derelinquamus eam*. Ubi Glossa: *Sicut Medici sub magno Medico Angeli Dei sunt, volentes animas nostras à vitiis curare, quos ipsi repellimus, dum consiliis eorum non acquiescimus: qui videntes se perdere operam, ad invicem dicunt: relinquamus eam: adjutoria, & medicamenta adhibuimus, contumax est, non vult observare, quod dicimus, studium nostrum non sequitur effectus, abeamus unusquisque in terram suam*. Refertque Josephus *Lib. 7. Belli Judaici cap. 12.* Romanis Jerosolymam obsidentibus, Templi ingentem portam sponte, improvisoque patuisse, auditasque è Sanctuario Tutelarium voces se invicem adhortantium: *Migremus hinc*. Et de Iuliano Apostata narrat in ejus vita Ammianus Marcellinus, pridie certaminis, quo cœlesti manu interfectus est, noctu in regio tabernaculo vigilanti, & incertam imminentis pugnæ aleam volventi, Gentium tutelarem tristi vultu adstitisse, dixisseque: *Aliquoties tanquam repudiatus abscessi, & jam tecum diutiùs non habitabo*. Sublata verò custodia Angelica, consequens est, gratiam quoque sufficientem cessare, cùm, juxta receptam S. Thomæ doctrinam, *Homo nihil operari possit circa suam salutem sine auxilio divino, quod homini exhibetur, mediante ministerio Angelorum*. Quod etiam

repetit 1. *p*. *q*. 113. *a*. 1: *ad* 3. Quò etiam facit Sancti Augustini, aliorumque Patrum sententiæ, docentium: Deum, qui omnia facit in numero, pondere, & mensura, singulis quoque peccatoribus certam mensuram, & temporum spatia præfixisse, quibus juvare illos, & sustinere velit. ea vero completa, cessare Dei gratiam, & misericordiam, ac peccatores suis desideriis relinqui, quæ omnium maxima castigatio est, juxta illud Prophetæ Amos 1. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum: & super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor non convertam illum: super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non convertam illum.* Et Eccles. cap. 7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexit.* Et Augustinus: *Illud sentire nos convenit, unumquemque à Dei patientia tamdiu sustineri, quamdiu nondum suorum peccatorum terminum, finemque complevit, quo consummato, eum illico perenti, nec ullam ei veniam reservari.* Libr. de Vita Christiana capit. 3. Et Libr. de Nat. & Grat. capit. 67. *Illa est peccati pœna justissima, ut qui rectum facere, cùm posset, noluit, amittat posse, cùm velit.* Dantur ergo aliqui peccatores, quibus in pœnam præcedentium criminum, & Angelorum custodia, & omne auxilium bene agendi, pœnitendique subtrahitur.

Resp. Quamvis hæc omnia concederentur, nihil propterea contra sententiam nostram inferri posse; nam ut suprà quoque observatum est, non quærimus modò, an peccatoribus semper, & ubique gratia pœnitendi tribuatur, sed tantùm illud contendimus, nullum etiam perditissimum esse, cui opportunè, & per aliqua temporum intervalla, certaique occasiones non gratia copiosè tribuatur, qua salvari possit, adeò, ut si non salvetur, tota peccatoris culpa fit, oblatas affatim gratias respuentis.

Cæterum præter hoc ne illa quidem admittimus, quæ in objectione asseruntur: Negamus enim aliquem peccatorem esse tam magnum, qui dum vivit, ab Angelo suo Custode deseratur. Hæc Angelici Doctoris expressa sententia est, nam part. 1. quæst. 113. art. 6. *Custodia*, inquit, *Angeli est quædam executio divinæ Providentiæ circa homines facta. Manifestum est autem, quòd nec homo, nec res aliqua totaliter divinæ Providentiæ subtrahitur; in quantùm enim aliquid participat de esse, in tantùm subditur universali Providentiæ Entium. Sed in tantùm Deus secundùm ordinem suæ Providentiæ dicitur hominem derelinquere, in quantùm permittit illum pati aliquem defectum, vel pœnæ, vel culpæ. Similiter etiam dicendum est, quòd Angelus Custos nunquam totaliter dimittit hominem, sed ad aliquid interdum eum dimittit, prout scilicet non impedit, quin subdatur alieni tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum secundùm ordinem divinorum judiciorum. Et secundùm hoc Babilon, & Domus Israel ab Angelis derelictæ dicuntur, quia Angeli earum Custodes non impediverunt, quin tribulationibus subderentur.* Et artic. 4. *Homo in statu vitæ constitutus est quasi in quadam via, qua debet tendere ad patriam: in qua quidem via multa pericula homini imminent, tum ab interiori, tum ab exteriori, juxta illud Psalmi: In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi: & ideo sicut hominibus per viam non tutam ambulantibus dantur custodes, ita & cuilibet homini, quamdiu viator est, Custos Angelus deputatur. Quando autem jam ad terminum viæ pervenerit; jam non habebit Angelum Custodem, sed habebit in Regno Angelum conregnantem, in inferno dæmonem punientem.* Et ibidem ad 3. *Sicut præsciti & infideles, & etiam AntiChristus non privantur interiori auxilio naturalis rationis; ita etiam non privantur exteriori auxilio toti naturæ humanæ divinitùs concesso, scilicet custodia Angelorum; per quam etsi non juventur, quantum ad hoc, quod vitam æternam bonis operibus mereantur; juvantur tamen quantum ad hoc, quòd ab aliquibus malis retrahantur, quibus sibi ipsis, & aliis nocere possent. Nam & ipsi Dæmones arcentur per bonos Angelos, ne noceant, quantùm volunt: & similiter Antichristus non tantum nocebit, quantùm vellet.* Vides ex mente Sancti Doctoris homini, quamdiu viator est, dum videlicet vivit, imò etiam ipsi AntiChristo (quem verò AntiChristo

pejorem reperies?) nunquam Angelicam custodiam deesse, idque jure merito; Si enim, ut idem Angelicus observat art. 6. *Dæmones non semper impugnant juxta illud Apostoli: Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem deveret; ergo multò magis boni Angeli semper nos custodiunt.* Accedit, Angelos ad custodiam hominibus dari, non quia justis, non quia fidelibus (alioquin nulli peccatorum, nullique infidelium darentur) sed quia ad imaginem Dei factis, quia Viatoribus, & cœlesti patrocinio, ac tutela indigentibus, ob imbecillitatem naturæ, insidiasque Dœmonum, & mille alia pericula, quæ viventibus occurrunt. Hæ verò rationes in quolibet etiam obstinato peccatore locum habent, & ideo custodia Angelica ad communem Providentiam, & communia beneficia pertinet, quæ nulli hominum negantur, juxta illud Matthæi 5. *Qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos.* Quam rationem eleganter quoque insinuat Angelicus Doctor 1. parte quæst. 113. artic. 1. ad 5. ubi: *Secundùm rationem divinæ Providentiæ hoc in rebus omnibus invenitur, quòd mobilia, & variabilia per immobilia, & invariabilia moventur, & regulantur, sicut corpora inferiora per superiora, & omnia corporalia per substantias spirituales, quæ sunt invariabilia secundùm substantiam. Sed, & nos ipsi regulamur circa Conclusiones, in quibus possumus diversimodè opinari per principia, quæ invariabiliter tenemus. Manifestum est autem, quòd in rebus agendis cognitio, & affectus hominibus multipliciter variari, & deficere possunt à bono, & ideo necessarium fuit, quod hominibus Angeli ad custodiam deputarentur, per quos regularentur, & moverentur ad bonum . . . . . . Beneficia enim, quæ dantur homini divinitùs, ex eo, quod est Christianus, incipiunt à tempore Baptismi, sicut perceptio Eucharistiæ, & alia hujusmodi. Sed ea, quæ providentur homini, in quantùm habet naturam rationalem, tunc ei exhibentur, quando nascendo talem naturam accipit, & tale beneficium est custodia Angelorum.* Ad illa verò, quæ de Angelis, qui Babilonem, Jerosolymam, & Julianum Imperatorem deseruerunt, jam respondit idem Angelicus, ut modò audivimus. Ubi observandum quoque est, illam ipsam comminationem deserendi novum Angeli tutelaris beneficium esse, quo peccatores, tanto malo prænuntiato, ad pœnitendum validissimè incitantur, nam, ut benè scripsit Augustinus: *Non vult ferire, qui dicit cave.* Et Chrysostomus Hom. 1. de Pœnit. *Cujus rei causa, quæ facturus est mala, prædicit? ut non faciat.* Nec verò admittendum est, quod Gonetus docuit, videlicet: *Angelos quamvis in Infidelibus non excitent supernaturales illustrationes juvantes ad opera conducentia ad salutem, juvare tamen ad bona aliqua opera moralia, & pauciora committenda peccata, ut mitiùs in Inferno puniantur:* Si enim velit Gonetus, sæpe peccatores Angelicis illustrationibus obicem ponere, ut effectum principalem, æternam videlicet gloriam, non consequantur, id verissimum est, docetque Sanctus Thomas paulò ante laudatus *articul.* 4. *ad* 3. Si verò censeat, cessare Angelos ab illustrationibus saluti nostræ necessariis, falsissimum est; sic enim officio suo principali deessent, cùm ideo dati sint, ut hominem à peccato custodiant, promòveantque ad gloriam æternam, juxta illud ad Hebræos 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus propter eos, qui hæreditatèm capiunt salutis.* Sicut ergo deesset officio Tutor, qui clientis sui agros, & facultates quidem curaret, sed graviter ægrotanti necessaria ad vitam tuendam, fugiendamque mortem non provideret; cùm Tutor præcipuè detur non rebus, sed personæ; ita deesset Angelus tutelaris præcipui officii sui partibus; si omitteret ea inspirare, quæ ad vitandam animæ mortem, hoc est, peccatum, obtinendamque vitam æternam necessaria sunt: quod si inspirat, nec clientes obediunt, istorum culpa, non Angeli defectus est. Quanquam nemo tam perversus, qui non in aliquibus saltem Angelo inspiranti obtemperet, qualia sunt, quæ minùs passioni, & cupiditati repugnant; ut si homicidio impudicus abstineat, Sacrumque audiat, & ideo experimur etiam projectissimos peccatores faciliùs Ecclesiæ præcepta, quàm Dei observare, nam qui odio, & adulterio abstinere non vult, abstinet tamen comedendis sabbatho carnibus, non quòd hoc meliùs,

sed quod minùs cupiditati adversum, observatuque faciliùs. Semper ergo Angelorum custodia etiam in maximis, & obstinatissimis peccatoribus proficua est, & ideo nunquam cessat. Vide Sanctum Doctorem *quæstione citata art. 4. ad 3.*

Id verò, quod de certa peccatorum mensura dicitur, explicatione opus habet. Si enim sensus sit, Deum, qui omnibus creaturarum, ac præsertim hominum, actionibus certum numerum, tempusque præscripsit, decrevisse tanto, & non majori tempore, peccatorem ad pœnitentiam expectare, quo elapso cum morte, aliove casu, juxta communem cursum, nexumque causarum naturalium subitò percutiat, ut pœnitere ampliùs non possit; id verissimum est, & negari à nemine potest, & hoc duntaxat probant, quæ in contrarium adducuntur, idque sufficit planè ad peccatores quoscumque terrendos, cùm quantò diutiùs peccato inhærent, tantò viciniores termino sint, quem Deus aliis longiorem, aliis breviorem præfixit, omnibus incertum, & brevi finiendum: qui ergo non timeant, cùm non ignorent, omne momentum posse ultimum, & decretorium esse? Ita Theodoretus super illa Danielis verba: *Appensus es in statera*: ubi: *Docet per hæc verba Propheta, nihil esse, quod apud Deum non ponderetur, quin etiam divinam misericordiam, ac diutinam lenitatem mensura quadam, & pondere hominibus adhiberi; Quando ergo transgressus es*, inquit, *clementiæ fines, accipe divinam sententiam*. Et Sanctus Augustinus Sermone 31. de Verb. Dom. *Eja arbor infructuosa, non jam irrideas, quia parcitur tibi, dilata est securis, noli esse secura, veniet, & amputaberis*: Et Sanctus Gregorius Lib. 25. Mor. cap. 3. *Subitò tollitur, qui diu toleratur*. Si verò sensus objectionis sit, Deum aliqam, certamque mensuram peccatorum statuisse, qua impleta, etiam viventi, & ratione utenti omne auxilium, gratiamque etiam sufficientem subtrahat, qua pœnitere, & divina præcepta implere possit; hoc enim verò negamus, quippe contrarium tot illis Dei pollicitationibus, quibus omne genus peccatorum ad spem, & pœnitentiam hortatur, & veniam promittit, quamdiu vivit. *Deinde* quæro ex te, quid intelligas nomine illius certæ mensuræ peccatis assignatæ? aut enim intelligis, aliqua esse peccata tam gravia, ut, ijs admissis, continuò peccator omni auxilio, & facultate pœnitendi spolietur? at id falsissimum est; constat enim nullum esse peccatum tam grave, cui Deus veniam non polliceatur, & consequenter gratiam pœnitendi; nam hoc negare idem esset, quod veniam negare, quæ sine pœnitentia haberi non potest: *si fuerint*, inquit, *peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra sicut vermiculus; sicut lana alba erunt* Isajæ 1. vers. 18. Et quod majus peccatum odio Dei, Idololatria, ipsoque Deicidio? & tamen, ut in Judæis patet, ista quoque misericordiam, & veniam adepta sunt. Aut intelligis, omnibus peccatoribus certum peccatorum numerum præscriptum esse, quo expleto, quamdiù vivunt, nullum ampliùs veniæ locum dari? at quæ major series peccatorum excogitari potest, quàm quæ profertur, duratque usque ad mortem? & tamen tunc quoque sperandum est, ut in S. Latrone ostensum, de quo celebre illud Augustini: *Unus est, ne desperes, unicus est, ne præsumas*. Et illud non minùs celebre Chrysostomi (hominis alioquin austeræ sanctitatis) contra Novatianos: *Etsi millies peccaveris, & pœnitentiam egeris, Ecclesiam ingredere*. Singulare quoque exemplum Manassis est, usque in ultimam senectutem Deo rebellis, de cujus peccatis, & pœnitentia hæc leguntur 4. Reg. 21. & 2. Paralip. 33. *Duodecim annorum erat Manasses, cùm regnare cepisset, & quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem, fecitq; malum in conspectu Domini, juxta idola Gentium, & erexit aras Baal, & adoravit omnem Militiam Cæli, & coluit eam, & extruxit aras in Domo Domini, & altaria universæ militiæ Cæli in duobus atriis Templi Domini, & traduxit filium suum per ignem, & ariolatus est, & observavit auguria, & fecit Pythones, & aruspices multiplicavit, ut irritaret Dominum. Posuit quoq; Idolum luci in Templo Domini, & seduxit Israel, ut faceret malum super Gentes, quas contrivit Dominus, & fecit abominationes pessimas super omnia, quæ fecerunt Amorrhæi: insuper*,

& sanguinem innoxium fudit multum nimis, donec impleret Jerusalem usq; ad os.... Idcirco super induxis eis Dominus exercitum Regis Assyriorum, ceperuntq; Manassen, qui, postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo, deprecatusq; est eum, & obsecravit intentè, & exandivit orationem ejus, reduxitq; in Regnum suum.

Ergo nullum peccatum est, aut gravitate tam magnum, aut tempore tam diuturnum, cui exemplo Manassis venia sperari non possit. *Vel deniq;* per mensuram illam peccatorum intelligis non omnes quidem, sed aliquos tantùm peccatores esse, quibus certo numero expleto quamvis viventibus, & ratione præditis omnis ad conversionem gratia subtrahatur? Dico ratione præditis, nam si aut morbo, aliove, & improviso casu, videlicet vulnere, naufragio, præcipitio aliqui Deo cursum naturæ non impediente, ita occupentur, ut mentem ad Deum, & quæ animam spectant, elevare non possint, certum est, istis quippe impotentibus nullam gratiam pœnitendi suppetere. Extra, inquam, hunc casum falsum est, alicui peccatorum viventi, suæque rationis compoti omnem gratiam subduci, qua converti ad Deum possit: Id enim *repugnat* Scripturæ, omnes omnino peccatores, dum vivunt, ad pœnitentiam, & veniam invitantis, nullumque excludentis; at excluderet, si Deus auxilia necessaria negaret; paria enim sunt veniam negare, & negare auxilia sine quibus obtineri venia non potest. *Repugnat* Augustino, cujus, ut suprà vidimus, sententia est: *Nullam esse Animam tam perversam, modò ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur Deus, nullumq; esse tam reprobum, tam cæcum, qui à Dei gratia, dum in hac vita est, penitùs excludatur.* Repugnat experientiæ: quis enim pejor, obduratior, veniaque indignior Anti-Christo, Pharaone, iisque impœnitentibus, de quibus Apostolus: *Thesaurizant sibi iram in die iræ*, at nemo istorum à Deo ita penitus desertus est, ut pœnitere non posset. De Anti-Chisto jam audivimus ex S. Doctore, neque illi Angelicam custodiam defuturam, ergo neque sanctas illuminationes, ob quas potissimùm Angeli destinantur, ut suprà ostensum. De Pharaone constat, aliquando pœnituisse (licèt posteà reciderit) quod sine gratia fieri non potuit. Verba ipsius sunt Exodi 27. *Peccavi etiam nunc, Dominus justus, ego, & populus meus impii.* In quæ verba Sanctus Augustinus lib. de Prædest. & Grat. cap. 14. De cujus Libri dubia auctoritate jam alibi dictum est: *Si pie de Deo sentiamus, etiam Pharaoni non denegavit misericordiam suam; nunquid enim non potuit sicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens Deum sanctæ virtutis agnoscere?*

De obduratissimis verò, & impœnitentibus Judæis, de quibus Apostolus dixerat ad Rom. 2. *Secundùm duritiam, & impœnitens cor thesaurizas sibi iram in die iræ*, præmiserat paulò ante: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, & ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Et cap 10. *Ad Israel autem dicit: tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Quibus ergo credendus est Deus gratiam, & misericordiam negare, quam non Anti-Christo, non Pharaoni, non perfidissimis Judæis negat? Ut taceam, nullam rationem esse, ob quam hos fines divinæ Misericordiæ statuamus: Cur enim id Deus velit? ut peccatoris malitiam puniat? at satis punita est, si vel morte repentina percutiat, vel eo morbo tolli permittat, quo cogitare de pœnitentia non potest; vel etiam, si gratias illas efficacissimas subducat, sine quibus prævidet, impœnitentem moriturum; his enim rationibus idem effectus sequetur, salva Dei bonitate, & toties facta promissione veniæ. *Neq; dicas*, peccatum mortale hanc pœnam mereri, ut docet *Sanctus Thomas 3. contra Gentes cap. 162.* Jam enim suprà respondimus, non hìc quæri, quid peccato debeatur, alioquin sequeretur de lege ordinaria, & plerumque hominem, primo peccato commisso, mox toto vitæ suæ tempore potentia resipiscendi, custodiaque Angelica privari, id enim peccato deberetur, ut loco citato observat Sanctus Thomas. Non ergo quærendum à nobis est, quid Deus ex debito, sed quid ex abundantia infinitæ Misericordiæ suæ, & faciat, &

facturum promiserit; promisit verò omnibus omnino, dum viverent, veniam admissorum, & ideo non aliquos tantùm, non plerosque, sed omnes omnino ad pœnitentiam invitat; ergo dat etiam auxilium, quo possint pœnitere, alioquin ad impossibile invitaret, hoc est, ad volandum, non datis alis; ad transfretandum, non data navi; quæ omnia de Deo dici absurdissimum est.

Illud verò concedimus peccatoribus, qui consuetudinem peccati in naturam verterunt, difficillimum esse, ut convertantur: *desinit enim esse remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores fiunt*, ait Philosophus Stoicus. Et de hujusmodi dicitur Jeremiæ 13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malè*. Et Sanctus Augustinus lib. 10. Confess. cap. 8. *Dicunt mihi creaturæ omnes, ut amem te, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles; altiùs autem tu misereberis, alioquin cælum, & terra surdis loquuntur*. Tantoque magis grandescit difficultas, cùm Deo causis secundis naturalem cursum permittente peccatoribus occasiones occurrunt, quæ alliciant: adulatores, malique Consiliarii, qui seducant: fastidium rerum æternarum, contemptusque Sacerdotum utilia monentium: orandi desidia mente in res, causasque temporales penitùs absorpta: rerum caducarum affluentia, quæ oblivionem æternorum pariat, & alia mille, quæ inveterati peccatoris conversionem planè arduam reddunt, non tamen impossibilem, sed nec dcfficillimam, si modò remedia usurpet à Deo copiosè oblata. Id Augustinus de se ipso testatur lib. 8. Confess. cap. 5. *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate: velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me; quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas*. Sed paulò pòst lib. 9. Confess. cap. 1. Mox idem Augustinus subjungit: *Quam suave mihi subitò factum est, carere suavitatibus nugarum, quas amittere metus fuerat, & jam dimittere gaudium est. Eiiciebas enim eas à me; & tu intrabas pro his omni voluptate dulcior*. Idemque Seneca ipse lib. 3. de Ira cap. 12. *Nihil tam est difficile, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua Meditatio, nullique sunt tam feri, suique juris affectus, ut non disciplina perdomentur: quodcumque sibi animus imperavit, obtinuit. Vino quidam; alii Venere, quidam omni humore interdixere corporibus. Dixerunt alii in funibus ambulare, immania onera ferre, mergi in profundo, nec respirare*. Sunt verò expugnandæ consuetudini hæc præsertim remedia. *Primò* fervens, constansque imploratio divinæ gratiæ; huic enim nihil est insuperabile; & oratio nunquam non exauditur ob divinam promissionem, constatque experientia, nullum unquam à Deo petiisse, quæ ad salutem pertineant, nec impetrasse, ut proinde dubitare prudenter nemo possit, quod nulli, & nunquam à Deo negatum est, id sibi negatum iri. *Erubescat humana pigritia; plus vult Deus dare, quàm tu accipere: plùs vult ille misereri, quàm tu à miseria liberari*, inquit Sanctus Augustinus de Verb. Dom. Serm. 31. Et ibidem circa finem: *Qui tam curvus est, ut terram intueatur, terrena fœlicitate lætetur, aliam cœlestem non credat; quicumque, inquam, tam curvus est, erigatur, & si per se ipsum non potest, invocet Dominum: nunquid enim, & mulier illa curva per se ipsam erecta est? Væ illi, si manum ille non porrexisset*. *Alterum* contra consuetudinem præsidium est fortis, frequensque resolutio, perversam consuetudinem superandi, ac contrariæ virtutis exercitium, quo paulatim, sensimque prima consuetudo languescit, ac tandem cedit. Qua in re memoria dignum, quod in vita B. Bernardi legere est. Is in nobilem virum inciderat, adeò impuris amoribus captum, ut fateretur, ne una quidem nocte carere iis posse. Cui Sanctus: quæso te, inquit, in gratiam Dei vel triduo abstine, & ad me redi. Abstinuit, rediitque, ad quem Bernardus: nunc, inquit, tantumdem Virgini presta. Fecit: & Bernardus, semel adhuc, inquit, omnibus in Cœlo Sanctis inducias has posco: quod cùm pactus Nobilis esset, ipsoque usu didicisset, fieri posse, quod futurum priùs desp-

pera-

peraverat, ac simul bonæ conscientiæ dulcedinem, pacemque expertus, & quantùm ista brevissimæ voluptati præstaret, ad Bernardum, regressus, sponte sua plura promisit, præstititque, quàm alter exegerat: *Nolo*, inquit, *ampliùs diurnas cum Deo inducias, sed perpetuam pacem*, stetitque promissis; adeò verum est, non in Republicæ tantùm, verùm etiam in Animæ causis sæpe consultum esse: *Arte rem moliri, vim procul habere*.

Denique optimè vincendæ consuetudini remedium est, mortis non tanquam remotæ, sed tanquam imminentis (ut revera semper est, aut esse potest) assidua Meditatio; Nemo enim est tam insanus, qui brevissimum gaudium longissimo dolori præferre velit, si modò persuasum habeat, brevissimum illud fore. In quam rem non injucundum auditu est Sacerdotis cujusdam, rerum ad animas pertinentium callentissimi, egregium stratagema, quo vitiis non minùs, quàm annis senem ad pœnitentiam, vitamque mutandàm permovit. Is confessurus accessit, longamque peccatorum seriem, quibus incanuerat, exposuit. Sacerdos primò jejunium imposuit. Illo vertiginem causante, cilicium jussit: & cùm alter intellexisset, quid rei cilicium esset, ideoque respueret; ergo, inquit, Sacerdos, certas quotidie preces è genu recitabis; at ille ne hoc quidem possum, quippe imbecilli, ac languente corpore. Flagello ergo te cædes: flagellum, reponit, mihi aliàs fatiscenti, & vix muscam toleranti? tum Sacerdos, ergo hoc saltem agito: toto proximo mense, cùm te noctu ad lectum, & somnum paras, prolixam hanc, canamque barbam attentè, multumque specta, ac manibus versa, nihilque ampliùs. Senex primò ridere, tùm facere; ad repetito (quæ ipsa Sacerdotis intentio fuerat) barbæ aspectu, mortis vicinæ recordari; hinc timore, curaque futurorum angi, adeoque permoveri, ut lacrimis perfusus ad Sacerdotem rediret, tantoque pœnitendi ardore, castigandique corporis ageretur, ut fræno, quàm stimulo deinceps regi oportuerit. Ergo, ut dicebam, nulla est tam inolita, hærensque consuetudo, quæ vinci gratia, & studio non possit, & ideo nulliusquoque salus desperanda est, modò medentem admittat, nam nisi admittat, non consuetudo, sed voluntas accusanda est.

Quæ verò ex Sacris Litteris, Sanctisque Patribus in contrarium opponebantur, facilè ex dictis solvi possunt: illa enim verba: *In interitu quoq; vestro ridebo: dorsum, & non faciem ostendam eis: nemo corrigi potest, quem Deus despexit*, hæc, inquam, & his similia significant tantùm immobilem, & inflexibilem subinde Dei voluntatem, circa pœnas temporales insfligendas: significant etiam efficacissimas illas gratias subinde suspendi, peccatore impedimentum ponente, Deoque justissimè vindicante. Ea verò subtracta gratia peccatum non necessariò quidem, sed certissimò sequitur. Et denique, ut ex Augustino vidimus, iis loquendi formulis significat Scriptura, subitò peccatorem, improvisoque percuti, ut pœnitendi, animumque ad Deum convertendi spatium non habeat; quid enim justius, quàm iis, qui toties tempore abusi sunt, tempus auferri?

XXI. *Opponitur Decimò*: Certissima est Gennadi regula: Memini videlicet gratiam dari, nisi petenti. Verba illius sunt Libro de Ecclesiast. Dogmat. *Neminem credimus, nisi per gratiam salvari, nemini gratiam dari, nisi poscenti*. Atqui multi sunt, qui gratiam ritè orandi non habent, præsertim infideles: Oportet enim orationem, ut à Deo impetret, quòd postulat; esse fidelem, permanentem, & fiducialem, seu spe munitam; at quàm multi non sic orant? *Deus*, inquit, Augustinus, *dat omnibus affluenter, utque his omnibus, qui sic petunt, & tantùm petunt, quomodo, & quantum res santa petenda est*. Lib. de Nat. & Grat. cap. 17. Et lib. 1. quæst. 2. ad Simplicianum: *Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, ut potiùs frigida, & penè nulla, imò interdum ita nulla, ut ne hoc in nobis cum dolore advertamus, quia sic hoc dolemus, jam oramus. Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia, & petere, & quærere, & pulsare ille concedit, qui, ut hoc faciamus, jubet*.

Respond. Aliud est, peccatores non orare, aliud non habere gratiam, & facultatem, qua orare possint, eaque auxilia impetrare, quæ iis necessaria sunt ad Legem divinam adim-

adimplendam : hoc postremum negamus, illud verò concedimus : aliud enim est carere gratia, aliud gratia uti nolle; sicut aliud est, carere Medico, à quo saneris, aliud sanare volentem nolle admittere: est enim gratia medicina voluntatis, quæ datur, ut sanetur, bonumque velit, sed non sanat invitam. Quod ut rectè intelligas, observandum est, ad divina præcepta implenda, vincendasque tentationes duplici auxilio nobis opus esse, *remoto* videlicet, & *proximo*. *Remotum* est gratia orandi, petendique à Deo vires necessarias. *Proximum* est, quo nobis vires tribuuntur, præceptum ipsum adimplendi. *Remotum* auxilium, seu gratia orandi omnibus, qui præcepto tenentur, loco, & tempore opportuno datur; habet enim se per modum primi principii practici, quod alio principio non eget, sed est causa omnium aliarum actionum supernaturalium: Sicut enim Deus in ordine naturali hominem præ reliquis brutis animalibus investem, inermem, rerumque omnium inscium, rudemque fecit; nec ideo tamen deserviffe dici potest (ut Plinius Philosophus *Lib. 7. in Proœmio* imperitè conqueritur) sed potiùs omnium maximè curasse, quia manum illi, & mentem dedit, quibus non una tantùm, & extrinsecus accepta ratione, ut animantia, sed variis, & infinitis modis, nec tantùm ad necessitatem, verùm etiam ad commoditatem, & delitias, juxtaque temporum, locorum, conditionum, aliasque circumstantias, vestiri, armari, scientiis quoque, & artibus imbui posset; idque non naturæ, sed quod longè præstantiùs est, arbitrii, & industriæ suæ dono. Idem de ordine supernaturali dicas. Nascitur homo omnium, quæ ad vitam æternam pertinent, expers, & nudus; sed ut omnia, sine quibus nascitur, industria quoque sua, & cum merito acquireret, data est ei, postquàm ad usum rationis pervenit, gratia, & facultas orandi, qua velut manu uteretur ad omnes reliquas gratias siomparandas, sine quibus nec legem implere, nec vitam æternam consequi possit. Cæterùm hæc gratia, seu spiritus orandi, *gradus* quoque suos, & minorem, majorumque perfectionem, habet: Nam quoad initia sua, prrimosque gradus, à Deo non petitur, sed sponte, gratisque datur (alióquin eundum in infinitum esset, & hoc ipso, quòd petis, jam gratiam petendi habes) non ergo petis, ut detur, sed datur, ut petas: sicut rota, non quia volvitur, rotunda est, sed quia rotunda est, ideo volvitur; sed quoad majorem intensionem, fervorem, & perseverantiam, etiam ipsa gratia orandi postulatur; sic enim cum Ecclesia precamur: *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cepta finiatur.* Et ideo tantopere à Sanctis Patribus orationes illæ jaculatoriæ commendantur; quippe ob brevitatem, & facillimæ, & ardentissimæ, & frequentissimæ esse possunt, suntque semina quædam omnium aliarum gratiarum, parva quidem mole, sed maxima virtute, ac fructu, de quibus hæc habet Sanctus Augustinus Epist. 121. ad Probam cap. 9. *Dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodammodo ejaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras evanescat, atq; hebetetur intentio. Atq; per hoc etiam ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest; ita si perduraverit, non citò esse rumpendam; absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio.* Tales orandi formulæ fuerunt illæ Davidis: *Peccavi Domino*: & Josue: *Sol contra Gabaon ne movearis.* Et Judithæ, cùm ferrum in caput Holophernis vibraret: *Confirma me Domine Deus in hac hora;* Et Susannæ jamjam obruendæ: *Deus æterne, ecce morior, cùm nihil horum fecerim.* Et Publicani: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et Latronis: *Memento mei Domine, cùm veneris in Regnum tuum.* Imò Dominica oratio non solùm brevissima ipsa est, verùm etiam nihil est aliud, quàm contextus brevissimarum petitionum, quarum singulæ tribus, vel quatuor verbis absolvuntur. His ergo orandi principiis, quæ nemini desunt, & major, ac perseverantior orandi spiritus, & proximum auxilium Dei ad legem implendam obtineri possunt. Primis ergo illis precibus, quarum facultas Dei liberalissimo

mo dono omnibus peccatoribus præstò est, duo petimus: opportunum videlicet auxilium Dei, tùm ad omnem orationem sequentem) quam oportet humilem, fiducialem, ac perseverantem esse) tùm ad omnem operationem honestam, & salutarem, sed audiamus Augustinum, id ipsum sæpius docentem. Nam Lib de Grat. & libero Arbitrio cap. 16. *Jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus: ipsa enim est fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Et lib. 3. de Libero Arbitrio cap. 19. *Deo gratias agant, quòd aliquid sine difficultate faciunt, & ubi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis, & perseverantissimis precibus, & Misericordiæ promptis operibus facilitatem à Domino impetrare persistant.* Dignum quoque memoratu est, quod Sanctus Gelasius *Epist. 5. ad omnes Episcopos* in Piceno constitutos contra Pelagianos censet, ideo Luciferum, & Adamum cecidisse, quòd nimiùm viribus, & fœlicitate sua nixi oratione abstinuerint. Verba S. Pontificis sunt: *Si in ipsis primis hominibus, dum suæ nimiùm felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes non orando* (quod utique nunquam fecisse referuntur) *nec de receptis gratias referendo; nec ut eadem immemerata durarent, suppliciter implorando, incolumes constare nequierunt; quanto magis post prævaricationis ruinam absq; divino munere suis viribus vel ægri stare non possunt, sine quo nec integri persistere valuerunt.* Et Sanctus Thomas 1. part. quæst. 94. articul. 4. ad 5. *Nec valet instantia, quam quidam afferunt, quòd Adamo in tentatione non fuit subventum, ne deciperetur, licèt tunc maximè indigeret; quia jam præcesserat peccatum in animo, & ad divinum auxilium recursum non habuit.* Vides, totam rationem, ob quam Adamus deceptus est, non aliam fuisse, quàm quòd orationem omiserit. Idemque de Petro dicendum est, toties lapsus imminentis, & orationis admonito, & tamen, ut caveret, & oraret, nunquam persuaso.

Hoc verò primum auxilium locis, & temporibus opportunis nunquam negari, patet imprimis ex iis, quæ toto hoc paragrapho diximus, ubi prolixè ostensum est, Deum, ut omnibus, & quantùm ex se est, efficaciter vult salutem; ita ad illam obtinendam omnibus copiosissima media tribuere, quorum potissimum, & maximè necessarium est gratia orandi. Id ipsum ex Sacris Litteris constat, quæ toties omnes, nulloque excepto ad quærendum, pulsandum, petendum, vitamque mutandam invitant; quæ omnia supponunt, hæc fieri posse, & consequenter gratiam saltem remotam, hoc est, orandi, & petendi omnibus dari, alioquin frustra peccatores ad rem impossibilem invitarentur. Quòd si tu ab ista universali, & in Sacris Litteris toties repetita regula aliquem excipias; oportebit hanc exceptionem probari, quod nunquam facturus es. Hæc ipsa est mens Augustini, qui mille locis de hominibus non imaginariis, non in cornibus Lunæ, aut terrestri Paradiso degentibus, sed de hominibus, quales in Mundo sunt, hoc est, peccato originali, multisque actualibus obstrictis, constantissimè docet, non peccaturos violatis divinis præceptis, nisi potestatem haberent illa observandi, & consequenter, nisi haberent gratiam saltem inchoatam, hoc est, orandi, sine qua in statu naturæ corruptæ nulla potestas est observandæ legis divinæ. Aut ergo ex mente Augustini nemini hæc gratia deest; aut si alicui deest, erit aliquis sanæ mentis, qui furando, occidendo, adulterando, blasphemandoque nihil peccabit, quod absurdissimum est. Sicut ergo ex sententia Augustini nullo peccato, quamdiu ratio viget, amittitur libertas, & potestas adimplendi Legem divinam, vitandique peccati; ita nullo peccato omnis gratia sufficiens, & remota, hoc est gratia petendi amittitur, sine qua omnem quoque libertatem tolli necesse est. Sed audiamus Augustinum: sic enim in actis cum Felice Manichæo cap. 17. ait: *Qui servare legem non vult, in potestate ejus est, si velit. non enim dixit, non potuerunt, sed noluerunt. Hoc certè, quòd nolunt servare legem; sua voluntate nolunt.* Et tract. 53. in Joan. *Nec quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum; audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem, & jubentem, quid facere debeamus, & adjuvantem, ut implere possimus.* Vides, ex mente Augustini, negato arbitrio, negari quoque,

excu-

excusarique peccatum: Et Lib. de Fide contra Manichæos, qui liber tamen probabilius Evadio Episcopo Uzalensi tribuitur: *Quis non clamet, stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere, & iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas justa complere?* Atqui etiam peccatoribus dantur præcepta, & istis obligantur; at, teste Augustino, stultum id esset, si liberi non forent, & consequenter nisi gratiam haberent, qua possent præceptis obtemperare. Et lib. 3. de Libero Arbitrio cap. 17. *Si laboriosum est, omnia mandare memoriæ, quæ à nobis tam multa de peccato, & voluntate libera dicta sunt, hoc brevissimum tene. Quæcumque ista est causa voluntatis, si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur.* Hæc sanè Augustini testimonia nulla interpretatione opus habent, sed simplici lectione, ut cuilibet certissimum sit, Sanctum Doctorem generatim in omnibus, & singulis hominibus agnovisse possibilitatem ad implendum quælibet præcepta Dei per ipsius auxilium, & opitulationem, ut nemo jure, verèque conqueri de præcepto aliquo possit velut observatu impossibili.

Neque dicas, Augustinum Lib. 1. Retract. *cap.* 15. hæc scribere: *Qui autem cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Ergo ex mente S. Doctoris contingere potest, ut aliqui præditi bona voluntate careant auxilio sufficienti ad resistendum, sive non peccandum, quod alibi quoque, & sæpius repetit Augustinus.

Respond. Primò: Loqui Augustinum de auxilio proximo, & immediato, præceptum implendi, non verò de auxilio remoto, hoc est, de gratia, orandi, & impetrandi, quod nondum habes; de hoc enim semper locum habet universalissimum, & vulgatissimum illud Augustini axioma: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis.* Deinde nemo meliùs Augustinum interpretatus fuerit, quàm ipse Augustinus, qui hanc quæstionem in terminis proponit, deciditque omnino ex nostra sententia. Cùm enim *Tract.* 53. *in cap.* 12. Joan. ea verba exponit: *Propterea non poterant credere; quia dicit Isaias: excæcavit oculos eorum*, mox hanc quæstionem proponit: *Si non poterant credere, quomodo ergo non credendo peccabunt? aut quod peccatum est hominis non facientis, quod non potest facere?* Ad hanc quæstionem quid responderet Jansenius, nisi: ideo non poterant credere, quia ob peccata præcedentia saltem originale omni gratia, auxilioque carebant? quid faciliùs hoc responso, quid ad intelligendum planiùs? At non ita Augustinus: Primò enim causam, quòd non possent credere, assignat eorum perversam voluntatem; certissimum enim est, te non posse, quod non velis; & ideo, quamdiu nolueris credere, tamdiu certum est, non posse te credere. Verba Augustini sunt: *Quare autem non poterant credere, si à me quæratur, citò respondeo, quia nolebant; malam enim eorum voluntatem prævidens Deus per Prophetam prænuntiavit: excæca cor populi hujus, ut videntes non videant.* Secundò respondet Augustinus: ideo non potuisse credere, quia à Deo deserti, hoc est, adjuti non sunt; ut verò desererentur, malam eorum voluntatem meruisse. Si verò ab Augustino quæras, quænam fuerit hæc mala eorum voluntas, ob quam deseri meruerunt; an peccatum originale? an peccata actualia præterita (quæ ut non fuerint juris nostri, & arbitrii ampliùs non est) quod Jansenius, aliique putant? Non, inquit Augustinus: *Sed quia ita superbè sapiebant, ut crederent, se Dei adjutorio ad bene vivendum non indigere;* quamdiu ergo id pertinaciter sentiebant, tamdiu in *sensu composito* indignos se divina gratia reddebant, ponebantque obicem juvare volenti, obicem, inquam, non præteritum ob peccatum originale, aliaque actualia olim commissa; sed obicem præsentem, actuque influxum gratiæ impedientem. At carebant potentia, carebant gratia, hunc obicem amoliendi? minimè, inquit, Augustinus; aderat eis potestas, aderat gratia, qua obicem removerent, si uti vellent; sed uti nolebant; & ideo tandem tota ratio, quòd non possent, erat, quòd non vellent. Verba Augustini sunt: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri; ne omnino existimemus, in nostra potestate non esse, quod credimus; agendæ sunt*

sunt ergo ei gratiæ , quia data est potestas , & orandum , ne succumbat infirmitas . . . . . . non poterant ergo credere , non quia mutari in melius homines non possunt , sed quamdiu talia sapiunt , non possunt credere . Quando ergo scribit Augustinus, aliqua præcepta esse , quæ homo implere non possit , intelligendus est , ut se ipsum loco proximè allegato explicat , de impossibilitate in *sensu composito*, & ex ipsa prava voluntate hominis proveniente : avarus enim , quamdiu talis est , restituere aliena non potest , sed potest avarus non esse , obicemque amovere , quod ut faciat , semper illi potestas , & gratia remota præstò est ; facultas videlicet orandi , petendique à Deo . Idem de impudico , idem de iracundo , aliisque peccatoribus dicas . Denique sciendum est , sæpe à Sanctis Patribus , ipsisque Sacris Scripturis ea dici impossibilia , quæ valdè difficilia sunt , ut jam suprà ostendimus .

§. III.

Dei gratiam etiam obstinatissimis peccatoribus non deesse longa serie , multisque exemplis ostenditur .

Ut hactenus dicta , Deique etiam in perditissimos peccatores effusissima Bonitas tantò clarior evadat , placuit , longa fortasse , sed non injucunda narratione id ipsum exemplis ostendere , ut ex iis , quæ Deus sceleratissimis præstitit , intelligas , quæ præstitit minùs sceleratis , minusque indignis .

Anno Mundi 130. Cain fratrem suum Abelem innocentem , & per insidias obtruncat . Fuit Cain primus , & exemplar omnium reproborum ; sacrilegus videlicet , invidus , fratricida , atheus , impœnitens , & in peccatis suis longè obstinatissimus . Et tamen vide , quot modis ad pœnitentiam , & veniam vocatus ? Deus ipse corporalem speciem indutus eum convenit , de occiso interrogat , crimen ante oculos ponit , pœnam infligit , & patris potiùs , quàm vindicis more custodiam , ne impunè occidatur , promittit , sicque novo hoc beneficio in spem , agendamque pœnitentiam erigit , denique sexcentis annis ad veniam expectat . Quo fine hæc omnia , nisi ut crimen agnosceret , & elueret ? at noluit ; ipsius ergo culpa , non Dei fuit .

Anno Mundi 1656. Totum genus humanum ob flagitia , & præsertim impudicitiam aquis deletum . Sed quot priùs beneficiis , ac prodigiis præmoniti peccatores , ut servarentur ? missus Noe , qui centum priùs annis (imò quingentis , ut Chrysostomus notat *Homil. 21. & 22. in Genesim*) Mundi naufragium prædicaret , qui totidem annis Arcam ante oculos , & in conspectu omnium pararet . Animalia ingenti miraculo , & quod solùm ad convincendos etiam obstinatissimos sufficeret , longo ordine , multisque mensibus toto Orbe collecta , & in navim progressa ; denique aquarum imbres non uno impetu , sed paulatim , & 40. dierum spatio effusi , ut interim locus pœnitendi , vitamque mutandi daretur . Quot ergo ictus , quot fabri , malleique circa Arcam resonabant , quot animantium , & volucrum species , quot nubes in aere , quot dies , & horæ volvebantur , tot nova pœnitendi argumenta . Quis hìc Dei misericordiam , & patientiam in peccatores non advertat ? Audi Basilium Orat. 5. *Erat facile vel absq; ligno Noemum salvare , sed ipsum constituit primum , lentumque arcæ ædificatorem , ut vel ex visis concepta formidine intuentes ad pœnitentiam traherentur . Erat , & hoc divinum in hominum gratiam commentum invitamento ad pœnitentiam .* Et Sanctum Chrysostomum Homil. 1. de Pœnitent . *Cujus rei gratia , ò Domine , quæ facturus es mala , prædicis ? ut non facias .* Et re ipsa multos eorum , qui diluvio perierunt , ad frugem rediisse , oblataque ad pœnitendum gratia usos esse , clarè insinuat Sanctus Petrus 1. *cap. 3.* ac Rupertus *6. in Genesim* . Imò Sanctus Hieronymus tradit , neminem eorum , qui diluvio absorpti sunt , damnatum esse , probatq; ex littera Hebraica ; exponens enim ea verba : *Non permanebit spiri-*

ſpiritus meus, ſic loquitur. *In Hebræo ſcriptum eſt: Non judicabit Spiritus meus homines iſtos in æternum, quoniam caro ſunt; hoc eſt: quia fragilis eſt in homine conditio, non eos ad æternos ſervabo cruciatus; ſed illis reſtituam, quod merentur. Ergo non ſeveritatem, ut in noſtris Codicibus legitur, ſed indulgentiam Dei ſonas, dum peccator hic pro ſuo ſcelere viſitatur.* Quid dici poſſit de Deo clementius?

Hoc ipſo tempore, poſt Diluvium videlicet, & vivente adhuc Noe, initium cepit Idololatria; adeò nihil pœnis, & metu profectum, ut potiùs pejores evaderent homines, Deique cultum, & amorem penitus abjicerent, quod ante diluvium nunquam eſt factum. Auctor hujus impietatis Ninus fuiſſe dicitur, qui Babylone publico in Optimatum, Principumque Conventu Patri Belo, Imperii Aſſyriorum Fundatori, ingentem, & precioſi operis ſtatuam dedicavit, Sacerdotibus, Sacrificiis, Altaribus, ac jure Aſyli addito; qua pompa, ſacroque apparatu homines peſtricti aliquid non tantùm regii, verùm etiam divini in hujuſmodi ſtatuis ſuſpicati, eas inſtar Numinum primò admirari, deinde etiam colere, invocare, & pro Diis habere ceperunt. Prima ergo Idololatriæ cauſa fuit ſtatuarum pompa, & privilegia illis, qui colerent, Principum voluntate conceſſa. Unde paulatim eò deventum, ut quidquid inter homines, aliaſque creaturas etiam ſenſuum expertes quacumque ratione aut bellica, aut morali virtute, aut potentia, aut etiam forma corporis emineret; imò quidquid beneficum eſſet, pro Diis haberetur. Quam ſuperſtitioſam inſaniam adjuvabant, & Dæmonum artes per ſimulachra loquentium, ac futura vaticinantium, & Magorum ludibria (nam iſta cum Idololatria cepere) & Sacerdotum avaritia, qui quæſtum, & authoritatem ex Religione captabant, & Principum exempla, imò juſſa, populos Deorum metu coercentium, & denique ac præſertim corruptiſſimi hominum mores, qui cùm nihil ampliùs, quàm corporea, & mortalia cogitarent, amarentque, nullos quoque alios Deos agnoſcere poterant, quàm corporeos, & cupiditatibus, ac ſceleribus ſuis ſimillimos: Quid enim avaro, & impudico gratius eſſet, quàm Deos habere non tantùm non vindices, verùm etiam impudicitiæ, & avaritiæ ſuæ authores ſautoreſque Quatumq; non ſolatii tantùm, verùm etiam glor æ in adulteriis Jovem imitari? crevitque eouſque inſania, furorque adorandi, ut omnem planè admirationem ſuperet, quod ipſe Seneca Lib. de Superſtitione à S. Auguſtino allegatus *Lib. 6. de Civit. Dei cap. 10.* his verbis eleganter expreſſit: *Sicut intueri vacet, quæ faciunt, quæq; patiuntur, invenies tam indecora honeſtis, tam indigna liberis, tam diſſimilia ſanis, ut nemo fuerit dubitaturus furere eos, ſi cum paucioribus furerent, nunc ſanitatis patrocinium inſanientium turba eſt. Huic tamen furori certum tempus eſt. Tolerabile eſt ſemel in anno inſanire. Sed ſi in Capitolium pervenias, pudebit publicatæ dementiæ: alius horas Jovi nuntiat; alius lictor eſt, alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem. Sunt, quæ Junoni, ac Minervæ capillos diſponant: ſunt, quæ ſpeculum teneant; ſunt, qui libellos offerant, & illos cauſam ſuam doceant. Sedent quædam in Capitolio, quæ ſe à Jove amari putant, nec Junonis quidem iracundiſſimæ reſpectu terrentur. Quid, quòd, & Matrimonia Deorum jungimus, & ne piè quidem, Fratrum ſcilicet, & ſororum? Bellonam Marti collocamus, Vulcano Venerem, Neptuno Salariam; quaſdam tamen cælibes relinquimus, &c.*

Nec incredibile alicui videatur, ad tantùm inſaniæ potuiſſe homines pervenire, ut non tantum fœlibus, & Draconibus (quæ fuit Ægyptiorum Religio) verùm etiam ut mutis ſimulachris ineſſe aliquid Divinitatis crederent. Cùm enim hominem à bruto ratio diſtinguat, quid mirum eſt, non ut homines, ſed ut bruta ſenſiſſe ratione per cupiditates oppreſſa? Furor ergo erat, quam Religionem vocabant, & furor tam publicus, lateque ſparſus, ut ultra bis mille annos, hoc eſt, à diluvio uſque ad Chriſti Nativitatem, totum ferè orbem pervaſerit, omnibus aut idola colentibus, aut cultum ſimulantibus, ne popularem invidiam, odiumque inciderent. Tales Philoſophi erant, inter quos Seneca Libro paulò antè laudato: *Hæc omnia Sapiens ſervabit tanquam legibus juſſa, non tanquam Diis grata; omnem ergo iſtam ignobilem turbam Deorum,*

quam

quam longo ævo longa superstitio invenit, sic adorabimus, ut meminerimus cultum ejus magis ad morem hominum, quam ad rem pertinere. In quæ verba Sanctus Augustinus 6. de Civit. cap. 10. *Sed ista populi Romani Senator colebat; quod reprehendebat, agebat, quod arguebat, adorabat; quod inculpabat: quia videlicet magnum aliquid eum Philosophia docuerat; ne videlicet superstitiosus esset in Mundo, non quidem ageret Scenicum in theatro, sed imitaretur in Templo, eoq; damnabilius, quòd illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret.*

Nemo tamen persuasum habeat ingratissimis ipsis, & insanissimis hominum divinam gratiam defuisse, qua, & occultis, & apertissimis modis ad verum Deum cognoscendum invitarentur, juxta celebrem illam Prosperi sententiam de Vocat. Gent. cap. 31. *Non solùm in novissimis diebus, verùm etiam in cunctis retro sæculis probatum est, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, quoniam sive manifestè, sive occultè, ipse, ut Apostolus ait, Salvator omnium hominum est, maximè Fidelium.*

Quam sententiam Prosperi, ut intelligas, sciendum est, vastas illas Monarchias, quæ maximam Orbis partem occupabant, idololatriæ coævas esse, quippe cum Imperio Assyriorum natas; nam ut Justinus observat Lib. 1. Histor. *Principio rerum Gentium, Nationumq; imperium penes Reges erat. Populus nullis legibus tenebatur, arbitria Principum pro legibus erant: fines Imperii tueri magis, quàm proferre mos erat: intra suam cuiq; patriam Regna finiebantur. Primus omnium Ninus (* Author Idololatriæ *) Rex Assyriorum veterem morem nova Imperii cupiditate mutavit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, terminos usq; Lybiæ perdomuit, domitis verò proximis cum accessione virium fortior ad alios transires, & proxima quæq; victoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit.* Ut ergo Deus velut ex altissima specula omnibus facem veritatis efferet, quam nemo posset ignorare, sæpissimè, maximisque prodigiis, Regibus, & Imperatoribus Divinitatem suam ostendit. Id ne prolixior sim, de quatuor tantùm Monarchiis palàm facere animus est.

Primò igitur Monarchiam Assyriorum omnium antiquissimam quod attinet, per intervalla temporum missi à Deo sunt Daniel, Esdra, Jonas, Nahùn, Jeremias, multique ex Judaico populo, à quibus, & oretenus, & per prodigia veritatem edocerentur, Deo etiam captivitate suorum utente, ut Babiloniis, & Ægyptiis innotesceret. Quæ causa fuit illius Angelorum certaminis, quod apud Danielem legimus, aliis populum retinere volentibus, ut Babilonios ad cultum veri Dei converterent, aliis verò missionem optantibus, ne malorum exemplo perverterentur. De Ægyptiis constat, à Mose, Josepho, Jeremia, Trismegisto, aliisque unius, verique Dei notitiam accepisse. Ab Ægyptiis verò maximè propagata est, nam, & plerique Sapientum profectiones in Ægyptum adornabant, quales inter alios fuere Homerus, Pythagoras, Plato, Lycurgus, Solon, & omnes etiam Civitates, Provinciæque, quoties magni aliquid, arduique occurreret, illinc Oracula petebant. Et ipsi quoque Ægyptii colonias toto Orbe mittebant, quem postea morem Romani imitati sunt. Præsertim Dei notitiam propagavit celebris illa Sacrarum litterarum translatio à Ptolomæo Ægypti Rege procurata, totoque posteà Orbe terrarum sparsa. Sanè Eusebius in Libris Præparationis multis argumentis ostendit, optima quæque, quæ Plato in suis Libris conscripsit, hausisse ex Sacris Litteris Veteris Testamenti. Hanc ipsam Dei cognitionem Sibyllæ toto Mundo dispersæ, earumque libri cantabant, quæ causa fuit, ut Christiani Sibyllinis Libris ad convincendos Gentiles maximè uterentur. Quam in rem optimè faciunt Clementis Alexandrini verba memoratu dignissima Lib. 1. Stromat. ubi: *Quomodo Deus Judæos salvos esse voluit, dans eis Prophetas; ita etiam Græcorum spectatissimos, quod declaravit Paulus Apostolus dicens: Libros quoq; Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo unum Deum significet. Hydaspen sumite, & legite, & invenietis Dei filium multo clariùs, & apertiùs esse scriptum.* Justinus quoque Martyr. Orat. ad Antoninum Pium: *Opera autem, & instinctu malorum*

Dæmonum mortis supplicium adversus Librorum Hydaspis, & Sibyllæ Lectores constitutum est, ut per timorem homines ab illis, quò minùs scripta ea legentes rerum bonarum notitiam percipiant absterrerentur: quod quidam efficere nequiverunt: Non enim absq; timore tantùm hujusmodi scripta legimus, verùm etiam vobis ad inspiciendum offerimus, grata, acceptaq; omnibus fore scientes. Denique lumen ipsum rationis omnibus mortalium à natura impressum, & species ipsa Mundi, omniumque creaturarum hanc Dei cognitionem nulli non inspirabat, *Ut enim si quis è longinquo citharam, audiat ex multis, & diversis nervis compositam, & iis concentum, & harmoniam admiretur; planè intelliget, non à se ipsa citharam moveri, aut à pluribus pulsari, sed unum esse Musicum, qui unius cujusque nervi sonum ex arte ad concentum, & harmoniam misceat, etiamsi illum coram non intueatur, ita quoq; ex consona ubiq;, & concinna Mundi dispositione, &c.* Verba sunt Athanasii Orat. contra Idola.

Quòd si singularum Monarchiarum Principes consideres; deprehendes neque istis, quamvis alioquin perditissimis, Deum defuisse. Sennacheribum ausum Deo insultare, monuit prodigiosa illa strage centum octoginta quinque millium una nocte interfectorum: & quamvis nemo magis ipso Rege mortem meritus esset, ipsi in tanta suorum clade parsum, datumque tempus pœnitendi: Nabuchodonosor ex Daniele, Jeremia, tribus Adolescentibus in fornacem jactis, & incendio prodigiose liberatis, Deum intellexit. Idem de Balthasaro Nabuchodonosoris filio constat, qui, cùm ex miraculo manus in pariete scribentis, & ipsius Danielis interpretatione verum Deum agnovisset, ac insuper imminentem sibi proximè mortem, adeò tamen sibi deuit, ut vel inertia, vel metu suorum, vel usu pristinæ vitæ abreptus, nec Deum, quem agnoverat, placandum curaret, nec consilium à Daniele, quem in Aula habebat, modumque quæreret, utramque mortem temporalem, æternamque vitaret. Quid ergo Balthasar suæ perfidiæ, & ignaviæ obtendet? & potuit, & debuit; at noluit. De Sardanapalo ultimo Assyriorum Rege paulò infrà dicemus, cùm de Ninivitis sermo erit.

Assyriorum Monarchiam Persica excepit. Primus illius Princeps Cyrus fuit. Hic à populo Judaico Babylone captivo, ab Esdra; & præsertim vaticinio Isaiæ ducentis priùs annis de se edito Dei, veræque Religionis notitiam habuit, imò missione captivis data, instauratoque Dei Templo, optimè de Judæorum Sacris meritus est. Idem dicas de Dario Medo Cyri avunculo, & Danieli amicissimo, deque alio Dario Hydaspis filio, qui Judæis facultatem dedit perficiendi Templi, fuitque maritus Esther Reginæ, à qua, & Mardochæo Dei cultum edoctus est. Idem de Artaxerxe longimano filio Xerxis, cujus jussu Esdras, & Nehemias missi ad omissam Templi fabricam restaurandam, & à quo tempore celebres illæ Danielis hebdomadæ septuaginta principium ducunt. Ex quibus patet, non defuisse Monarchis Persarum opportunissima media, quibus Deum agnoscerent colerentque.

Idem de Græcis Principibus sentiendum est: Nam de Alexandro Magno primo Imperii Græci Fundatore hæc habet Josephus Lib. 12. cap. 8. *Alexander anno quarto in Phœniciam, Ægyptum, & Judæam venit, & solus ad Jaddum Pontificem accedens nomen illud Tetragrammaton Dei, quod Pontifex in lamina tiaræ affixa incisum gestabat, adoravit, & primus salutavit Pontificem. Syriæ Reges: & reliqui obstupuerunt. Solus Parmenio propiùs accedens: quid ita, cùm ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Pontificem Judæorum? at ille, non hunc se adorasse respondit, sed Deo, cujus Pontifex esset, honorem exhibuisse: hunc enim, inquit, vidi hoc ipso habitu cùm adhuc essem in Macedonia, qui me deliberantem, quomodo Asiam possem subigere, hortatus est, sine mora traiicere; nam suo ductu potiturum me Persarum Imperio. Hæc locutus, comiter complexus Pontificem deducentibus Sacerdotibus in urbem pervenit, & cùm ascendisset in Templum, immolavit Deo ex Sacerdotis præscripto, ostensoq; sibi Danielis Libro, in quo Græcum quendam Persas debellaturum significabat; hunc ipsum se esse interpretatus lætus dimisit multitudinem. Et cùm fecisset potestatem, si qui vellent salvis suis ritibus sequi ejus militiam, multi in eam expeditionem dederunt nomina.* Imò certum est, florente Græca, Romanaque

que Monarchia Judæos, & negotiorum, & commerciorum causa toto Orbe, ùt etiamnum videre est diffusos, suisque ritibus, cultuque veri Dei usos esse, quod, & Josephus loco mox citato asseverat, ubi narrat, sub Alexandri signis Judæos militasse, suisque ritibus permissos esse. Idemque Nazianzenus asseverat *Orat.* 44. Et Philo *Libro de Legatione ad Cajum* testatur, Judæos Augusti temporibus Romæ trans Tiberim habitasse, permissosque jure majorum vivere. Sed præsertim ex Sacris Litteris id constat *Act.* 2. ubi recensentur veri veri Dei cultores, qui Religionis, agendique Paschatis causa ex toto Orbe, *omniq; Natione* Jerosolymam convenerant. Verba Sacri textus sunt: *Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi viri religiosi ex omni Natione, quæ sub cœlo est, Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, & Cappadociam' Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libyæ, & advenæ Romani, Cretes, & Arabes, &c.* Herodotus quoque Halicarnassæus, qui 45. c. annis ante Christi Nativitatem floruit, apud Josephum Lib. 8. Antiquit. capite 4. scribit, Æthiopas antiquitùs circumcisionem cultumque veri Dei ab Ægyptiis didicisse, sic enim Judæos vocat, quòd in Ægypto habitassent, Autorque est Strabo lib. 17. Eosdem Æthiopes unum coluisse Deum immortalem, qui esset omnium rerum causa. Ex hoc ipso Æthiopum exemplo colligere est, quid de aliis Nationibus minùs barbaris, minusque incultis sentiendum sit. Quo autem consilio voluit Deus fidelem populum omnibus Nationibus toto Orbe misceri, nisi ut testes unius, veræque Divinitatis essent? Quod, ut suprà dictum est, maximè, plenèque obtentum, Sacris Litteris ex Hebraica Lingua in Græcam translatis, omnique Græcia, Romanoque Imperio, quod totum Orbem terrarum amplectabatur, vulgatis.

Ipsum verò Romanum Imperium quod spectat, ex dictis jam patet, ante constitutam Monarchiam unius, verique Dei notitiam habuisse: Nam quæ suprà de Philosophis, Sibyllis, Judæis toto Orbe dispersis, Sacris Libris, ac præsertim cum Græcis commercio dicta sunt, ea maximè in Romanis locum habent, tantoque clariora evadunt, si modum consideres, quo Deus singulos Imperatores ad cognitionem veritatis invitavit: Nam de Octaviano Augusto primo Romanorum Imperatore eum Sibyllinorum Librorum studiosissimum fuisse testatur Suetonius in Octaviano cap. 21. *Postquàm*, inquit, *Pontificatum maximum suscepit, quidquid Vatidicorum Librorum Græci, Latiniq; generis, nullis vel parùm idoneis autoribus vulgò ferebatur, supra duo millia undiq; cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, conditq; duobus forulis auratis sub Pallatini Appollinis basi*; Idemque Author *cap.* 94. & Dio *Lib.* 37. de prodigio, quo Christi adventus prænuntiabatur, excitabaturque Augustus ad veritatem inquirendam, hæc habent: *Ante paucos menses, quàm nasceretur Octavius, prodigium Romæ factum publicè, quo denuntiabatur, Regem populo Romano naturam parturire, & Senatus exterritus censuit, ne quis illo anno genitus educaretur. Prodigium verò hujusmodi fuit: In Capitolio multæ Statuæ de Cælo tactæ, liquefactæque fluxerant, dejectaq; erant tùm alia simulachra, tum Jovis columnæ insistens. Præterea imago Lupæ cum Remo, ac Romulo consecrata ceciderat: litteræ etiam in columnis, in quibus leges scribebantur, confusæ, atq; oblitteratæ erant.* Nicephorus *Lib.* 1. *cap.* 17. Suidas verbo Augustus; Cedrenus in Compendio Histor. hæc addunt: *Cùm Augustus Apollinis studiosissimus, ùt qui crederetur Apolline genitus, quiq; in cœna illa, quæ Dodecatheos vulgò dicebatur, pro Apolline ornatus solebat accumbere, cui, & Templum in Palatio erexerat, eidem sacrificasset Hecatombem, hac tandem ab eo responsa elicuit:*

Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernas
Cedere sede jubet, tristemq; redire sub Orcum.
Aris ergo de hinc tacitus abscedito nostris.

Reversusq; inquit, *Nicephorus Augustus Romam, aram in Capitolio erexit hac inscriptione notatam: Ara primogeniti Dei.* Quibus consentanea sunt, quæ Cicero Lib. 2. Divin. scribit. *Sed quod caput est; cur isto modo jam*

H *Ora.*

Oracula Delphis non eduntur? hoc loco, cùm urgentur, evanuisse aiunt vetustate loci ejus, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata Oracula ederet. De vino, aut fallamento putes loqui, quæ evanescunt vetustate. Plutarchus quoque, qui Trajani tempore in Principis Aula degebat, integrum Librum de silentio Oraculorum scripsit. Et Philo Judæus Lib. de Legat. ad Cajum testatur, favisse Judæis Augustum, & jussisse, ut in Templo Hierosolymitano quotidianæ victimæ suis sumptibus Deo altissimo mactarentur.

De Tiberio, qui Augusto successit, multò plura, & majora leguntur. Tanta illi, & tam immania crudelitatis, ambitionis, & libidinum scelera, ut nec dici citra pudorem possit. Planè tam portentosa illius flagitia, tam diuturna fuere, præsertim ubi in Capreas Insulas toto septennio se abdidit, ut nullus æquè deseri à Deo mereretur, & tamen tantùm abfuit, desertum esse, ut maximis argumentis ad Dei cognitionem, & scelerum pœnitentiam vocaretur. Nam ut taceam, flagella conscientiæ, quibus adeò torquebatur, ut ad Senatum hæc scriberet: *Quid scribam vobis Patres conscripti, aut quomodo scribam? Dii me, Deæq; pejùs perdant, quàm perire quotidie sentio, si scio. Adeò*, inquit *Tacitus*, *facinora, atq; flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Præter hæc*, inquam constat ex Pilati Epistolis, quas officio ad Principem dederat, & ex publicis Tabulis, quibus singulorum annorum gesta commendabantur, ei adeò Christi Domini Divinitatem persuasam fuisse, ut de Christo inter Deos referendo ad Senatum deferret, ut Egesippus, & Eusebius testantur, ac præsertim Tertullianus in Apologet. cap. 5. ubi: *Vetus erat Decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probatus. Facit, hoc ad causam nostram, quod apud vos de humano arbitratu Divinitas pendet. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit; homo jam Deo propitius esse debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Christianum in Mundum intravit, annuntiata sibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem istius Divinitatis revelarant, detulit ad Senatum, cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia ipse non probaverat, respuit. Cæsar in Sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Et cap. 21. ejusdem Apologetici profitetur, nihil ad Christianam Religionem amplectendam Tiberium, aliosque Cæsares moratum esse, quàm metum perdendi imperii. Postquam enim de Christi Passione, Resurrectione, Ascensione, & Christianæ Religionis prædicatione sermonem instituisset, hæc addit: *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nuntiavit: sed, & Cæsares credidissent in Christum, si & Christiani esse Cæsares potuissent.*

Sed à condito Orbe vix pejorem aliquem, seu publicis seu privatis flagitiis Neronè reperias. Matrem, Fratrem, Uxorem, præceptoremque Senecam parricidio sustulit, ut taceam tot alia Christianorum, in quos primam movit persecutionem, Ethnicorumque millia suppliciis affecta. Libidinis verò tam prodigiosæ, tam inverecundæ, ac publicæ, ut non dubitaret publico ritu, cultuque muliebri Pythagoræ amasio nubere. Taceo incendia, magiam, prædationes Templorum, & mille alia, quibus consecutus est, ut omnium sceleratorum, quotquot fuerunt, eruntque, Princeps dici mereretur. Et tamen ne huic quidem monstro Generis humani Dei benignitas defuit, qua sanari, mutarique in alium posset, si vellet: Nam primò missi ad illum sunt duo Principes Apostolorum, quorum opera, & præsertim Pauli Evangelium, & in Aula, & in Senatu, & in Collegio Pontificum, & in Gynæceo, omnique Urbis Prætorio prædicatum est: *Ita*, inquit Paulus, *ut vincula mea manifesta fierent in omni Prætorio, & in cæteris omnibus.* Multi quoque de Cæsaris domo, licèt corruptissima, veritatem, & Evangelium amplexi sunt, inter quos teste Chrysostomo Neronis etiam Concubinæ, earumque pulcherrima, & Principi præcipua Poppæa Sabina (ùt aliqui memorant) Quæ causa fuit, ùt idem Chrysostomus recitat, Apostolum occidendi. Sed maximè Neronis animam perculit Simonis casus. Cùm enim is in Aula Cæsaris, quippe Magicis artibus addictissimi, præcipua gratia floreret, jactassetque, se palàm in cœlum avolatu-

laturum, idque molitus esset, Cæsare, Populoque Romano novum Icarum spectante, jamque in aera levaretur, subitò Petri Apostoli precibus in terram dejectus est, collisusque, & ipsum Cæsarem sanguine aspersit. Audi Suetonium in Vita Neronis: *Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumq; cruore respersit*. Eadem habent D. Chrysostomus *Orat.* 21. Arnobius, Cyrillus, Epiphanius, Augustinus, aliique passim. Estque notatu dignum, quod Nicephorus Lib. 2. cap. 36. his verbis narrat: *Ibi ex populo, qui antea Simonem divinos usurpantem honores laudibus celebraverant, subitò ita prostratum videntes ingenti, claraq; voce: Unus est magnus Deus, acclamant, quem Petrus, & Paulus apertè, & clarè prædicant. Locus, in quem luctuosum hoc spectaculum incidit, ad hodiernam usque diem Simonium vocatur. Nero autem certior factus à Petro, & Paulo Simonem peremptum esse, Petrum quidem pedibus sursum versum in crucem egit, Paulum verò gladio occidit. Ferunt autem Paulum Neroni anteà testatum esse, se illi tertio à cæde sua die vivum se repræsentaturum. Quod ubi est factum, in consternationem illum conjecit. Et cùm post mortem Paulus ita ùt prædixerat, certò, & verè illi assistens libere Christum verum esse Deum profitetur, neque veram salutem in alio, quàm JESU nomine esse ostendit*. Ita Nicephorus, additque Baronius, hanc causam fuisse, ut Nero metu perculsus mitiùs in Christianos ageret.

Pater ergo ex hactenus dictis, etiam Romanis Imperatoribus multifariam provisum esse, ut salvarentur, idque longa deinceps Romanorum Principum serie ostendi posset, quibus, & Martyrum sanguis, & invicta constantia, & prodigia sine numero edita, & Apologiæ, quas Christianæ Religioni muniendæ, & illustrandæ voce ac scriptis mira eloquentia vulgabant; hæc, inquam, nihil aliud profectò erant, quàm continuæ cœli voces, quibus ad veritatem cognoscendam invitabantur. Sed dulcedo illa omnium vitiorum, qua si Christiani essent, carere oportebat, effecit, ut etiam agnitæ veritati repugnarent, aut saltem ne agnoscere vellent, malleníque oculos loci claudere dormiendi cupidine, quàm aperire, & expergisci. Cæterùm postquàm vidimus, Deum etiam Tiberio, ac Neroni pessimis omnium tam propitium fuisse, nihil opus est, alios Imperatores adjicere; quis enim suspicari possit, Deum alicui defuisse, qui non defuit Neroni? Nemo isto pejor, nemo indignior, nec tamen desertus; nullus ergo timendi, aut desperandi locus etiam Nerone adjuto. Sed postquàm de quatuor Monarchiis disputatum est, jam ad seriem annorum revertamur.

Anno Mundi 3215. Assyriis Sardanapalus ultimus antiquissimæ hujus Monarchiæ Rex imperavit omnium, quotquot unquam fuerunt, Principum longè corruptissimus. Quippe non idolorum tantùm cultui addictus, verùm etiam adeò in libidinem, & voluptates effusus, ut inter Scortorum greges muliebri habitu, muliebri gestu, vultuque fucis, & coloribus picto purpuram neret, & omnes fœminas mollitie, luxuque anteiret, epitaphio post se relicto, ùt ait Aristoteles, *bove, non Rege digno*, videlicet: *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas*. Et tamen, quis crederet? ne hunc quidem, civesque Ninivitas exemplo Regis sui flagitiosissimos Dei clementia destituit. Primò enim missus ad eos Jonas (quod hactenus nunquam factum, ut Propheta ad Gentiles mitteretur) qui eos metu imminentis ruinæ ad pœnitentiam provocaret. Secundò tanta tamque efficax gratia, & Regi, & civibus data, ut non solùm ex animo pœniterent, verùm etiam absolutissimum pœnitentiæ exemplar toti Mundo proponerent, dignumque, ut ab ipso DEI Filio ad imitandum omnibus commendaretur. Cæterùm, & Rege, & populo in antiquam licentiam, & flagitia ruentibus, non tamen cessavit Deus monere, missis Ninivem Nahun Propheta, & Tobia, quorum exemplo, & Verbis ad veri Dei cultum frugemque meliorem traherentur; sed cùm nihil proficerent omnia, Sardanapalus occisus, imperium Assyriorum extinctum, Ninive subversa est. Si ergo Sardanapalus interrogaretur, quid aliud responsurus esset, quàm quod in simili causa respondit Pharao: *Justus est Dominus; ego autem, & populus meus impii*.

Anno mundi 3993. Ante Christi Nativitatem vigesimo nono regnare in Judæa Herodes cepit, quem alii Idumæum, alii Ascalonitam faciunt, cùm utrumque fuerit. Nam ùt ex Eusebio *Lib.* 1. *Histor. Ecclesiast. cap.* 6. & Julio Africano apud eundem Eusebium constat, Avum habuit Herodem quempiam (Sanctus Ambrosius in capite 3. Lucæ Jerodulum vocat) Ascalonitam servum delubri, quod Ascalone Apollini sacrum erat. Hujus filius Antipater fuit, qui admodùm puer à latrunculis Idumæis abductus ex gentili proselythus factus est, sacrisque Judaicis imbutus: Sciendum enim est, Idumæos integro fere sæculo ante Regnum Herodis, cùm à Joanne Hircano Judæorum Pontifice, ac Rege edomiti essent, abdicato proprio Gentis Idumææ Deo (quem Cozem vocabant) Judaicos ritus, ac Religionem amplexos esse, ùt narrat Josephus *Lib.* 15. *cap.* 11. Ergo Antipater ex servili modicaque fortuna variis artibus, ac præsertim militari in magnam potentiam evectus Herodi secundo genito Galilæam curandam dedit; quippe Hircano Judæorum Principe ignavia torpente. Herodes ergo purgata mox latronibus Provincia gratiam populi, ac præsertim à Romano Syriæ Præside iniit, à quo etiam Cœlesyriæ Præfecturam pecunia emit, retinuitque auctoritate, & Imperio Cassii, qui Julio Cæsare interfecto Ægyptum, & Palæstinam tenebat. Ac postea Romæ in Senatu Augusti, & Antonii favore Rex Judæorum declaratur, Antigono quòd à Parthis Regnum accepisset, inter hostes, & in ordinem redacto. Utque minori invidia rerum in Judæa potiretur, Mariamnem duxit, Assamonæorum, seu Machabæorum familia natam. Inde expugnata Hierosolyma, cæsoque Antonii jussu Antigono ultimo Judæorum Principe Regnum occupat, firmatque Stirpe Regia, totoque Senatu, quem magnum Sanedrin vocabant, mori coacto. Hic ergo Herodes ille est alienigena (quippe paterno genere Ascalonita, & Idumæus, materno Arabs) in quo juxta celebre Jacobi vaticinium jam instante Messia *Sceptrum Judæ*, hoc est, potestas judicandi regendique Judaicum populum planè defecit. Hactenus enim quamvis aliquoties Judæi aut Persis, Græcisque, ac præsertim Assyriis tributarii egissent, aut etiam in captivitatem abducti essent, proprios tamen aut Reges, aut Duces habuere, à quibus regerentur, ut ex Historia Susannæ, ac Esdræ patet; ac præsertim ex Libro 4. Regum capite ultimo, unde constat, tempore Babylonicæ captivitatis Judæorum Regem fuisse Joachimum, eumque ab Evilmerodaco Regiis honoribus cultum: à captivitate verò mox Zorobabel Joachimi Nepos, aliique Duces usque ad Machabæos imperarunt. Et licèt Machabæi Stirpe Levitica nati essent 1. Machab. cap. 2. iisque ad Herodem usque, hoc est annis centum sexaginta quinque Judæi paruissent, semper tamen Sceptrum, & Ducatum penès Judam fuisse dici potuit; *tùm* quia nomine Judæ totus populus Judaicus, præsertim post Babilonicam captivitatem appellatus est; pauci enim illi, qui ex aliis Tribubus rediere, omnes in unam Tribum Judam cooptati insitique sunt, & ideo Malachiæ 3. *vers.* 4. & 1. Machabæor. 1. *vers.* 5. Judas pro omnibus Judæis accipitur, totam Palæstinam incolentibus: *tùm* quia jus eligendi, habendique Regis à Deo Judaicæ Tribui, ac Stirpi Davidicæ attributum, confirmatumque à Populo post schisma decem Tribuum transferri non potuit, semperque penès Judaicam Tribum mansit, ad quam etiam Urbs, & Regia Metropolis Jerosolyma videlicet pertinebat. Tribus ergo Juda Machabæos Religione, ac virtute militari insignes sibi in Duces elegit, ùt videre est Machabæor. 1. 19. & 14. Sicut ergo Imperium penès Romanos erat, quamvis non Romanum, sed Thracem, aut Hispanum Principem elegissent, & Regnum penès Polonos, quamvis Gallum, aut Transilvanum, non Polonum ad Regnum vocassent; ita de Tribu Juda sentiendum est; ut taceam Machabæos materno genere ex Tribu Juda oriundos fuisse, quæ sæpe cum Levitica Tribu conjugia miscebat, quod aliis Tribubus vetitum lege erat. Quòd verò Scaliger, paucique alii Criticorum velint, Herodem non alienigenam, sed verè Judæum fuisse, quòd videlicet Judaicam Religionem amplexus, sicque capax Imperii esset, vix refutationem meretur. Sicut enim Persa, aut Indus,

qui

qui Christianam fidem in Gallia, aut Hispania suscepit, non ideò desinit Persa, aut Indus esse, multoque minùs jura Gallorum, aut Hispanorum consequitur, cùm Religio animum, non statum politicum, aut patriam mutet: Ita Herodes suscepta Judæorum Religione, non ideò Allophylus, & Ascalonita esse desiit, nec jure ad Regnum soli Tribui Judaicæ destinatum, sed bello, tirannide, ac Romanorum potentia pervenit. Imò Proselythi ne in Synedrium quidem, hoc est, Senatum admittebantur, quantò minùs in Regnum, & ideo Patres omnes Herodem alienigenam fuisse tradiderunt; & quod præcipuum est, Josephus ipse rerum omnium, quæ tunc gerebantur, optimè conscius id ipsum disertissimè tradit *Lib. 14. Antiquit. cap. 11. & 27, 28. & lib. 1. de Bello Judaico cap. 5.*


Hic ergo Herodes Ascalonita meritò inter pessimos mortalium semper habitus est: Nam ut libidines, rapinas, perfidiam, Sacrilegia, tyrannidem, & alia taceam, crudelitatis inexplebilis, & immanissimæ fuit, ut optimè de illo dicas, quod olim de Tiberio. *Lutum extitisse humano sanguine maceratum.* Totam Machabæorum Stirpem ferro delevit, Cognatos, Uxorem, Socrum, Patruum, filiosque sustulit. Jam moriturus promiscuam nobilissimi cujusque cædem mandavit, ne lacrimæ suo funeri deessent. Denique nihil ei ad summam crudelitatem præter Deicidium abfuit; & Deicidium quoque voto commissum est, jugulatis quatuordecim infantum millibus. Meminerunt hujus cædis non tantùm Sacri Scriptores, verùm etiam Ethnici, inter quos Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 4. *Cùm audisset Augustus, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum esse, ait: meliùs esse Herodis porcum esse, quàm filium.* Et tamen hunc quoque sceleratissimum omnium, & cui nemo mortalium quidquam boni precatus esset, Deus quoque clementissimè vocavit tribus ex Æthiopia, Arabiaque missis ad eum Regibus, à quibus edoceretur adventum Messiæ inditio novæ Stellæ, quæ illos tanto tempore, & per tot spatia terrarum prodigiosè duxerat.

Anno Domini 363. Valens fratris sui Valentiniani permissu Imperium Orientis adiit, fuitque hujus Imperatoris memoria semper Ecclesiæ funesta ob hæresim Arianam toto orbe promotam, qua nulla crudeliùs, majorique damno in Religionem grassata est. Episcopos in exilium pellere, Ecclesias incendere, legatos Orthodoxorum flammis absumere, omnia vastare, Valentis facinora, & Victoriæ erant: idque tanto furore, & barbarie actum, ut ipsi gentiles, præsertim Themistius Philosophus monerent, damnarentque, Populus verò nihil frequentiùs, magisque clamaret, quàm *incendium, & rogum Valenti*, & eventus voto respondit. Is in Gothos exercitum ducens, Isacium Monachum obvium habuit, qui ùt Theodoretus narrat lib. 4. cap. 30. libera voce Valentem increpans: *Quò*, inquit, *proficisceris Imperator, qui auxilio Dei, contra quem bellum geris, prorsus destitutus es? Desine tu bellum contra eum facere, & ipse bellum contra te commotum sedabit. Redde gregibus optimos pastores, & victoriam reportabis. Quodsi omnibus his neglectis, bellum suscipias, neque ipse reverteris, & exercitum amittes.* Imperatore velut fatuum aspernante, ac aliquantùm progresso; iterum Isacius occurrere, eademque minari. Sed neque tunc auditus, alio itinere Valentem tertiò aggreditur, quo primùm turbato, quod aliquid humano majus suspicaretur; deinde ira incenso, Isacius in vicinam foveam luto spinisque horridam mittitur. Sed inde ope Angeli expeditus, quartò Valenti se offert, vultuque flagrante, ac manu in frænum injecta eadem repetit: *Nec*, inquit, *reverteris, & exercitum, teq; insuper perditum ibis.* Cui Cæsar: *Revertar, & te interficiam, falsæq; prædictionis pœnas abs te repetam.* Et Isacius: *Eneca, si quid falsi me dixisse deprehenderis.* Ita discessum, ac paulò post infœliciter cum Gothis pugnatum, Romano exercitu fuso, Valente in fugam acto, ac posteà in proxima domo, qua se abdiderat, flammis absumpto. Jam dicant mihi, qui de clementia Dei duriùs sentiunt, quàm oportet; quid, inquam, excusando Valenti superfuit; aut quid ampliùs exigere à Deo potuit, ne periret? Monuit per Basilium Episcopum Cæsareensem, qui miracula verbis adjecit, ut effica-

ciùs moveret; monuit per Trajanum inſignem bello ducem, cujus egregia ſunt illa ad Cæſarem verba: *Non ego Imperator victus ſum, ſed tu ipſe prodidiſti victoriam, qui contra Deum pugnare non deſinis, itaque ejus auxilium Barbaris concilias*. Monuit per Gratianum Auguſtum, qui repetitis nuntiis non ceſſabat rogare, non priùs ſigna conferret, quàm ſecum copias junxiſſet. Monuit denique per Monachum compertæ, vulgatæque Sanctitatis, & ideo dignum, cui fides haberetur; Nec una tantùm, ſed multa importunaque monitione: periit ergo Valens, quia perire omnino voluit, Deo quamvis, ne periret, omnia moliente; voluit ergo Deus, vocavit Deus, pulſavit Deus, opportunè, importunè inſtitit Deus, ſed noluit Valens. Idem de aliis peccatoribus dicas, quibus auxilia dantur non æquè omnibus nota, ùt Valenti; at certè nunquam parca, & ſemper valida.

Anno Domini 363. cecidit Julianus Imperator Apoſtata cœleſti manu, ut ab omnibus creditum eſt, interfectus. Nolo illius flagitia, Apoſtaſiam videlicet, ſacrilegia, tyrannidem, immanitatem, beneficia, adeò ut evocandis manibus, futuriſque cognoſcendis puerorum, fœminarumque cadaveribus (quorum viſcera ſcrutabatur) ac ſanguine caveas impleret. Hæc, inquam, quippe comperta ſilentio tranſmittam. Illud tantùm commemorabo, quanta Deus benignitate, quantaque patientia laboraverit Principi tam ſcelerato, ſuæque Divinitatis hoſti ad mentem, ultimoque exitio revocando. Ut enim taceam Gregorii Nazianzeni, Baſilii, aliorumque Sanctiſſimorum Epiſcoporum curas, & monita, ac præſertim maniſeſtiſſima de Cœlo prodigia, quibus continuò pulſabatur, Sacerdotibus videlicet ad præſentiam Chriſtianorum ſubitò collabentibus, ſtatuis Cæſaris, quas in templum collocarat, fulmine deletis, globis flammarum è terra prorumpentibus, cùm templum Jeroſolymis reparare moliretur, crucibus in victimarum extis ſacrificanti oſtenſis, & trecentis aliis. Quis verò non ſtupeat Dei bonitatem, cùm iſta nil proficerent, voluiſſe illis ipſis incantationibus, auſpiciis, maliſque artibus, & ſacrificiis, quibus Deum irritabat, ad eum monendum, retinendumque uti, ne in exitium rueret? Audi, quid de illo Chryſoſtomus, Ammianus, ali que ſcribant, cùm ultimam ejus in Perſas expeditionem narrant. Verba Chryſoſtomi ſunt teſtis oculati oratione in Gentiles: *Quòd autem Imperator fulmine (quo Daphnitium templum conflagraverat) percuſſus non fuerit, cauſam reperies ex eodem bonitatis, & benignitatis Dei fonte manantem. Neque hoc ſolum, neq; primum virtutis ſuæ ſignum Chriſtus dedit, ſed, & alia item multa hoc ipſo non inferiora, quæ in ipſis caſtris, tum quæ in urbibus evenerunt, hujuſmodi fuere, ut vel ſaxeam animam flectere poſſent: nam quæ edebantur miracula per ſeſe talia erant, ut ad eorum, qui ea cernerent emendationem aliud alio non egeret*. Ammianus verò: *Calendis Januariis aſcendente eo gradile Genii templi è ſacerdotum conſortio quidam cæteris diuturnior, nullo pulſante, repentè concidit, animamque inſperato caſu efflavit*. Et iterum: *Iiſdem diebus nuntiatum eſt Juliano per litteras Romæ ſuper hoc bello libros Sibyllæ conſultos, ùt juſſerat, Imperatorem eo anno diſcedere à limitibus ſuis aperto prohibuiſſe reſponſo*. Et iterum: *Quieta nocte emenſa, manè jumentum quo veheretur ex uſu popoſcit, oblatuſq; ei equus, Babylonius nomine, ictu torminis conſternatus, dum dolorum impatiens volvitur, auro, lapilliſque ornamenta diſtincta compreſſit*. Et iterum lib. 24. Complures hoſtias Marti parabat ultori, & ex Tauris pulcherrimis decem ad hoc perductis nondum aris admoti voluntate ſua novem procubuere triſtiſſimi, decimus verò, qui defractis vinculis ægrè reductus eſt, mactatus ominoſa ſigna monſtravit; quibus viſis exclamavit indignatus acriter Julianus, Jovemque teſtatus eſt, nulla ſe Marti jam ſacra facturum. Et iterum: Cùm nihil humani proficerent ſenſus diu fluctuantes, & dubii, extructis aris, cæſiſque hoſtiis conſulta Numinum ſciſcitabamur; ſed extis inſpectis, nihil certi reſpondebatur. Ac tandem lib. 25. Ipſe Julianus ad ſollicitam, ſuſpenſamque quietem paulisper protractus, cùm ſomno, ùt ſolebat, depulſo ad æmulationem Cæſaris Julii obſcuræ noctis altitudine ſententiis cujuſdam Philoſophi teneretur, vidit ſqualidiùs ſpeciem illam Genii publici, quam, cùm Imperium adiret, con-

conspexerat in Galliis, velata cum cornucopia, per aulæa tristiùs discedentem. Relictoque humistrato cubili, adulta jam nocte Numinibus per sacra depulsoria supplicans, flagrantissimam facem cadenti similem aeris parte sulcata evanuisse existimavit, horroreque perfusus est, quòd tam apertè minax Martis apparverit sidus. Confestim ergo ante lucis primitias Hetrusci Aruspices accersiti, consultique, quid astri species portenderet nova: Vitandum esse cautissimè responderunt, ne quid tunc tentaretur, orabantque saltem aliquot horis profectionem differri. Cùm ergo Julianus nec per Sanctos Episcopos, nec per miracula, nec per Dæmones quidem, & impiissima sacra monentem Deum audiret, justissimè tandem permissum est, ut accepto, nescio cujus manu in pugna vulnere vitam finiret. Audi Theodoretum Lib.3. cap.20. Ex improviso vulneratus Martem incusabat, quòd auxilium minimè tulisset; Apollinem, quòd falsa vaticinatus esset; Jovem fulminantem, quòd in suum interfectorem fulmen non torsisset. Feruntque porrò simul ac plagam acceperat, manum protinus sanguine implevisse, illumque projecisse in aerem, ac dixisse: *Vicisti Galilæe*. Nicephorus projecto in altum sanguine exclamasse his verbis dicit: *Saturare Nazarene*. Cui hanc Catastrophen rerumque seriem consideranti, non continuò in mentem veniat verissimè à Dionysio Areopagita dictum esse: *Deus etiam à se aversos, ac resilientes, amatoriè sequitur, ac deprecatur ne pereant. Observandum hic est, Auctorem morbo correptum extremam manum huic narrationi imponere haud potuisse.*



§. IV.

Orationem etiam peccatoris, cùm illa petit, quæ ad vitam æternam consequendam necessaria sunt, semper exaudiri, sicque in peccatoris potestate esse, etiam gratiam illam efficacissimam, & triumphatricem orando impetrare.

SUMMARIA.

I. *Quid sit efficacia gratiæ triumphatricis, fusè, multisque ex Augustini testimoniis exponitur.*

II. *Qua ratione voluntas humana præter objecti propositionem à Deo physicè juvetur, ac etiam promoveatur.*

III. *Orationem efficacissimum, certissimumque medium esse, quo etiam peccatores gratiam illam specialem, ac triumphatricem assequi possint, ubi distinctio peccatoris ad bonum conantis, & non conantis.*

IV. *Probatur ex Sacris Litteris, juxta Patrum expositionem.*

V. *Ac etiam ex ratione.*

VI. *Qua ratione sint intelligendæ Scripturæ, cum dicunt, non exaudiri peccatores.*

UT quæ dicturi sumus, intelligas, simulque liquidò constet, quid sit illa efficacia, & energia gratiæ triumphatricis, quæ difficultatem omnem expugnat, altiùs repetenda res est.

I. Sciendum igitur, naturæ humanæ innatum esse quoddam, intensumque, ac ferè perpetuum gaudendi desiderium: quod enim in appetitu sensitivo, brutisque animantibus delectationem, hoc in homine, & appetitu rationali gaudium vocamus. Cujus quidem rei, ùt notat Aristoteles, superfluum est, causas quærere, tùm quia per se notæ sunt, tùm quia primæ causæ frustra alia causa inquiritur: at talis est dele-

ctatio, & gaudium, nam si ex mercatore quæras, cur velit navigare? respondebit, ut Indias teneat: cur Indias petere? ut aromata, & margaritas comparet, cur ista comparare? ut cariùs in Europa vendat: cur cariùs vendere? ut dives fiat: cur dives fieri? ut bene sibi sit: cur bene sibi esse? ut gaudeat, lætamque vitam agitet: cur lætari, & gaudere? hic tacebit, putabitque, id stultè quæri, cùm per se notum sit, nullamque aliam causam habere possit, quod omnium humanarum operationum est prima, & ultima causa; sicut enim nemo hominum est, qui non velit bene sibi esse; ita nemo, qui non velit gaudere: hoc enim ex illo sequitur. Volunt alii hoc delectationis, & gaudii perenne desiderium infirmitatem esse ex culpa originali natam, sicut infirmitas Leonis est, semper febri, sitique ardere. Alii ex densa quadam, tetraque fuligine cor humanum obsidente, quæ nisi dilatatione cordis ventiletur, evoletque, hominem suffocet; hanc verò dilatationem gaudio fieri, ùt experientia testatur, docetque eleganter Sanctus Thomas 1. 2. *quæst.* 3. *articul.* 1. Alii, quòd voluntas non possit satis fortiter, intensèque velle, quantùm videlicet ad operandum sufficiat, nisi movente aliquo delectabili; sicut nec oculus satis videre, nisi movente aliquo lucido; nec intellectus satis firmiter assentiri, nisi movente principio aliquo evidenti: hoc ergo esse bonum delectabile voluntati, quod venatico cani odorem feræ, quo solo inter tot alios aromatum, florumque odores ad insequendum, currendumque abripitur, *cùm id, quod agendum est, ceperit non latere, nisi etiam delectet, & ametur; non agitur, non suscipitur*, inquit Augustinus, Libro de Spiritu, & Littera *cap.* 3. Sed vera hujus rei causa est, quòd hominis voluntas velle non possit, nisi aliquod bonum: consecutio verò boni causa est gaudii, ùt videre est apud S. Thomam 1. 2. *quæst.* 31. *art.* 1. Sed cùm omne bonum creatum nullo modo satiare, aut implere possit infinitum hominis desiderium; (omnia enim bona creata guttæ tantùm sunt immensi illius boni, cujus anima capax est; gutta verò magnam sitim non satiat, sed potiùs auget) hinc est perpetuus ille gaudendi æstus, voluntate alia semper & alia cupiente, & in orbem eunte, cùm nec obtenta satient, & in novis meliora sperentur. Audi Augustinum L. b. 4. Confess. cap. 11. *Ecce illa discedunt, ut alia succedant, & omnibus suis partibus constet infima universitas.... Quidquid per carnem sentis, in parte est, & ignoras totum, cujus hæ partes sunt, & delectant te tamen: sed si ad totum comprehendendum esset idoneus sensus, velles, ut transiret, quidquid in præsenti existit, ut magis tibi omnia placerent; nam, & quod loquimur, audis, & non vis utique stare syllabas, sed transvolare, ut aliæ veniant, & totum audias; plùs enim delectant omnia, quàm singula, si possint sentiri omnia.* Vide etiam Angelicum Doctorem 1. 2. *quæst.* 32. *art.* 2. ubi ostendit, motum esse causam delectationis. Ex hac etiam gaudendi cupidine sequitur, ut cùm voluntas habere vera bona non possit, quibus gaudeat, fallacia vel imaginando, vel sperando fingat, eo ferè modo, quo cùm Imperatorem videre non licet, ejus tamen imagine, aut statua delectamur; & cùm dormienti palatia, convivia, & læta occurrunt, si expergiscaris, somniare iterum cupis, ac jucunda illa, quamvis ficta redire. Sic in theatris nemo ignorat, falsa esse, quæ luduntur, & tamen placent. Idem de bonis speratis; ista enim cùm absentia sint, & incerta, multò majorem libertatem animo relinquunt, ea sibi persuadendi, fingendiq; quæ oblectent; & cùm omnia simul, ac velut densato agmine speranti occurrant; multò sæpè, fortiùsq; animum movent, quàm præsentia, & exhibita, quippe plerumque aut minuta, aut infra votum; ut reverà mortalem vitam æstimanti appareat, plus sperando futura, & falsa; quàm præsentia, & vera possidendo homines lætari. Vide S. Thomam 1. 2. q. 32. a. 3.

Cæterùm non tantùm de corporalibus, verùm etiam spiritualibus bonis gaudium esse, imò istud longè majus, & intensius nasci, dubium non est, idque experientia patet: quis enim non malit cæcus, quàm brutum esse, hoc est oculo, quàm intellectu carere? at oculos corporeæ, intellectus spiritualis delectationis instrumentum, & minister est; quòd verò plures corporeis delectentur, vitium est, non natura.

Vide

Vide S. Augustinum *Lib. 14. de Civitate Dei cap. 14.* & S. Thomam 1. 2. qu. 31. art. 5. ubi: *Si comparentur delectationes intelligibiles spirituales delectationibus sensibilibus corporalibus, sic secundùm se, simpliciter loquendo delectationes spirituales sunt majores. Et hoc apparet secundùm tria, quæ requiruntur ad delectationem, scilicet bonum conjunctum; & id cui conjungitur, & ipsa conjunctio: Nam ipsum bonum spirituale est majus, quàm corporale bonum, & est magis dilectum, cujus signum est, quòd homines etiam à maximis corporalibus voluptatibus abstinent, ut non perdant honorem, qui est bonum intelligibile. Similiter etiam ipsa pars intellectiva est multò nobilior, & magis cognoscitiva, quàm pars sensitiva, Conjunctio etiam utriusque est magis intima, magisque perfecta, & magis firma. Intimior quidem, quia sensus sistit circa exteriora accidentia rei, intellectus verò penetrat usque ad rei essentiam. Perfectior autem, quia conjunctioni sensibilis ad sensum adjungitur motus, qui est actus imperfectus: unde & delectationes sensibiles non sunt totæ simul, sed in eis aliquid pertransit, & aliquid expectatur consumandum, ut patet in delectatione ciborum, & sonorum: sed intelligibilia sunt absque motu, unde delectationes tales sunt totæ simul. Est etiam firmior, quia delectabilia corporalia sunt corruptibilia, & citò deficiunt, bona verò spiritualia sunt incorruptibilia, & ideo dicit Philosophus 10. Ethicorum capite 7. & 8. quòd maxima delectatio est secundùm operationem sapientiæ.* Cùm ergo tanta sit hominibus gaudendi cupido, ut malint non vivere, quam vitam degere omnis prorsus delectationis expertem; sicque tota peccati illecebra sit dulcedo, & oblectatio peccandi: tota verò difficultas virtutis, quòd non delectet; hinc est, ut juxta constantem, ac millies repetitam S. Augustini sententiam, tota gratiæ triumphatricis virtus, & efficacia in eo posita sit, ut ostendat, & delectet, sicque peccandi dulcedinem alia, majorique dulcedine vincat. Infinitus sim, si omnia ex Augustino producam; unum tantùm, alterumve sufficiat: Nam Lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. *Ipse est*, inquit, *cui fideliter, veraciterque cantatur: prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: & quid hic aptiùs intelligitur, quàm ipsa cupiditas boni? tunc enim bonum concupisci incipit, cùm dulcescere incipit. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus, quod præcipit nobis, in qua si nos non prævenit Deus, non solùm non perficitur, sed non inchoatur ex nobis.* Et in illa Ioan. 6. *Erunt omnes docibiles Dei. Videte, quomodo trahat Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo; ecce quomodo trahit: erunt omnes docibiles Dei, trahere Dei est.* Et Tract. 26. in Joan. *Magna gratiæ commendatio, nemo venit ad Patrem, nisi tractus; quomodo ergo voluntate credo, si trahor? ego dico: parùm est voluntate, etiam voluptate traheris; quid est trahi voluntate: delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porrò si Poetæ dicere licuit: trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio; quantò fortiùs nos dicere debemus, trahi ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita? An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur: Torrente voluptatis delitiarum tuarum potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ? Da amantem, da desiderantem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem, da talem, & scit, quid dicam; si autem frigido loquar, nescit, quid loquar . . . . Ista ergo revelatio, ipsa est attractio: ramum viridem ostendis ovi, & trahis, illam, nuces puero demonstrantur, & trahitur; & quod currit, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista, quæ inter delitias, & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est: trahit sua quemque voluptas; non trahet revelatus Christus à Patre? Quid enim fortiùs desiderat anima, quàm veritatem?* Et Lib. 2. contra Faustum cap. 28. *Si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret.* Et Serm. 17. de Verb. Apost. cap. 3. elegantissimè hæc

ha-

habet: *Amanda est justitia, & in hac justitia amanda gradus sunt proficientium. Prius est, ut amor justitiæ præponatur omnibus, quæ delectant. Quid est, quod dixi? ut inter omnia, quæ delectant, plus te delectes ipsa justitia; non ut alia non delectent, sed prius ipsa delectet. Justitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes. Constituamus ante oculos exemplum certaminis. Interrogo, utrum ames justitiam? respondebis, amo; quod non responderes veraciter, nisi te aliquatenus delectaret; non enim amatur, nisi quod delectat; delectare in Domino, Dominus autem justitia est. Non enim tibi fingere debes Deum, quasi idolum, quod vides. Invisibilibus similis est Deus, & ea, quæ in nobis sunt meliora, quæ sunt invisibilia. Melior est fides, quàm caro; melior est fides, quàm aurum, quàm prædia, quàm familia, & ista omnia videntur, fides non videtur. Habes duos servos, unum deformem corpore, alium pulcherrimum; sed illum deformem fidelem, alterum infidelem. Dic mihi, quem plùs diligas? & video te amare invisibilia, quid enim, quando plùs amas servum fidelem, licèt corpore deformem, quàm pulchrum infidelem, an errasti, & fœda pulchris præposuisti? utique non, sed pulchriora fœdis præposuisti. Interrogasti oculos carnis, & quid tibi renuntiaverunt? ille pulcher est, ille fœdus; repulisti eorum testimonium, & præposuisti servum fidelem, & non servum pulchrum. Quid fide pulchrius? quid infidelitate deformius? ergo præ omnibus voluptatibus, hoc est, delectationibus etiam licitis amanda est justitia. Ecce delectat te aurum tuum, oculos tuos delectat; metallum enim est pulchrum, fulgentissimum, non nego; nam si pulchrum negavero, Creatori injuriam facio. Venit ergo tentator, & dicit tibi: Tolle sibi aurum, nisi dixeris falsum testimonium, si autem dixeris, adde tibi. Decertant in te duæ delectationes; modo te interrogo, quid præponas, quid te plùs delectet, aurum, an veritas? aurum, an verum testimonium? Longum est, per singulos corporis sensus excurrere, sed quod de oculis dixi, hoc de cæteris intelligite, & præponite delectationi carnis delectationem mentis: Carnem quippe vestram delectant illicitæ voluptates; mentem vestram delectet invisibilis, pulchra, casta, sancta, canora, dulcis justitia, ut non ad eam timore cogamini; si enim ad eam timere cogimini, nondum delectat; peccare non debes, non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Quando enim peccabatis, & delectabamini in peccatis vestris, timor vos adducebat ad peccandum, an suavitas peccati? respondebitis suavitas. Ergo ad peccatum suavitas adducit, & ad justitiam timor impinget? probate vos, inspicite vos; tollat aurum, qui minatur, suavior est justitia, lucidior est justitia. Sic ergo, sic amanda est justitia, quomodo amata est iniquitas? absit, ut sic, sed & utinam vel sic. Ergo plus? plus omnino. In iniquitate secutus es voluptatem, pro justitia tolera dolorem, & hoc est plùs. Parùm est, ut contemnas, quidquid te delectabat, contemne, quidquid terrebat, contemne carcerem, contemne vinculæ, contemne mortem, hæc vicisti, & justitiam invenisti. In utroque gradu amatores justitiæ vos probate. Invenimus forsitan aliquos, qui præponant justitiæ delectationem; qui autem pro illa pœnas, dolores, mortemque contemnant, putas est aliquis in vobis? omne gaudium existimate Fratres, cùm in tentationes varias incideritis: quid addi potest, ut opus perfectum habeatur? amat, ardet, fervet, calcat omnia, quæ delectant, & transit: venit ad aspera, horrenda, truculenta, minacia; calcat, frangit, & transit: ò amare! ò ire! ò sibi perire! ò ad Deum pervenire! sic armandus est amator justitiæ, sic armandus est amator invisibilis pulchritudinis. Sed prius Fratres mei plangite, quod eratis, ut, quod nondum estis, esse possitis, hoc enim, quod loquor, magnum est. Et unde nobis magnum, unde nobis? audite: omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Inde est, quod nondum habemus bonum; non habetis? petite, & accipietis. Examinet se ergo omnis homo, & quidquid in se boni invenerit, quod pertineat ad justificationem nostram, agat gratias illi, qui dedit, & ab illo petat, quod nondum dedit. Non enim tu in proficiendo proficis, & ille in deficiendo deficit; quantumlibet capaces fauces, capacem ventrem efferas, fons vincit sitientem.* Et denique ad Simplicianum Lib. 1. q. 2. *Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo complectitur*

ſtitur aliquid, quod eum non delectat? aut quis habet poteſtatem ut vel occurrat, quod eum delectare poſſit, vel delectet, cùm occurreris? Cùm ergo nos ea delectant; quibus proficimus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu noſtro, aut induſtria, aut operum meritis comparatur.

Ex his omnibus Auguſtini teſtimoniis clariſſimum eſt, nullam aliam ab eo gratiam effectricem cognitam eſſe, quàm quæ *illuſtrando*, & *delectando* intellectum ſimul, & voluntatem expugnet; idque jure merito: Cùm enim homo, ut peccare velit, aut ignorantia, aut dulcedine creati alicujus boni adducatur, gratia, quæ facit, ut peccare non velit, non aliter id aſſequi poteſt, quàm ignorantiam contraria luce, voluntatem contraria voluptate vincendo, agendoque, ut appareant, quæ priùs latebant, ut delectent, quæ priùs non delectabant; ſic enim tota radice, & illecebra peccati ſublata, ignorantia videlicet æterni veri, ac amore fallacis boni, tam non poteſt eſſe voluntas peccandi, quàm non poteſt effectus eſſe ſublata cauſa. Quæ tamen non ita intelligenda ſunt, quaſi ſuavitas, & delectatio illa, quam gratia inſpirat, omnem penitus aut in voluntate, aut in appetitu ſenſitivo difficultatem, & repugnantiam deleat: ſicut enim non ideo dantur militi arma, ut nullum hoſtem, aut pugnam habeat, ſed ut pugnando hoſti prævaleat; ita gratia non ideo homini datur, ut omni difficultate careat, ſed ut ipſam difficultatem ſuperet, luctandoque coronam mereatur, hoſte quidem victo, ſed nunquam planè debellato juxta illud Apoſtoli ad Rom. 7. *Condelector quidem Legi Dei ſecundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia DEI per JESUM Chriſtum Dominum noſtrum.* Hæc ergo eſt illa gratia, quam Auguſtinus mirabilem, *ineffabilem*, *efficaciſſimam*, *invictam*, *omnipotentiſſimam*, *indeclinabilem*, *inſuperabilem*, *triumphatricem*, & denique, ac frequentiſſimè *congruam* appellat; hoc eſt, talem, tamque flectendæ voluntati accommodatam, ut nunquam non flectat, & vincat, ſive, ut ipſe loquitur: *Quæ facit de nolente volentem, quæque à nullo corde reſpuitur.* Neque id mirum videri debet; voluntas enim non appetit niſi aliquod bonum; neque fugit, & averſatur, niſi aliquod malum; ſi ergo impudico proponatur caſtitas non ſolùm ut bonum, ſed etiam ut magnum bonum, magniſque præmiis donandum, nec cum Dei auxilio difficile (ut revera non eſt) impuritas verò non ſolùm ùt res vana, brevique ceſſatura, verùm etiam ùt maximum malum, & graviſſimis pœnis tùm æternis, tùm temporablibus obnoxium; voluntas hanc averſabitur, quia propoſitam inſtar maximi mali; illam verò amplectetur, quia propoſitam inſtar maximi boni: hoc enim eſt voluntati bonum, & malum, quod lanci majus, minùſque pondus; ſicut ergo majus pondus lancem ad ſe trahit, ita majus bonum voluntatem: nam quòd voluntas pro ſua libertate minus bonum majori præponat, ideo eſt, quia majus bonum non conſiderat (quæ ipſis quoque Angelis cauſa peccandi fuit, teſte Angelico Doctore) conſiderat verò minus bonum, quippe & à ſenſibus, & pravis habitibus, & ab experientia, & à potentia imaginativa pictrice omnium maxima veraciſſimè propoſitum; ſicut ergo parva ſcintilla magis urit; quàm magnum incendium, non quia major, ſed quia vicinior; ita aliquod bonum ſæpe voluntatem plùs movet, non quia majus, ſed quia notius. Si ergo Deus bonum honeſtum tam clarè, cùmque omnibus illecebris, & deliciis ſuis voluntati objiciat, ut ſenſus appetitui ſolet, dubium non eſt, amaturam voluntatem, & in amplexum ruituram. Et hæc eſt gratia, de qua loquitur Auguſtinus, ea videlicet, quæ pulchritudinem boni honeſti tam aflabrè voluntati depingit, ut rapiat in amorem.

Id Auguſtinus *Lib. de Corrept. & Grat.* eleganti exemplo Eſtheræ Reginæ oſtendit, de qua cùm ad Regem exorandum ingrederetur, ita loquitur Scriptura cap. 15. *Illa autem roſeo colore vultum perfuſa, & gratis, ac nitentibus oculis ingreſſa cuncta per ordinem oſtia ſtetit contra Regem, ubi ille reſidebat ſuper ſolium Regni ſui indutus veſtibus regiis auroque fulgens, & pretioſis lapidibus, eratque terribilis aſpectu. Cùmque elevaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet,*

Re-

Reginæ corruit, & in pallorem colore mutato lassa super ancillulam reclinavit caput. Convertitque Deus spiritum Regis in mansuetudinem, &c. Ubi observa, Reginam quamvis pulchram ornatamque, non tamen flexisse animum Regis, imò potiùs asperasse, quòd non vocata intrasset; flexisse autem pallidam, exanguem, & in deliquium, sinumque ancillæ collapsam; quod ergo non forma, non roseus color, non regius ornatus potuit, id pallor, & deliquium potuit; & cùm Deus ad vincendum barbari Regis animum posset venustate uti, maluit languore: una ergo, eademque Regina fuit, & valida, & exanguis, sed uno modo regium animum movit, alio non movit. Idem libero arbitrio contingit, de quo Augustinus ad ad Simplicianum Lib. 1. q. 2. *Alius sic, alius autem sic movetur ad fidem; eademque res sæpe, alio modo dicta movet, alio modo dicta non movet, aliumque movet, alium non movet.* Hoc ergo est voluntati bonum, quod pulchra facies videnti; trahit enim, non cogit, quia trahit amantem, sicque de nolente volentem facit. Quid minùs ad amandum dispositum erat, quàm Assueri animus furore incensus? amavit tamen pulchra facie ex adverso micante, ac instar Solis tanto dulciùs flagrantis, quantò propriùs occasum. Si ergo tanta vis pulchritudini creatæ, cur non major increatæ, si voluntati quantumvis aversæ offeratur? An quod potest scintilla, non possit incendium? nam revera nihil aliud est forma creata, quàm scintilla increatæ. Verum quidem est, unam, eademque veritatem, unum idemque bonum jam valere, jam non valere inflammando amori; imò sæpe minus bonum efficere, quia meliùs propositum, quod majus non potuit; sicut in humano vultu minus pulcher est pallidus, quàm roseus color, & tamen in placando Rege ille prævaluit; quid ergo mirum est, idem quoque in vertenda voluntate contingere, Deo ita faciem veri, bonique ostendente, ut placeat, & vincat? De Cleopatra refert Historia, tantùm ejus formæ lenocinium fuisse, ut neminem intuentem non caperet, & ideo non aliter cum illa Augustum, quàm dejectis in terram oculis locutum esse. Quid de Phryne Græcarum formosissima dicam, quæ capitis damnanda, cùm flammeum removisset, quo faciem velaverat, adeò Judicum animos pulchritudine rapuit, ut omnium votis absolveretur? Et de Helena refert Aristoteles *Lib. 2. Ethic. cap. 9.* Sæpe à Trojanis de illa Græcis restituenda in Senatu decretum esse, sed quoties causam dictura Prætorium intrasset, adeò illius venustate omnium animos perculsos esse, ut mutata sententia extrema pati, quàm reddere illam mallent. Si ergo in commovendis, versandisque in omnem partem animis tanta vis est creatæ formæ, quanta erit formæ increatæ? quod potuit lutum, non poterit Cœlum? quod potuit Helena, non poterit gratia, cùm tamen, ut optimè dixit Augustinus; *incomparabiliter pulchrior sit veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum?* Unicornem quamvis indomitum visa Virgine mansuescere, & in genua procumbere, Elephantem natura mitem aspectu purpuræ in rabiem agi, vertique in fugam certissimum est. Quid ergo mirum, aliquid esse, quod etiam voluntatem, si ostendatur, certissimè in aliam mutet? ostendere verò ad gratiam pertinet.

Quid de cantu, & Musica dicam? Quanta illi in ciendis, volvendisque affectibus potentia est? Alexandrum jam in furorem, jam in socordiam, utcumque vellet Timotheus cantu agebat. Saulus cytharæ lusu mœrore, & insania levabatur. Theodosium Magnum Antiochenos delere parantem, quòd ejus statuam evertissent, Flavianus Episcopus adeò cantu demulsit, ut convivanti lacrymæ in poculum caderent, jube rètque continuò rebellibus parci. De se ipso Augustinus lib. 9. Confess. cap. 6. *Quantùm flevi in Hymnis, & Canticis tuis suavè sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Sed omnia superat, quæ de Erico 11. cui nomen boni, Daniæ Rege Olaus Magnus, Crantius *Lib. 5. Daniæ*, & Saxo Grammaticus *Lib. 12.* narrant. Verba Saxonis sunt: *Apud Ericum cognomine bonum Daniæ Regem, Citharœdus quidam haud ignobilis admirabiles, & propè stupendos artis suæ commendabat effectus maximèque illud ipsum, quod in humanos sensus, mentesque*

que obtineret imperium. Rex verborum novitate perculsus, qui neque tantam vim musicæ arbitraretur, continuò hominem artis suæ specimen edere jubet, & torpentes animos ad furorem Martium, si posset, accendere. Annuis ille, & nequa nocendi ausa daretur, arma omnia ex aula efferri præcipit, Custodesque in atrio collocari, quo furentes, si qui fortè in insaniam agerentur, compescerent. Dictum, factum. Tum illa, qua plurimùm pollebat, cantandi peritia primùm quidem inusitatæ severitatis concentum edidis, quo stupore quodam, & mœrore omnium, quotquot aderant, Auditorum mentes cernebantur oppressæ. Deinde adeo suaves, & mellitos cantus effudit, ut toti iactatione corporis intemperantem proderens lætitiam. Tandem vero ubi acrioribus modulis intonare cepit, continuò totis tectis fremere, tumultuari, arma, & gladios inclamare. Nec mora, accurrunt Custodes, ut Regem cum aliis furentem contineant. Sed ille effractis atrii foribus, arrepto ense, quatuor transfodit, & ùt actus in rabiem taurus totis bacchatur ædibus: Vix tandem pulvinarium, & lectulorum mole undique oppressus contineri potuit. Postquàm menti restitutus est, relicto Procuratore Regni Filio Ierosolymam expiandorum homicidiorum per pios cruciatus gratia profectus est, atque in Cypro defunctus. Quòd si quæras, unde in animi affectus tantùm Musicæ imperium? dari alia ratio non potest, quàm soni, aerisque per sonum concitati ad spiritum animalem proportio, quidamque Magnetismus, & occulta Sympathia; juxta enim proportionem soni, aerisque vibrati, necesse est, moveri phantasiam, humoresque corporis, aut crispari, aut densari, aut rarefieri, accendique ex motu verò phantasiæ, humorumque, ac præsertim spiritûs animalis agitatione alios, aliosque affectus in anima concitari: nam, ut ait Augustinus lib. 10. Confess. cap. 33. *Omnes affectus spiritus nostri pro sui diversitate habent proprios modos in voce, atque cantu, quorum nescio qua occulta varietate excitantur.* Et Athanasius Kircherus in sua Musurgia lib. 7. fol: 552. *Latent in singulis rebus proportiones quædam, quarum concursu omnes rerum exoticæ operationes conficiuntur, quorum proportionum si quis perfectè rationem nosset, is haud dubiè maxima naturæ miracula in suscitandis animi passionibus vi musica efficere posset: si quis igitur harmoniam accomodare posset, ut spiritus eodem prorsus modo, quo harmonici numeri moverentur, is intentum effectum produceret haud dubiè.*

Si ergo in mollienda, flectendaque voluntate tanta vis cantus, quantò major vis gratiæ? Et si ad eam superandam tantùm valet proportio soni, quantò magis valebit proportio, & cognitio boni, quod proprium illius objectum est? An verò poterit peritus musicus reperire sonum, quo certissimè affectum moveat, & non poterit Deus reperire objectum, quo certissimè voluntatem in aliam mutet? Aut anima magis cantui subditur, quàm veritati?

Paria de vi, & efficacia persuadendi, hoc est, eloquentia occurrunt: Possunt enim argumenta aliqua tam clara esse, tantaque facundia proponi, ut continuò & intellectum, & voluntatem capiant, subdantque veritati: ut bene de Eloquentia cecinerit Horatius lib. 3. Ode 11.

Tu potes Tigres, comitesque silvas
Ducere, & rivos celeres morari,
Cessit immanis tibi blandienti
Janitor Aulæ,
Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter, saniesque manet
Ore trilingui.

Et Tullius *Lib. 2. de Orat. Tantam vim habet omnium Regina rerum Eloquentia, ut adversantem, & repugnantem, quò velis, inducat, deducat, unde velit.* De Cleopatra Ægypti Regina narrat Dion lib. 42. *Tantum in ejus verbis fuisse leporem, ut quisquis illam loquentem audiret, amore concideret.* Scribit Laertius, Palæmonem solutissimis moribus juvenem aliquando semiebrium, meretricio cultu, floribus, & unguentis sparsum Scholam irrupisse, dum Xenocrates de Temperantia diceret: sic verò illius argumentis, & eloquentia captum, ut deliciis, amoribus, ornatuque posito adeò pudicus, sobrius, sibique dissimilis evaderet, ut passim ab omnibus ob morum gravitatem *Tonus Doricus* audiret, & ne à cane quidem rapido morsus vultum, aut colorem mutaret. Simile aliquid de Diogene refertur: cùm videlicet Juvenem quendam obvium ha-

habuisset ob recentem in Ludis Olimpicis victoriam triumphantem, palma, coronaque insignem, ac ingenti plaudentium turba circumfusum, quæ ovantem deducebat, interrogasse: quæ tanti apparatus, & causa tripudii? eoque respondente, ob florem Græcæ Juventutis à se in lucta superatum; Diogenem intulisse: quos ergo vicisse te gloriaris; fortiores, pares, an imbecilliores te viribus erant? non fortiores, aut pares; alioquin victi non essent; imbecilliores ergo: at vicisse imbecilliores, quæ tandem gloria est, aut quis non possit? quin potiùs omissa hac virium pugna, quibus te bestiæ vincunt, quasque & morbus, & senium carpent, ad sapientiam, moresque componendos te vertis, perpetua tui gloria, & bono? Nec mora, pudore suffusum juvenem palma, corona, turbaque omissis Philosophum induisse. Scribit in Atticis Bellariis *Pontanus par. 2. cap. 16.* Fuisse Chinensem, qui Regi suo persuaserat, repertum à se pharmacum, quo fieret immortalis; poculum verò in Aulam allatum quendam ex Amicis involasse, hausisseque, quem cùm Rex nudato ferro invaderet, hoc Dilemmate furentem stitisse: aut, inquit, potio illa immortalem facit, aut non facit? Si facit, frustra mihi necem intentas; si non facit, ergo deceptus es, nec mortem mereor, qui te hac fraude liberavi. Tam clara visa argumentatio, ut ferrum Princeps reconderet, dolumque intelligeret. Missi à à Menia Milites, qui Antonium cæderent, cùm jam gladios strinxissent, vibrassentque, adeò illius oratione fracti, ut sideratis, ac stupentibus similes re infecta ad suos redirent. Si ergo in ducenda, volvendaque voluntate tanta vis est verbo humano, quanta erit Verbo divino? potest Philosophus verba, & argumenta reperire; quibus intacta libertate voluntatem pleno cursu ruentem, non tantùm sistat, verùm etiam in oppositum vertat, & non poterit Deus? Plùs dabimus Oratori, quàm Creatori? plùs verbo in aure, quàm in mente sonanti? Nihil ergo aliud est triumphatrix ista gratia, de qua loquimur, quàm oratio, & Rhetorica D E I humanam voluntatem alloquentis, & alloquendo in quamcunque partem voluerit, persuadentis. Nec mirentur, si dicimus, posse Deum argumenta, & rationes invenire, quibus certissimè quamcunque etiam obluctantem voluntatem expugnet, cùm id Diogenes, Tullii, Autonii, Cleopatræ, Xenocrates, aliique potuerint. *Liquefacta est anima mea, cùm dilectus locutus est*, inquit aliqua, quæ amat: hoc ergo est cordi duro Verbum Dei, quod metallo est ardor ignis; liquescunt igni metalla, & non liquescent corda Dei Verbo? Fac ærea, fac adamantina esse, ad hunc ignem solventur. Quòd si in magno hoc Mundo dicente Deo facta sunt omnia, nihil novi, aut insoliti est, si dicamus, etiam in Mundo minori, hoc est, homine dicente Deo, fieri omnia. Quid qualitates prædeterminantes, hoc est, quid arietes, & machinas, & vocabula quærimus, nec in Scripturis, nec in Patribus audita quatiendæ ac debellandæ voluntati, cùm pro omnibus machinis unum Dei Verbum, nutusque sufficiat? Dixit, *Fiat lux*, & facta est lux; *fiat Cælum*, *fiat Mare*, factumque est Cœlum, & Mare: cur non etiam dicente illo, fiat in voluntate amor, non fiet amor? fiant lacrymæ, fiat castitas; non fient lacrymæ, & castitas? Ergo ut aliquando concludam: Deus, qui dicendo fecit Mundum ex nihilo, dicendo quoque facit justum ex peccatore (nam & peccatum nihil est) & hoc ipsum ita dicere, ut fiat, est gratia Dei, quam prædicamus, & quam semper docuit Augustinus; qui verò aliter explicant, aliterque sentiunt; pace illorum dixerim: nec satis cum Augustino conveniunt, nec tantum Deo in anima loquenti tribuunt, quantùm Dei verba merentur. Fixum ergo, ratùmque sit, nihil aliud ex sententia Augustini gratiam effectricem esse, quàm *cognitionem congruam*, hoc est, quæ tale, tamque proportionatum objectum, talique modo proponat, ut ad illud amplectendum voluntas Magnetismo, & Sympathia quadam certissimè moveatur. Nulla igitur tam fortis, & adversa, aut ex vitio, aut ex natura inclinatio, nulla vis insolitæ consuetudinis, quæ victrici huic gratiæ non planè succumbat, sive confestim, unoque velut impetu, ut in Paulo, & Magdalena: sive ut plerumque contingit, paulatim, & longo velut bello voluntatem submittat. Si enim domari arte,

te, contraque naturam Ursos, Leones, aspides videmus; quis dubitet, posse domari gratia etiam voluntatem quamvis aversam, & repugnantem? An verò plùs arti, quàm gratiæ dabimus? quæ tamen & ipsa nihil aliud est, quàm ars quædam Dei providentis. Quòd si nemo tam avarus est, qui non furto abstineat metu præsentis Judicis, & à quo supplicium præsens expectet; nemo tam impatiens amoris, qui non temperet, si corruptam peste, aut lepra amicam intelligat; nemo tam inimicus, qui non vindictam omittat, Principe ipso rogante, & Regnum pollicente; si nulla, inquam, cupiditas est tam magna, & princeps, quæ majori spei, aut metui non cedat; quantò magis nulla cupiditas, nulla consuetudo, nullumque vitium erit, quod timori omnium maximi, & certissimi mali, ac spei omnium maximi, & certissimi boni non continuò cedat, gratia utrumque validissimè intellectui proponente? Hæc ergo est gratia illa victrix, quam, ut cordis humani potiatur, impedire nihil potest, & de hac dictum est: *Nihil est, quod tuæ possit resistere voluntati, si salvare decreveris Israel*, *Esther.* 13.

II. *Dices*: Voluntas hominis est intrinsecè, ac physicè impotens ad actum supernaturalem, v. g. amoris, veræque contritionis: at per solam propositionem objecti, sanctasque inspirationes & illustrationes (quæ tantùm moraliter movent) non potest physicè fieri potens, debet ergo fieri talis non solùm per objecti propositionem hactenus à nobis explicatam; sed per aliquam qualitatem ordinis supernaturalis (in iis præsertim peccatoribus, qui habitum charitatis nec dum adepti sunt) quam qualitatem Theologi *physicam prædeterminationem* vocare solent. Rursus bonitas objecti, quamvis clarissimè, ac vivacissimè propositi, extra visionem beatificam voluntatem relinquit indifferentem, & indeterminatam ad amandum, & non amandum; debet ergo præter cognitionem objecti aliud principium effectivum admitti, à quo determinetur, neque enim dici potest, voluntatem indeterminatam à se ipsa determinari; cùm enim ea determinatio sit res creata, debet subordinari, & dependere à causa prima, ejusque influxu, non tantùm in genere naturæ & potentiæ, verùm etiam in esse agentis, & quoad ipsam actualem causalitatem.

Resp. Nec nobis, nec aliis quibuscùmque rem bene, citraque affectum, & privatum in partes studium consideranti bene explicandi gratiæ efficacis rationem probari posse. *Primò* enim quæro, an in S. Augustino hanc qualitatem prædeterminantem aliquando repererint, aut non repererint? si repererunt; locum aliquem Augustini ostendant; at nunquam ostenderunt, nunquam ostendent. Si verò nunquam repererunt; quæ rogo fiducia est, in explicanda natura gratiæ scire aliquid meliùs velle, quàm sciverit Augustinus? aut velle quærere & invenire, quod tanto studio, tanto ingenio, tantaque oratione nunquam Augustinus invenit? Quod argumentandi genus multò validius contra illos est, qui tantoperè Augustino gloriantur, nec patiuntur aliquid in hac causa dici, non ab Augustino acceptum. Nec opponant, gratiam efficacem ab Augustino *omnipotentissimam*, *indeclinabilem*, &c. vocari, quæ elogia non videntur cadere in causam merè, unicèque moralem. Nam suppositum, quo utuntur, incertissimum est; quàm multi enim etiam ex nobilissimis Thomistarum sunt, qui docent, ab objecto, ejusque oblata bonitate non moraliter tantùm, sed etiam physicè moveri voluntatem, ut oculus à colore, ejusque speciebus, utque in Divinis Verbum physicè spirat amorem? *Deinde*, quid opus rixis, & callivationibus, est; cùm ipse Augustinus verborum suorum optimus interpres, toties ac tam disertè mentem suam explicaverit, eo videlicet modo, quem ex clarissimis, & quàmplurimis ejus testimoniis suprà ostendimus. Vocat ergo *omnipotentem*, non eo sensu, quem Gonetus, aliique obtendunt, sed quia omnia potest: *invincibilem*, quia omnia vincit: *indeclinabilem*, quia omnia superat: *triumphatricem*, quia omnia expugnat. *Secundò*. Qualitas illa prædeterminans tot difficultatibus implicatur; ut faciliùs Nodum Gordium, quàm illas exsolvas, ut passim apud Theologos videre est. Sicque Ænigma Prædestinationis alio Ænigmate non tam explicant, quàm obscurant: Ænigma

ma enim Ænigmati additum, sicut obscurum obscuro additum, non facit rem clariorem, sed facit magis obscuram; ut taceam alia mille, quæ ne à doctissimis quidem hactenus intellecta sunt, & nec forsan ab eorum Auctoribus.

Nec obstant, quæ opponuntur: Voluntas enim multis modis citra physicam prædeterminationem fit physicè potens ad operandum: nam quoad *specificationem*, hoc est, ut potiùs amet, quàm odio habeat, redditur potens, & determinatur à bono, & objecto supernaturali, quod per suas species in voluntatem agit, inclinatque instar ponderis. Rursus fit potens per concursum simultaneum; sicut equus fit potens ad trahendum currum per rotam, sine qua equus non posset; jam verò supra notavimus, hoc esse gratiam voluntati, quod rotam, & machinam currui. *Denique*, & principaliter, ad actùs supernaturales fit voluntas potens per voluntatem illam, & Decretum Dei æternum quidem, sed in tempore operans, quo Deus vult hic, & nunc voluntatem Petri potiùs amare, quàm non amare. Hoc verò est illud stabile, fixumque Dei propositum, quod toties Apostolum, & Augustinum legenti occurrit. Quod Decretum licèt formaliter indifferens, quippe liberum, & causa actus liberi, est tamen eminenter, & virtualiter determinatum, & ideo potest esse causa effectus determinati: nam quod est eminenter tale, idem potest, quàm quod est formaliter tale. Ita Sol eminenter calidus æque manum calefacit, ac etiam objectum corpus inflammat, ac ignis, qui est formaliter calidus: & lux eminenter colorata æque objectum colorat, & tingit (ut in nubibus, & iride, vitroque trigono videre est) ac coccus, & cinabarum, quæ sunt formaliter colorata. Idem dicas de voluntate humana, quæ licèt omnibus omnino tam ex parte objecti, quàm ex parte Dei spectatis sit formaliter indifferens, quippe libera, est tamen eminenter, & virtualiter determinata, cùm se ipsam determinare possit, utpote suorum actuum Domina; potest ergo ab illa quamvis indeterminata effectus determinatus prodire: Si enim à principio non calido potest calor procedere, & à principio non colorato potest effectus coloratus; cur non à principio indeterminato effectus determinatus? Cùm ergo quæris, quis determinet voluntatem indeterminatam? Respondeo: ipsam voluntatem, dependenter tamen à Causa prima, à qua & virtutem se determinandi accepit, & concursum quoque simultaneum, & consequenter à qua non tantùm quoad esse, verùm etiam quoad operari dependet. Si ergo voluntas hominis, ejusque determinatio, & operatio à primo Operante, primaque Causa dependet, eique subordinatur; cessant omnia absurda, quæ huic nostræ sententiæ opponuntur: nihil enim aliud à Causa secunda exigi potest, quàm ut in esse, & in operari, in ipsaque sui determinatione à Causa prima dependeat, quamvis à Causa prima non prædeterminetur: præsertim si consideres, in voluntate operante nihil esse, quod non verè, propriéque causetur à Deo. In voluntate enim, cùm v.g. amat, nihil aliud est, quàm potentia voluntatis, & ipse actus amoris, qui actus solus voluntatem determinat, (nec datur media alia determinatio inter actum, & voluntatem, ut aliqui sibi imaginantur, alioquin eundum esset in infinitum) at tam ipsa voluntas, quàm ipse actus voluntatis à Deo est, tanquam à causa: concursus enim simultaneus est vera causa amoris, omniumque actuum, qui à voluntate procedunt. Et planè voluntatem à nullo alio, quàm à se ipsa determinari (dependenter tamen à causa prima, ut modò explicatum est) apertissimè docet S. Thomas. Sic enim loquitur in 2. Distinct. 39. quæst. 1. art. 1. *Ipsa potentia voluntatis, quantùm in se est, indifferens est ad plura, sed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinatè, sed ab ipsa voluntate.* Et q. 3. de Malo art. 3. ad 3. *Voluntas cùm sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, scilicet per consilium rationis, nec oportet, hoc esse per aliquod agens extrinsecum.* Et 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. Ubi proposita quæstione, an voluntas moveatur à Deo sicut exteriori principio respondet: *Deus movet voluntatem hominis sicut universalis Motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum* (tribuendo ei videlicet naturalem inclinationem, & determinatio-

nem

nem ad solum bonum, sicut gravibus ... trum) *& fine, hoc universali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum; sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum; sicut in his, quos movet per gratiam*. Vides clarissimè docere S. Thomam, excepto speciali casu gratiæ voluntatem creatam à se ipsa, non à Deo determinari. Quod si omnino velis, voluntatem creatam ab increata determinari, moverique, istud quoque in sano sensu verissimum est; Illud enim propositum, decretumque divinum, quo Deus voluit, ut Petrus hic, & nunc amaret, & quo statuit, in hunc finem tales ei gratias dare, quibus ad amandum moveretur, hoc inquam, divinum Decretum verissima causa est, ut Petrus amet, & ad amandum determinetur. Quamvis enim hujusmodi Dei Decretum sit formaliter indifferens, ideoque libertati humanæ accomodatum, est tamen virtualiter, & eminenter determinatum, & ideo potest effectum determinatum producere modo, quem paulò antè insinuavimus. Et hæc ipsa ratio est, ut in hujusmodi Decreto suo, simulque humana voluntate velut in causa Deus futurum Petri amorem certissimò prævideat: Cùm enim Deus & suam, & hominis voluntatem perfectissimè comprehendat, comprehendit quoque cognoscitque omnes effectus ab utraque profecturos: hoc enim ipsum est causam comprehendere, nihil videlicet in ejus sinu esse, nihil ex ea futurum, quod cognoscentem lateat; quod præsertim de intellectu infinito verum est, qui se ad omnem speciem, & conditionem veri extendit; At etiam futura vera sunt, præsertim quia si futura non cognoscerentur, ideo esset, quia non sunt præsentia? at sunt præsentia, & coexistunt æternitati, sicut minimum centrum coexistit toti, maximoque circulo, quæ perpetua est S. Thomæ sententia 1. *p. q.* 14. *a.* 13. *& contra Gentes cap.* 67. Et alibi sæpè. Planè cum Sacra Scriptura nihil de modo dicat, quo Deus voluntatem humanam movet, ac futura contingentia cognoscit (quod etiam fatetur Augustinus Lib. 8. *in Gen. cap.* 21. & alibi frequenter) dicat verò frequentissimè, millies que repetat: *Deum velle omnes salvos fieri; relinquere hominem in manu consilii sui: expectare, ut facias uvas, & non labruscas: stare ad ostium, & pulsare, ut si quis aperiat, ad eum intret*. Cùm, inquam, ita se res habeat, mirum est, si quis contra regulam Augustini ista certissima propter illa incertissima neget. Quando ergo Angelicus Doctor alicubi dicere videretur, voluntatem hominis à Deo determinari, alibi verò contendit, non determinari nisi à se ipsa; ea ratione intelligendus est, quam modò exposcimus. Si ergo quæras, cur Decretum divinum, quod indifferens est ad amandum, & non amandum, causet potiùs amorem, quàm non amorem? Respondeo, idem quæri posse, cur Decretum divinum, quod indifferens est ad creandum Mundum *A*, & Mundum *B*; potiùs creet Mundum, *A*. quàm Mundum *B*; Causa ergo est, quia ob infinitam & illimitatam perfectionis suæ plenitudinem voluntas divina ita formaliter est indifferens, ut eminenter sit determinata. Taceo importunam, & superfluam quæstionem esse, cùm quæritur, cur voluntas divina hoc potiùs, quàm illud velit, aut causet; hoc enim ipso, quod est causa prima, nullam aliam causam habet; & ideo tam absurdè illud quæritur, quàm absurdè quæreretur, cur linea sit potiùs longa, quàm lata, & cur centrum sit potiùs in medio, quam à latere circuli?

Hic etiam observandum est, Deum ad executionem Decreti illius sui, quod modò descripsimus, mutandaque hominis voluntatem, nulla qualitate opus habere, quæ voluntati inhæreat, eamq; determinet; sed solo nutu, efficaciaque suæ voluntatis id totum præstare: Quæ enim mutatio major cogitari potest, quàm cùm Deus materiam primam tot formis cœlestibus, & sublunaribus ornavit, & quando lutum anima rationali, vitaque instruxit? At solo nutu voluntatis suæ, nullaque intermedia, qualitate velut instrumento id fecit; quantò ergo magis eodem modo, eademque ratione mutare voluntatem poterit? Cùm enim tota virtus agendi, quantu qualitati illi attribuis, à Deo sit, & in Deo eminenter contineatur, sequitur, solum

Deum fine illa præstare posse id totum, quod illa potest; sicut quia tota potestas jus dicendi in Judice delegato est à Principe delegante, sequitur, solum Principem sine omni delegato posse judicium exercere, ac sententiam ferre; quod Theologi volunt, cùm universim docent, posse Deum supplere omnem virtutem causæ effectivæ non vitalis. Mutatur ergo voluntas in genere causæ effectivæ, & à Deo & à se ipso in genere causæ finalis à bonitate proposita; in genere verò causæ formalis ab amore, aliove actu, quem elicit, recipitque.

III. His ergo notatis, cùm suprà copiosè probatum sit, gratiam petendi, orandique nulli peccatorum negari, superest, ut ostendamus hanc ipsam orationem certissimum, & infallibile medium esse, efficacissimam hanc, & triumphatricem gratiam, præsertim verò finalis perseverantiæ à Deo impetrandi. Et quidem justos quod attinet, nihil in Sacris Litteris aut frequentiùs, aut clariùs exprimitur, quàm eorum orationem, quoties petunt, quæ ad vitam æternam spectant, certissimò exauditum iri. Quòd cùm passim in Scripturis occurrat, & potissimum sit, non est, ut hic fusiùs expendatur. De oratione tantùm peccatoris quæstio est, de qua dicimus, si fiat, ut oportet, esse quoque efficacem, semperque exaudiri; non quidem per viam *meriti*, cùm hoc dignitatem postulantis supponat; sed per viam *impetrationis*, quæ sola Dei misericordia, Christique infinitis meritis nititur. Observandum tamen est, duo esse genera peccatorum: Alii enim sunt, qui nihil minùs, quàm de peccatis deserendis cogitant, & instar mancipiorum, quæ libertatem prætio vendiderunt, catenas suas, & compedes amant. Istorum verò orationes non tantùm non efficaces, verùm etiam ingratas Deo esse, quippe temerarias, & impudentes, palàm est, sæpeque in Scripturis expressum. Quid enim inverecundiùs, quàm si beneficia, & gratias à Principe petas, quem non tantùm offendis, verùm etiam deinceps offendere statuisti, palamque professus es? Insultantis hæc oratio est, non postulantis: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis.* Prov. 28. & Isaiæ. 1. *Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ plenæ sanguine sunt.* Talis fuit oratio Judæ, talis Antiochi Regis, de quo Machabæorum 9. *Orabat hic scelestus Dominum, à quo misericordiam non esset consecuturus.* Alii sunt peccatores, qui peccant quidem fragilitate naturæ, aut impetu cupiditatis velut torrente abrepti, qui & peccatum agnoscunt, & sub jugo gemunt, cupiuntque servitutem, & catenas exuere, nec tamen possunt, & ideo divinum auxilium, & gratiam constanter implorant, quorum oratio illa est, quam dicimus, à Deo infallibiliter exaudiri.

IV. Primò enim *Matth. 7.* universaliter dicitur: *Omnis, qui petit, accipiet.* In quæ verba Autor Operis Imperfecti Homil. 18. *Sive justus, sive peccator sit.* Et Luc. 11. *Dico vobis, etsi non dabit, quia amicus est, propter importunitatem tamen surget, & dabit, quidquid habet necessarium.* Ubi vides importunitatem, hoc est, assiduitatem precandi æquari, imò præferri debito, jurique amicitiæ; adeò ut quod amico negari potest, negari non possit importunè roganti. Ex quibus Evangelii verbis colligit etiam S. Basilius in *Constitut. Monast. cap. 1. Peccatores impetrare, quod petunt, si perseveranter petant,* Et *Luc.* 18. Publicanus orando indulgentiam obtinet: quo exemplo S. Augustinus Tract. 44. in Joan. arguit illius cæci verba, dicentis: *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit.* In quæ verba Augustinus: *Cæcus adhuc innuctus loquitur, nam & peccatores exaudit Deus; si enim peccatores Deus non exaudit, frustra ille Publicanus diceret: Deus propitius esto mihi peccatori.* S. Hieronymus quoque *Epist. ad Damasum de Filio prodigo*, docet, si peccator jam spe ac desiderio filius Dei sit, non absurdè in oratione Dominica dicere: *Pater noster*, nam & filius prodigus, *Luc.* 15. nondum reconciliatus dicit se indignum, qui filius vocetur, tamen Patrem appellat, cùm ait: *Pater peccavi in Cælum & coram te.* Et S. Chrysostomus Homil. 56. de diversis: *Non tam valet amicitia apud Deum, quàm oratio, & quod amicitia non perficit, id perfectum est ab oratione.* Idemque confirmat S. Gregorius in Psalm. 6. Pœnitentialem (si tamen

hoc

hoc opus Gregorii est) exemplo Jonæ Prophetæ: *Clamavit Ionas ad Deum de ventre Ceti, de altitudine maris, de profundo inobedientiæ, & ad aures Dei oratio illius pervenit, qui eum eruit à fluctibus, eripuit à bestia, absolvit à culpa. Clamet & peccator, quem à Deo recedentem cupiditatum tempestas contrivit, quem malignus hostis absorbuit, quem præsentis sæculi fluctus involvit agnoscat, se esse in profundo, ut ad Deum sua perveniat oratio.*

Sed omnium luculentissimè Angelicus Doctor. 2. 2. q. 83. a. 16. in C. & ad 2. *In Peccatore duo sunt consideranda, scilicet natura, quam diligit Deus, culpa, quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit; in quantum peccator, id est, secundùm desiderium peccati* (v. g. iracundus vindictam, avarus injustum lucrum) *in hoc à Deo non auditur ex Misericordia; sed quandoque auditur ex justitia ad vindictam, dum Deus permittit peccatorem adhuc amplius ruere in peccata; Deus enim quædam negat propitius, quæ concedit iratus, ut dicit Augustinus, Orationem verò peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit non quasi ex justitia, quia peccator hoc non meretur; Sed ex pura Misericordia; observatis tamen quatuor præmissis conditionibus, ut videlicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseveranter .... Peccator quidem non potest orare; quasi ejus oratio ex habitu virtutis informetur; potest tamen ejus oratio esse pia, quantùm ad hoc, quod petit aliquid ad pietatem pertinens, sicut ille, qui non habet habitum justitiæ, potest aliquid justum velle. Et quamvis ejus oratio non sit meritoria; potest tamen esse impetrativa; quia meritum innititur justitiæ, sed impetratio innititur gratiæ.*

Exempla quoque in sanctis litteris abundant: Achabi Regis, 3. *Reg.* 21. Manassis 2. *Paralip.* 33. Nabuchodonosoris, *Daniel.* 4. Debitoris mille Talentorum, *Matth.* 18. Filii prodigi, *Luc.* 10. Jonæ Prophetæ *c.* 2. & 3. Publicani, *Luc.* 18. Denique quod olim nomine rebelium Judæorum Daniel, id omnes peccatores dicere ad Deum possunt? *Inclina aurem tuam Deus meus, & audi: neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Daniel. 9. 18.

V. Et planè id ipsum *ratio* convincit: Indignum enim est divina, infinitaque Clementiæ creaturam, ac filium repellere ejus auxilium & protectionem implorantem. Nec obstat, peccatorem indignum venia esse. Præterquàm enim quòd jam dignus aliqua ratione videatur, cùm cupit, & conatur contra naturæ suæ impetum peccato obsistere, quæ voluntas, & conatus sine gratia Dei esse non possunt; ubi verò Dei gratia, ibi jam aliqua dignitas est. Ut inquam, de hoc sileam, illud præterea observandum est juxta doctrinam Angelici, orationis efficaciam, & virtutem impetrandi non merito, & dignitate postulantis niti, sed Dei misericordia, Christique infinitis meritis; sicut ergo merita Christi, Deique misericordia peccatores non excludit; ita nec eos excludit vis, & efficacia impetrandi toties in Sacris Litteris promissa. Non ergo quæritur, quid mereatur peccator, sed quid Deum, ejusque Bonitatem deceat; non autem decet, ut filium repellat ejus genua complectentem, ejusq; non amplius offendendi gratiam implorantem. Quid enim justiùs, Deoque gratius peccator petat, quàm ne illum offendat? quis verò credat, sibique persuadere possit. Deum justa, & grata petentem non exaudire? Planè si nullus tam durus est, qui naufragium passo, & tum undis luctanti, opemque poscenti, manum non porrigat: & si Areopagus dignum morte Senatorem censuit, qui passerem sinu excussit, in quem se condiderat, milvo persequente; quanto minùs credendum erit, divinam Bonitatem creaturæ suæ, filioque facturam, quod nemo cum naufrago, nemo cum passere faciat. *Deinde* nisi Deus etiam peccatores exaudiat, tota ferè oratio etiam justorum invalida redditur: Anima enim orationis est certa fiducia impetrandi juxta illud Apostoli: *Postulet autem in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento circumfertur; non ergo æstimet homo ille, quid accipiet.* Jacobi 1. Et ideo S. Doctor 2. q. 83. a. 2. docet. *Orationem habere vim merendi à charitate; efficaciam verò impetrandi à fide & fiducia.* Et S. Bern. *Serm.* 3. de Annuntiat: *Sola spes apud te Domine miserationis obtinet locum, nec oleum misericordiæ nisi in vasa fiduciæ ponis.* At si oratio peccatorum virtutem impetrandi certam non habet; sequitur, etiam justorum orationem, paucissimis exceptis,

ficacem non fore? Quotus enim quisque est, qui sine ulla hæsitatione nihilque dubitans credere possit, se justum esse? cùm potiùs *nesciat homo, an odio, vel amore dignus sit*. Si ergo orationis efficacia, orantisque fiducia pendet à præsenti justitia, sequitur, ut sicut nemo, paucis exceptis, certus est, se justum esse; ita nemo certam impetrandi fiduciam habere posse, & consequenter nullius etiam justi orationem efficacem fore, quippe destitutam ea fiducia, quæ juxta Apostolum ad impetrandum necessaria est, hoc est, quæ *nihil hæsitat, nihilque dubitat*.

Si ergo Deus, ut demonstratum est, exaudit orationem peccatoris, quoties necessaria ad salutem postulat, sequitur, si peccator gratiam illam efficacem, malæque voluntatis triumphatricem, hoc est, auxilium se emendandi, perseverandique in bono postulaverit, infallibiliter obtenturum. Quid ergo superest peccatori, quod optare ampliùs, aut quo vecordiam suam excusare possit, si pereat, cùm tot illi, tamque copiosa media suppetant, non pereundi? imò cùm clavem acceperit, qua Cœli thesauros, æternæque salutis aperire sibi januam certissimò, & tutissimò possit? Quid enim faciliùs, & promptiùs, quàm petere, quod non habeas? & tamen tam certum est, te petendo accepturum, quàm certum est, Deum id promisisse, & fallere promissa non posse? Si ergo non petas, & ideo non habeas, amabo te: cujus culpa id erit? Dei volentis dare, si petas; an tua petere recusantis?

VI. *Opponet*. Sæpissimè in Sacris litteris exprimitur, Deum aliquorum & contumacium peccatorum orationes non audire, imò eorum preces in peccatum verti. Nam *Thren. v. 8. 42. 44. Sed & cùm clamavero, & rogavero, exclusit orationem meam. Nos iniquè igimus, & te ad iram provocavimus, idcirco tu inexorabilis es. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio*. Et Prov. 1. *Vocavi, & renuistis, & ego quoque in interitu vestro ridebo: tunc invocabitis me, & non exaudiam; manè consurgent, & non invenient me, eò quòd exosam habuerint disciplinam*. Et Jerem. 15. *Si steterit Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum; ejice illos à facie mea, & egrediantur*. Et cap. 7. *Tu noli orare pro populo isto, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te*. Et ad Hebræos 7. *Esau reprobatus non invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrymis inquisisset illam*.

Resp. Sacras litteras, quoties dicunt, Deum non exaudire aliquorum peccatorum orationem, loqui de peccatoribus, vel qui pergunt peccare, nullamque voluntatem emendationis habent, vel qui non pro culpa, peccatoque deinceps cavendo Deum rogant; sed tantùm pro temporali pœna evitanda: Vel de illis, qui non pro se, sed pro aliis rogant; isti enim non semper exaudiuntur; scriptum est enim: *Quidquid petieritis Patrem vestrum, dabit vobis. Vobis*, inquit, non aliis. In quæ verba Augustinus: *Exaudientur, si pro se ipsis petant, non pro omnibus, non enim absolutè dictum est, dabit, sed dabit vobis*. Tract. 102. in Joan. Ea verba: *In interitu vestro ridebo &c.* præter datas explicationes, quas solidissimas esse patet ipsum textum legenti, Beda, & Lyranus intelligunt de die judicii, aut obitæ mortis, quando certum est, nullum ampliùs pœnitentiæ: & orationi locum esse. Illa verò, quæ S. Paulus ad Hæbræos de Esau commemorat, & ex ipso contextu, & ex Patrum interpretatione certum est, non de pœnitentia commissi peccati accipienda; sed de pœnitentia venditæ, amissæque hæreditatis, at primogenituræ, quam nullis lacrymis, nullisque precibus obtinere ampliùs à Patre Jacobo potuit Gen. 27. v. 39.

§. V.

Aphorismi seu Regulæ Asceticæ de Mysterio Prædestinationis.

SUMMARIA.

I. *Explicatio primi Aphorismi.*
II. *Explicatio secundi Aphorismi.*
III. *Explicatio tertii Aphorismi, ubi de spe & timore.*

Apho-

Aphorismus I.

I. *De iis cogitandis, & faciendis sollicitum esse, quæ Deus præcepit, & quibus observatis nemo unquam periit: non verò de iis anxium esse, quæ Deus non præcepit, nec sciri à nobis voluit, quale est Mysterium Prædestinationis.*

Hunc Aphorismum, jam olim docuit S. Gregorius Nyssenus Magni Basilii Frater, qui *Homil.* 1. post Dominicam primam Quadragesimæ circa finem hæc habet; *Noli attendere ad Prædestinationem Dei, quam ignoras: attende ad verba, quæ audis, & intelligis? sicut enim in Prædestinatione verus est Deus, & mutari non potest ita & verba ejus vera sunt, & mutari non possunt. Sed audiamus, quæ sunt verba: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quòd si nolueritis, gladius devorabit vos. Ne quæras aliam Prædestinationem.* Nihil hoc Aphorismo justius, rectæque rationi accommodatius, & communi omnium hominum consensu magis receptum: Quis enim peregrinus, qui in patriam contendat, ex duabus viis non eam eligat, quæ trita, comperta, secura, & qua nemo non ad patriam pervenit? Eam verò relinquat, quæ longissima, impeditissima, inaccessa, & quam quotquot ingressi sunt, aut perierunt, aut maximum pereundi periculum adierunt? Via ad Cœlum est via mandatorum Dei, assiduæque orationis, qua gratiam mandata observandi, in iisque perseverandi à Deo petimus: nemo ad Cœlum non pervenit, qui hac via incessit. Quid profunda judiciorum Dei, quid Euripum Prædestinationis, & voraginem petis, quæ citra naufragium navigari non possunt? Hic Origines, hic Pelagius, hic Calvinus, aliique absorpti sunt; quid sequeris pereuntes? Noli quærere, noli scrutari, sed vive, ut Christianum decet, hoc est, age quod potes, & pete, quod non potes; sic tutus pervenies. Id ipsum in omnibus negotiis humanis, & ab omnibus mortalibus fieri videri. Nemo enim pugnaturus sollicitus est, quid Deus de Victoria prædestinaverit, sed omnem curam in media vincendi vertit, quibus optimè paratis victoriam sperat. Idem de navigantibus, negotiantibus, agriculturam artesque omnes exercentibus dicas. Quantò ergo magis idem vitam Christianam profitentibus faciendum est? videlicet non eis curandum, cogitandumque prædestinati, aut non prædestinati sint, sed ut vitam Christiane instituant; sic enim certissimè de prædestinatis erunt Audi Augustinum egregiè in hanc rem disserentem Lib. de Dono Perseverant. cap. 22. *De ipso cursu vestro bono, rectoque condiscite, vos ad Prædestinationem divinæ gratiæ pertinere. Vos ipsam obediendi perseverantiam à Patre Luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere. Atque hoc faciendo confidere, non esse vos à Prædestinatione alienos, qui etiam hoc, ut faciatis, ipse largitur.* Quoties igitur de Prædestinatione sive tua, sive aliorum, molestæ cogitationes occurrunt, excutiendæ sunt, & animus ad alia divertendus. Quid enim juvat, superfluis, noxiisque occupari? At quid tam superfluum, & vanum, quàm velle cognoscere, quæ Deus voluit ignorari? aut quid tam noxium, quàm imperitum navigandi, nullaque necessitate se illi mari committere, quo etiam peritissimi abrepti, haustique sunt? Vitandum ergo est, quod nocere tantùm, & juvare non potest. Qua de re præclarè Gerson noster philosophatur, peritissimus videlicet rerum asceticarum, vitæque Christianæ Magister: Sic enim in Dialogo de Prædestinatione loquitur, quem scripsit, cùm soluto Concilio Constantiensi insidias Ducis Burgundiæ voluntario exilio in Bavaria declinaret; sic, inquam, in persona Monaci interlocutoris monitum istud illustrat: *Meditatur aliquando (Gerson videlicet) secum conquerens: quid si justo Dei judicio damnandus est? Si reperit indispositum cor suum ad humilem hujus rei considerationem, derelinquit eam, & ad alia se convertit; quemadmodùm fieri consilium est in tentationibus, vel interrogationibus carnalium peccatorum, vel experientiis earum rerum, quæ sunt difficillimæ electionis. Si verò percipit affectum suum Deo proprio tranquillum, humilem, & suavem, sistit*

pededentim tamen, & cautè in hac recogitatione, si fortè damnandus est: Cujus apprehensione nequaquam remurmuras secundùm præsentem affectum, & sensum de Divina Justitia, sed humiliatus dicit: Justus es Domine, & rectum judicium tuum; etiamsi me occideris, tamen in te sperabo. Et conversus ad Dominum cum pio, & humili affectu: scio, inquit, æquissime judex, quoniam damnati te odiunt. At ego, dum interim affectibus illis tam efferis, & blasphemis careo, amo te, qui solus es amabilis: te Justissimum, te amantissimum, te clementissimum judico: quidquid postremò de me futurum ordinaverit voluntas tua; credo, & ore profiteor, quoniam nulla est iniquitas apud te, qui Sanctus es in omnibus operibus tuis. Hic amor gratuitus est, non mercenarius non recurvus, hæc affectio filialis est, imò fidelis Sponsæ, quem amorem, quia Dominus suavis est, non acceptare non potest, quia diligentes se diligit. Beatus, qui ascensiones in corde suo disponens ad hunc gradum penè supremum pervenit.

Aphorismus II.

II. Ita in negotio salutis conatum, & industriam propriam adhibere, ac si nihil à gratia expectares: ita verò in solam Dei gratiam sperare, ac si nihil conatus, & industria tua possent.

Hanc doctrinam à S. Ignatio Societatis JESU Fundatore accepimus, cui admodùm commendata erat; hic verò à S. Augustino didicit, cujus celebre illud axioma est? *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te*, Sicut plerique, qui talem Deum, talemque gratiam cuperent, quæ omnia faceret; hoc est, velis in Cœlum navigare non remis vellent: ipsi non orare, non eleemosynas facere, non hostibus parcere, non cupiditatibus resistere; sed Deo omnia, sibi nihil relinquere. Victoriam ergo sine bello, bravium sine cursu, & præmium sine merito cuperent; perinde ac si clementia esset Deo digna, terram otiosis, Cœlum ignavis replere. Et ideo S. Apostolus, cùm dixisset: *Gratia DEI sum id, quod sum*, ne quis crederet, ita gratiam Dei omnia, solamque præstare, ut nihil humanæ voluntati faciendum superfit; mox adjunxit: *Et Gratia ejus in me vacua non fuit, sed plùs omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum*. In quæ verba Augustinus de Grat. & libero Arbitr. cap. 5. *Nec Gratia DEI sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo*. Id ipsum vel Ethenici agnovere. Narrat Plutarchus in Apophtegmatibus: fuisse quendam, qui pridie, quàm cum adversario confligeret, votis, & Sacrificiis Minervam placavit, acceptoque oraculo, *Deam adfuturam*, lætum, & victoriæ certum arenam intrasse. Sed cùm nec manum ad pugnandum moveret, nec ferrum stringeret Minervæ suæ fiducia, & adversarius interim punctim, cæsimque feriret, conqueri cœpisse: *Ubi est Deorum fides? Nunquid Minerva victoriam promisis?* Cui à Dea responsum: *Tu quoque cum Minerva manum admove*. Cæterùm quidquid in causâ salutis præstare homo potest id planè tam exiguum est, ut omnia gratiæ, nihil industriæ suæ debeat. *Primò* enim nihil potest sine gratia, & illud ipsum parùm, quod agit, à gratia est: Sicut ergo stultus esset, quicumque morbo decumbens spem suam in viperas, & venena (quæ potiùs mortifera sunt) & non in Medicum collocaret, qui novit ex venenis remedia conficere, ita multò stultior, qui voluntati, & naturæ suæ semper ad malum pronæ, non vero gratiæ confideret, quæ sola novit, ex mala voluntate bonam facere. *Deinde* illud ipsum parùm, quod homo cooperando gratiæ facit, si consideretur, quatenus ab homine est, nihil prorsus ad vitam æternam conducit: Quid ergo sperare homo de se possit, cùm nihil possit? ut meritò de humana voluntate, quatenus gratia caret, dicere possis, quod de ligno vitis apud Ezechielem legere est cap. 15. *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna sylvarum? Nunquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus?* Accedit, illum ipsum conatum, & concursum humanæ voluntatis tot aliis imperfectionibus, demeritis, culpisque, vel antecedenter, vel concomitanter admixtum, & inquinatum esse, ut si Deus suposita Misericordia agere tecum ex justitia velit, longè plura reperturus sit, quæ du-

puniat, quàm quæ præmio donet. Imò illa ipsa fiducia tui ex sententia omnium Patrum maximum demeritum, temeritas, & præsumptio est, ac proxima dispositio, ut à Deo relinquaris, & cadas. Quid ergo sperare de bonis operibus tuis tanquam de magnis opibus possis, quando semper plura debes, quàm solvas? *quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ*, *inquit Isajas cap.* 64. In quæ verba S. Macharius Homil. 20. *Omnium Sanctorum opera bona & justitiæ; si separentur à gratia Dei, & accipiantur ut procedentia tantùm ex naturæ lapsæ libero, sed vitiato arbitrio; omnes indigna sunt oculis Dei, & reputantur, ut pannus menstruatæ: Opera enim ex operante æstimat Deus; hic autem operans est homo lapsus, vitiatus, concupiscens, & peccator*. Denique voluntas creata etiam maximis & perfectissimis donis instructa, adeò volubilis, incostans, & infidelis est (quod Luciferi, & Adami exemplis patuit) ut ab illa sperare perseverantiam in bono (sine qua nullum bonum prodest) idem sit, quod sperare perpetuum ab aere serenum, aut a mari malaciam. *Quid est*, inquit S. Gregorius 2. Moral. cap. 22. *quid est homo, nisi folium, quod tentationis vento rapitur, & desideriorum flatibus levatur? Mens quippe humana, quot tentationes patitur, quasi tot flatibus movetur. Hanc enim plerumque ira perturbat: cùm recedit ira, succedit inepta lætitia; Aliquando hanc Superbia elevat, aliquando verò inordinatus timor in infima deponit. Unde bene per Isajam dicitur: Cecidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Quasi ventus quippe nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos pondere in vanam elationem levavit*. Hoc ergo est in seipsum viresque suas sperare, quod sperare in folium. Quod exemplo suo S. Augustinus olim expertus ita in soliloquiis egregiè describit: *Sperabam aliquando in virtute mea, quæ non erat virtus: & cùm sic volui currere, ubi magis stare credebam, ibi magis cecidi, factusque sum magis retrò, quàm ante, Dicebam enim, hoc faciam, illud perficiam; fiebat post nec hoc, nec illud, quoniam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi Domine Rex Pater Cœli & terræ, quoniam in fortitudine sua roborabitur vir, ut non glorietur ante te stulta præsumptio omnis carnis*. Et lib. 6. Confess. cap. 16. *Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recesserit, se aliquid melius habituram. Versa & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies es Domine*. Insigniter quoque à ad Praxim Gerson supra laudatus de hac re disserit. Exponens enim illud Jeremiæ cap. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, & habitabit in siccitate. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus*, ita ratiocinatur: *Mirum fortasse videbitur, quod dicturus sum. Invenire est hominem* (Gerson ipse videtur indicari) *qui quantò pluribus impugnatur tentationibus; quantò renitens eis pluries vincitur, vel in voracitate gulæ, vel in somniculosa dormitatione, & aliis hujusmodi; tantò frequentiùs, certiùs & ideò fortiùs, quia humiliùs in Deum se projicit, de Deo sperat, & confidit. Consul ò quidem, dum nullam in se videt fiduciam resistendi vitiis, neque virtutes & salutem adipiscendi repositam . . . . Sed his occurret trepida cogitatio dicens: qua ratione conabor declinare vitia, servare mandata Dei, virtutes acquirere, sinè quibus sperare vitam jam non spes est, sed arrogans & infidelis præsumptio? conaberis prorsus, sed in adjutorio Altissimi, & millies victus, millies conaberis, eo quidem ampliùs & certiùs, quò nulla tibi superest fiducia de propriis operibus. Ergo dum propria fragilitas objicitur, ut desperes; desperes volo, sed de te, & in te, qui homo & caro es; nam maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Denique spes velut anchora, quo minùs in arenulis fragilibus & fluidis humani auxilii figitur; tantò solidiùs, & certiùs supra firmam petram, quæ CHRISTUS est, defixa stabilitur*.

Aphorismus III.

III. Totam spem suam in Deum reponere, nec minori fiducia vitam æternam ab illo expectare, quàm si unicè à voluntate, arbitrioque suo penderet.

Priùs aliqua observanda sunt, quàm Aphorismum hunc explicemus. *Primò* enim sciendum est, cùm de spe loquimur, nobis de iis peccatoribus sermonem non esse, qui cùm nullum peccandi finem faciant, nullamque curam emendandæ vitæ suscipiant, sperant tamen, se tandem misericordiam obtenturos. Quorum spes non tantùm vana est; verùm etiam temeraria, novoque supplicio digna, cùm ad offendendum Deum, ipso Deo, ejusque infinita Bonitate abutantur; perinde ac si Deus ideo bonus esset, ut ipsi mali sint. Et ideò hanc peccatorum spem, imò præsumptionem mille locis Sacræ Litteræ, Sanctique Patres detestantur. Misericordia enim Dei injusta esse non potest; at quid esset injustiùs, magisque adversum Legibus rectæ Providentiæ, quàm obstinatè & ex proposito malos gratia & præmio afficere? Verum est, id aliquando, & aliquibus accidisse; sed rarissimè ac paucissimis: at quod rarissimè, citraque ordinem contingit, desperandum potiùs, quàm sperandum est; quis enim tam inops mentis, ut sanitatem à veneno speret, & ideo quotidie sumat, quia id aliquando bene Mithridati cessit? aut quis se in mare projici faciat, sperans auxilio Delphini evasurum, quia id semel Arioni factum? Non sperare, sed delirare hoc est. Accedit, misericordiam divinam non debere iis propitiam esse, qui peccatis insistunt; hoc enim ipso, quòd infinita est, sequitur, illi majorem boni & salutis publicæ, quàm boni & salutis privatæ curam esse; at quanta in publicam mala redundarent, si Deus hujusmodi peccatoribus gratiam indulgeret? hac enim non tantùm impunitate, verùm etiam remuneratione, ac facilitate, & fiducia veniæ omnes passim justi, injustique ad peccandum invitarentur, ut optimè dixerit Seneca: *Tam omnibus indulgere crudelitatem esse, quàm nulli.*

Cùm ergo homines ad sperandum excitamus, de iis tantùm hominibus loquimur, qui aut justi sint, aut saltem peccatores quidem; sed tales, qui peccatum agnoscant, illique delendo, divinæque gratiæ impetrandæ eleemosynis, piis operibus, ac præsertim quotidianis orationibus laborent; istis enim sperandam omnino misericordiam esse contendimus. Si enim objectum misericordiæ miseria est, tantò utique major misericordia, quantò major miseria, ut nulla major, quàm peccati; tantoque major, quòd voluntaria; nam si non voluntaria, nec esset peccatum, eoque nec vera miseria. Licèt nec dici omnino voluntaria possit, cui extinguendæ laboratur. Hujusmodi peccatoris statum captivi quidem, sed tamen evadere conantis egregiè in se ipso expressit, descripsitque S. Augustinus Lib. 8. Confess. cap. 11. *Ægrotabam..., & excruciabar accusans memetipsum, & volvens ac versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo exiguo tenebar, sed tenebar tamen. Et tu instabas in occultis meis Domine severâ misericordiâ flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rursum cessarem, & non abrumperetur id ipsum exiguum & tenue, quod remanserat, & revalesceret iterum, & me robustiùs alligaret: Dicebam enim apud me intus: ecce modo fiat, modò fiat. Et cùm verbo jam ibam, jam penè faciebam, & non faciebam, & item conabar, & paulò minùs ibi eram, & jamiamque attingebam & tenebam, & non ibi eram, nec attingebam, hæsitans mori morti, & vitæ vivere, plusque in me valebat deterius inolitum, quàm melius insolitum, punctumque ipsum temporis, quo aliud futurus eram, quantò propriùs admovebatur, tantò ampliorem incutiebat horrorem. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant: dimittisne nos? & à momento isto non tibi licebit hoc & illud ultra in æternum? & dicebat mihi consuetudo violenta: putasne sine istis poteris? aperiebatur autem ab ea parte, quà intenderam faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas continentiæ. Ibi tot pueri, & puellæ; ibi inventus multa, & omnis ætas, & in omnibus ipsa Continen-*

tinentia, *& irridebat me*, *quasi diceret: Tu non poteris*, *quod isti*, *& istæ? an verò isti*, *& istæ in semetipsis possunt*, *& non in Domino Deo suo? Quid in te stas*, *& non stas? projice te in eum*, *noli metuere*, *non se subtrahet*, *ut cadas. Projice te securus*, *excipiet te*, *& sanabit te. Quamdiu*, *quamdiu? quamdiu? cras*, *& cras? quare non modò*, *quare non hac hora finis turpitudinis tuæ?* Planè dum Augustinus ea verba proferret: *Projice te in eum*, *noli metuere*, *projice te securus*, *excipiet te*, *& sanabit te*; cùm, inquam, hæc diceret, adhuc peccato tenebatur, & tamen sperabat, nihilque dubitabat de auxilio DEI, quo deinceps expugnare peccatum posset, & pudicus vivere; non ergo peccatum, cui vincendo per orationem, aliaque pia opera militatur, certam spem, & fiduciam de divina gratia obtinenda excludit. Idque eleganter quoq; Sanctus Thomas expressit 3. *P. in Supplement. q.* 14. *a.* 5. ubi quærens, an bona opera facta extra charitatem sint meritoria, respondet: *Meritum dicitur actio*, *qua efficitur*, *ut ei*, *qui agit*, *sit justum aliquid dare. Sed justum dupliciter dicitur*, *uno modo propriè*, *quod videlicet respicit debitum ex parte recipientis. Alio modo*, *quod respicit debitum ex parte dantis*: *aliquid enim decet dantem dare*, *quod tamen non habens non habet debitum recipiendi*, *& sic justitia dicitur decentia divinæ Bonitatis*, *sicut Anselmus dicit*, *quòd Deus justus est*, *cùm peccatoribus parcit*, *quia eum decet. Cùm autem omnibus illis*, *quæ gratis dantur*, *prima ratio dandi sit amor*, *impossibile est*, *quod aliquid tale sibi debitum faciat*, *qui amicitia caret.*; *& ideo cùm omnia*, *& temporalia*, *& æterna ex divina liberalitate dentur*, *nullus habere potest debitum recipiendi aliquid illorum*, *nisi per charitatem ad Deum*; *& ideo opera extra charitatem facta non sunt meritoria ex condigno*, *neque æterni*, *neque temporalis alicujus boni apud Deum. Sed quia divinam Bonitatem decet*, *ut ubicumque dispositionem invenit*, *perfectionem adjiciat*; *ideo ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera bona extra charitatem facta*, *& secundùm hoc opera ista ad triplex bonum faciunt*, *scilicet ad temporalium consecutionem*, *ad dispositionem ad gratiam*, *& ad assuetudinem bonorum operum.* Circa quæ verba Sancti Doctoris notandum est, bona opera peccatoris vocari *Dispositionem ad gratiam*; ubi verò est dispositio habens necessariam connexionem cum forma, illic quoque est ipsa forma, ùt patet in calore intensissimo, quem semper comitatur forma ignis; at oratio perseverans est talis dispositio, propter promissionem divinam.

Deinde ex eodem Angelico Doctore 1. 2. *quæstion.* 40. *articul.* 8. Sciendum est spem valde conferre ad bene ac constanter operandum, *spes*, inquit, *per se habet*, *quid adjuvet operationem intendendo ipsam. Et hoc ex duobus. Primò quidem ex ratione sui objecti*, *quod est bonum arduum possibile*; *non enim dicitur aliqui sperare minimum*, *quod statim est in sua potestate ut habeat*, *& per hoc differt spes à desiderio vel cupiditate*, *quæ est de bono futuro absolutè*; *existimatio enim ardui excitat attentionem*; *existimatio verò possibilis non retardat conatum. Secundò verò ex ratione sui effectus*: *spes enim causat delectationem*, *quæ adjuvat operationem.* Ex quibus verbis Sancti Doctoris colligitur, dum peccatores ad spem excitamus; nihil aliud nos agere, quam ut illis ad piè ac Christianè operandum stimulos, viresque addamus.

His ergo observatis Aphorismum nostrum testimonio Divi Augustini confirmamus, qui sæpissimè illum tradit: nam Libro 1. de Prædestinat. Sanctor. capite 11. *Sanè*, inquit, *cùm Apostolus dicat: ideò ex fide ut secundùm gratiam firma sit promissio*; *miror*, *homines infirmitati suæ se malle committere*, *quàm firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi*, *inquit*, *de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? tuane tibi voluntas de te ipso certa est*, *nec times? cùm igitur utraque incerta sit*, *cur non homo firmiori*, *quàm infirmiori fidem suam*, *spem*, *charitatemque committit?* Et Lib. 2. de Bono Perseverant. capite 6. *Tutiores igitur vivimus*, *si totum Deo damus*; *non autem nos illi ex parte*, *& nobis ex parte committimus.* Et capite 17. *Ego autem nolo exaggerare meis verbis*, *sed illis potiùs cogitandum relinquo*, *ut videant*, *quale sit*, *quod sibi persuaserunt*, *prædicatione Prædestinationis audientibus plus desperationis*, *quàm exhortationis afferri*;

hoc

hoc enim est dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando suam non in se ipse, sed in Deo didiceris ponere, cùm Propheta clamet: Maledictus omnis, qui spem ponit in homine. Et cap. 22., *Absit autem à vobis ideo desperare de vobis; quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis; bonum est enim confidere in Domino, quàm confidere in homine, quia beati omnes, qui confidunt in eum. Et hanc spem tenentes, servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Hæc, atque hujusmodi, cùm dicuntur sive paucis Christianis, sive multitudini Ecclesiæ; cur metuimus Sanctorum Prædestinationem, & veram Dei gratiam, quæ non secundùm merita nostra datur, prædicare? an vero timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo; non autem desperaret, si eam in se ipso superbissimus, & infælicissimus poneret?* Hactenus Divus Augustinus, ex cujus doctrina palàm est, hominem Christianum non minùs sperare gratiam æternamque gloriam debere, Prædestinatione à divina voluntate pendente, quàm si illa à propria voluntate penderet. Fac enim, in manu tua calamum, & librum esse, quo in numerum Electorum adscribaris; quid tunc amabò ageres? numquid te ipsum forte illa beatissima excluderes? minimè, inquies: cur vero non excluderes? quia me meamque fœlicitatem, inquis, amo. At multò magis te amat Deus, multò ergo magis ab eo, quàm à te sperare illam debes. Si enim amor non ex verbis, sed operibus pensandus est: quantò plura pro te fecit Deus, quàm tu pro te ipso; tantò major illius, quàm tuus amor. Deinde sicut, ut aliquò pervenias, non sufficit, ut ire velis, sed oportet, ut viam perveniendi agnoscas, & eligas; nam frustra est voluntas finis, errore mediorum. Ita ut Beatus sis, non sufficit, ad Beatitudinem eligi, nisi certissima quoque media disponantur, quibus eam obtineas: at in mediorum electione, quoties, quantumque errares, nunquam errante Deo? ergo quomodocunque Prædestinationem consideres, semper tutiùs Deo, quàm tibi spem tuam committis. At, *inquies*, cùm Deus tam multos ad vitam æternam non elegerit, quid si me quoque non elegisset? quomodo ergo securè in eum sperabo, illique meam sortem committam, qui tam multos abjecit? Resp. Multos à Deo electos non esse, quia videlicet mediis ab illo præscriptis uti noluerunt, certum est; at falsum, aliquem electum, vitamq; æternam consecutum non esse, qui eo modo in Deum, ejusque gratiam speravit, quem modò descripsimus. Quid ergo times, tibi speranti eventurum, quod nemini hactenus speranti evenit? *Respicite filii nationes hominum, & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Eccl. 2. In quæ verba eleganter Sanctus Chrysostomus: *Non dixit, justus, sed quis? etsi, inquit, sit peccator. Hoc est enim admirabile, quòd etiam peccatores ancoram hanc spei tenentes sint ab omnibus inexpugnabiles.* Et in Psal. 117. *Dices: ego speravi, & sum pudore affectus. Bona verba quæso o homo, ne divinæ Scripturæ obloquaris. Nam si pudore affectus es, quòd non ut oportuit, speraveris, ex eo quòd cessseris, quòd finem non expectaveris, quod pusillo, & angusto animo fueris. Hoc enim vel maximè est sperare, quando in media mala, & pericula fueris conjectus, tunc erigi:* Nec minùs eleganter Sanctus Bernardus Serm. 9. in Psalm. Qui habitat: *Quidquid agendum sit, quidquid declinandum; quidquid tolerandum, Tu es Domine spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum; sustinere se jactet pondus diei, & æstus; jejunare se bis in Sabbatho dicat; postremò non esse sicut cæteros hominum glorietur; mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Si quid illi impossibile, si quid vel difficile ei est, quære aliud, in quo speres; sed verbo omnia potest, quid faciliùs dictu? an verò de facultate jam non dubitas, sed ipsa tibi est suspecta voluntas? at quando in se speranti defuit illa Majestas, quæ tam studiosè monet, in se sperare, planè non derelinquet sperantes in se; quare? quibus meritis? quia speraverunt in eo: dulcis causa? sed tamen efficax, & irrefragabilis; quis enim speravit in eo, & confusus est?* Et optimè S. Thomas: *Divino auxilio nemo potest nimis inniti.* Verba ipsius sunt 2. 2. q. 2. *Virtus Theologica est circa ipsam regulam primam non regulatam alia regula tanquam circa proprium objectum; & ideo per se, & se-*

secundùm proprium objectum non convenit virtuti theologicæ esse in medio, sicut fides non potest habere medium, & extrema, in hoc, quòd innititur primæ Veritati, cui nullus potest nimis inniti. Et similiter spes non habet medium, & extrema ex parte principalis objecti, quia divino auxilio nemo potest nimis inniti. Cùm ergo duæ sint voluntates ad vitam æternam consequendam necessariæ, divina videlicet, & humana, divinam quod attinet, nunquam de illa satis sperare potes, quia nunquam deesse, nunquam deserere vult, & ideo quantò ampliùs de illa speras, tantò fœlicior. Aliud est de voluntate humana, quæ cùm naturaliter, semperque in defectum propendeat, ideo nihil boni ab ea sperare possis; sicut qui arundini incumbat, casui proximus est, nulla quidem terræ, quippe immobilis, sed arundinis culpa. Hinc salubris ille, & toties in Sacris Scripturis commendatus Sanctorum timor, quo spem suam velut myrrha mordaci quidem, sed salubri condiebant, ne corrumperetur; quantùm enim securi de Deo erant, tantùm de se metuebant. Constabat illis, nunquam Deum sibi defuturum; at metuebant, ne ipsi deessent Deo, sicque perirent, juxta celebrem illam Augustini sententiam in Psalm. 102. *Sanat DEUS omnem languidum, sed non sanat invitum; opus est, ut sanari velis.* Non ergo timebant, ne sanare Deus vellet; sed timebant, ne sanari ipsi nollent; sicque nulla de medico, tota de languido trepidatio.

Cæterùm observant magistri vitæ spiritualis, hunc saluberrimum, perpetuumque timorem, quo misceri spem nostram oportet, talem esse debere, ut semper fiducia formidinem superet, sicque talis sit proportio timoris ad spem, qualis *septem ad centum*. Cùm enim timor humana fragilitate, & malitia; spes verò divina Omnipotentia, & Bonitate nitatur; quantò Bonitas Dei major malitia humana; tantò major spes metu. Accedit, timorem, cùm sit ex consideratione mali, affligere animam, & dolorem afferre, sicque affectum, quàm violentum, tam fugacem, & brevem esse; & ideo animum gaudendi avidum, timori tanquam molesto omni conatu obsistere, ac tandem pellere: unde conversiones peccatorum solo metu inchoatæ, nisi spe, & amore sustineantur, fallacissimæ, & brevissimæ sunt, quales Achabi, Ninivitarum, Lutheri, aliorumque. *Deinde* timor etsi à peccato mortifero cohibeat, quippe causa æterni mali, non extinguit tamen amorem, & cupiditatem rerum terrenarum, quæ sine peccato lethali esse possunt. At cupiditate illa, & amore flagrante semper anima in præcipiti est, cùm difficillimum sit vehementer sitienti non plùs bibere, quàm sanitati conveniat. Timor ergo conversionem peccatorum inchoat quidem, sed nec producit, nec absolvit. *Quid enim*, inquit Sanctus Augustinus Serm. 9. de verbis Apostoli, *pœnam times? nam, & latro timet malum, & fugit Judice comparente, & tamen latro est?* Et quod Medicus de vulneribus corporis optimè dixit: *Nimis intumescere vulnus malum; nihil intumescere, pessimum est.* Idem, & potiori jure de vulneribus animæ dicas: Nimis peccatorem timere malum; nihil timere, pessimum est.

Sed juvat, totam hanc de Prædestinatione, & fiducia in Deum reponenda Dissertationem verbis laudati suprà Gersonis absolvere: *Ut intelligo, ita se rès habet: quod apud verè humilem, quantò minùs est in se spei, minùs in ope aliena fiduciæ, minùs deniq; vult constituere justitiam suam, tantò plùs fiduciæ de Deo concipit, plùs quoque Justitiæ Dei fit subjectus, dicens ex sententia Psalmistæ: Mihi autem adhærere DEO bonum est, & ponere in Domino spem meam, sicq; magis intelligere nunc videor, quæ in devotorum libris legi de introductione Sponsæ in cubiculum Sponsi, de osculo oris ejus, de habitatione præterea in adjutorio Altissimi; non in habitatione vel meritorum propriorum, quæ vana est; vel pœnarum futurarum, quæ anxia est; vel industriarum propriarum, quæ timida, & incerta est.... Vult ergo Theologia per summam desperationem de homine, trahere ad summam de Deo spem; & per desolationem inæstimabilem, & intolerabilem sursum ducere ad solidam consolationem..... Cæterùm stabilitur à Deo spes, cujus supernaturale est donum. Sed si particulariùs aliquid exigit, invenitur quadruplex meditatio, quæ velut in tetragono firmissimo gestat spem. Una meditatio est; divinæ jussionis, ut speres: Altera divinæ promissionis,*

nis, si speres. Tertia immensæ DEI pietatis, ne desperes de suis miserationibus. Quarta propriæ fragilitatis, ne speres in te, vel in propriis viribus. Dic igitur cogitationi tuæ solicitanti spem deserere, dum non facis certam vocationem tuam per bona opera, quotidiè corruens de peccato in peccatum, ingerenti proinde, ne sis de multis vocatis, & non electis, sicut vita tua similis est multorum; dic, inquam: quòd obedis jubenti Deo, qui mille locis Scripturæ præcipit, ut speres in eo. Projicio me in te jubente te: non es crudelis, aut fallax, ut abjicias me; junctâ præsertim multiplici promissione tua, qua sperantibus in te pollicitus es, quòd liberares, eriperes; salvares, & glorificares: cujus demum tam immensa pietas est, ut nullis peccatis etiam infinitis (si commisissem ea solus) vinci possit in hac via; quodque interposuisti cum immobilitate consilii tui jusjurandum, ut per duas res immobiles, sicut loquitur Apostolus tuus, quibus impossibile est, mentiri te, nos fortissimum solatium habeamus ad tenendam propositam spem. Quamvis enim sis inobligabilis à creatura tua rationali; voluit tamen dignantissima condescensio tua commercium quoddam habere cum hominibus, ut bene de te mereantur, si jussa tua compleverint, & in te speraverint, qui fidelis es, & te ipsum negaré non potes.



N O-

NODVS PRÆDESTINATIONIS

Triplici ictu solutus.

PARS ALTERA.

In qua ostenditur, nihil opponi posse divinæ Providentiæ ex eo, quòd in negotio Prædestinationis quædam sint inscrutabilia.



NODUS Prædestinationis unum est de Arcanis Divinitatis, quæ homini expedire non licet; Nec minùs absurdum est negare Deum, quem omnis natura clamat, quia aliqua ejus opera non capis, quàm si neges, vixisse aliquem Poetam Virgilium, quia aliqua ejus carmina non intelligis; sicut ergo non ideo nullus Virgilius, quia tu rudis; ita non ideo nullus nullus Deus, quia tu ignarus. Imò ideo est Deus, quia tu ejus opera non omnia intelligis; nam si omnia intelligeres, ille non esset Deus; sicut non esset mare, quo phiala caperetur, nec Sol, qui à noctuis videretur, nec turris, quæ à Nano tangeretur; quid enim est homo ad Deum, nisi phiala ad mare, Sol ad noctuam, & Nànus ad turrim? In Regno Siamorum Rex idiomate utitur, quod nemo ex plebe loquitur, aut intelligit, sed soli Sacerdotes, Aulæque Magnates, postquàm diu didicere. Sicut ergo apud Siamenses inditium est Regis, non intelligi à Plebe; ita apud Christianos argumentum est Dei, non intelligi ab homine. Lingua, & arcana Dei Cœli Magnatibus, non aliis patent, & ne istis quidem, nisi post longum in terris studium tandem in Cœlis didicerint. Et quid dico Cœli Magnatibus? imò isti forsan ignorant, Deo arcani suo parco. Ita Jobus *Job. 28. vers. 21.* profitetur: *Abscondita est*, inquit, *Sapientia ab oculis omnium viventium; volucres quoque Cœli latet.* Volucres Cœli Angeli sunt: quid ergo sibi promittant volucres terræ, hoc est, homines; quando ne ipsæ quidem norunt Volucres Cœli? An noctuæ cernent, quod Aquilas latet? dicam ergo cum Hilario: (a) *Ego nescio, nec requiro, consolabor me tamen: Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, sæcula non tenent, Prophetæ non sentiunt, Apostolus non interrogat, Filius ipse non edidit, quis ergo divinabit?*

Ut verò in hoc sacro pelago vela faciam, quantùm homini licet, citraque naufragium; tria circa hoc Prædestinationis mysterium expediam. *Primò* ex Sacris litteris, Sanctisque Patribus ostendam, hoc unum esse ex illis Cœli secretis, quæ Deus celata homines

a) *Hilar. lib. 2. de Trinitat. prope medium.*

noluit, ideoque quæ ab omnibus investigari non debent. *Secundò*. Quàmplurima esse in hoc mundo oculis nostris exposita, quorum causas nemo hactenus invenit; mirum ergo non esse, si remota, & divina homines non capiant, qui non capiunt vicina, & mundana. *Tertiò*. Demonstrationem conficiam, qua invictè, clarèque ostendam, justissimum esse Prædestinationis Decretum.

§. Primus.

Probatur ex Sacris Litteris, Sanctisque Patribus, noluiße Deum Mysterium Prædestinationis ab Hominibus explorari.

PRimum ergo sit Esdræ (a) testimonium. Huic enim hoc ipsum Ænigma volventi ita Angelus respondit: *Excedens excessit cor tuum, & comprehendere cogitas viam Altissimi. Vade pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem, quæ præteriit. Si essem interrogans te, dicens: quantæ sunt habitationes in corde maris; aut quantæ venæ sunt super firmamentum; aut qui sunt exitus Paradisi, diceres mihi fortassis, in abyssum non descendi, neque in Cœlum unquam ascendi. Nunc autem non interrogavi te, nisi de igne, & vento, & die, per quem transisti, & à quibus separari non potes. Si ergo tu, quæ tua sunt, tecum coadolescentia non potes cognoscere, quomodo poteris vas tuum capere Altissimi viam? Quemadmodum enim terra silvæ data est, & mare fluctibus suis, sic qui super terram inhabitant, quæ sunt super terram intelligere solummodò possunt.* Hactenus Angelus Esdræ. Sicut ergo frustra, ineptèque laborat, qui ignes ventosque ponderare, venas ac sinus Marium, omnesque fluctus numerare vellet; multòque magis insaniret, si ventos, & ignes, ac Maria è medio tolleret, darique negaret, quòd eorum naturam, ac pondus assequi non posset; ita planè insanit, qui Dei Bonitatem, ac Justitiam in dubium revocat, quia causas occultissimas, ignorat, metiri ignem non potes, & vis metiri Deum? undas maris numerare non vales, & numerabis fluctus, ac tempestates æternæ Prædestinationis? Non potes, non potes: crede ergo, quod non vides, & adora, quod non capis. Notanda quoque sunt illa verba. *Quemadmodùm terra silvæ data est, & mare fluctibus suis:* quasi dicat, quælibet Creatura, & ars limites habet, & terminos suos, quos egredi non potest: silvæ terram, non mare occupant: tempestates, & naufragia aquis, non terris insultant, flores in hortis, non in arena proveniunt; conchæ in littore, non in pratis leguntur. Et in ipsis quoque artibus quælibet suis terminis coercentur; quis enim ferat, sutorem de Stellis, Astrologum de saporibus, Philosophum de bello, militem de coloribus, pingendique regulis disputantem? Recenset Plinius: Magnum Alexandrum, cùm Apellem crebrò inviseret, & in officina multa de arte pigendi imperitè dissereret; *comiter ab Apelle silentii admonitum esse, quod à pueris, qui colores tererent, rideretur.* Quantò ergo magis ridendi, cogendique ad silentium sunt illi, qui, cùm homines sint, ultra homines sapere; ac divina scrutari volunt? Sileat de coloribus, qui pictor non est.

Secundò. Ecclesiasticus *cap. 3. vers. 22. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus; non enim sibi necessarium est, ea, quæ abscondita sunt oculis tuis, videre, plurima enim supra sensum hominis ostensa sunt tibi.* Quatuor hic Spiritus Sanctus rationes insinuat, quæ nos à rebus Divinis examinandis prohibere debent. *Primò*, inquit, *Altiora te ne quæsieris, & fortiora ne scrutatus fueris,* quasi dicat, sicut nemo potest fastigium altissimæ arboris pollice attingere, nec Aquilam altissimo volatu per aera meantem parvo lapillo ferire, nec implicatissimum nodum im-

(a) *Esdræ 4. cap. 4.* Quamvis non constet, Esdræ Librum quartum esse Canonicum, citatur tamen ab Ambrosio tanquam Canonicus, libro de bono Mortis, & *libro 7. in Lucam; & Epist. 71. ad Horatianum*, & Genebrardus pro Canonico habet in Chronologia *cap. 90.*

imbecilli, ac tremente manu evolvere, ita multoque minùs homini fas est, quæ in Cœlis fiunt, humano ingenio metiri; tam enim ista altitudine sua humanas vires excedunt, quàm arbor pollicem; Aquila teli jactum, nodusque Gordius invalidam manum. Deinde *non est*, inquit, *tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre*: Si ergo Deus abscondit, quis reperiet? & quanta temeritas, si tu ex infima servorum classe, & ad vestibulum palatii destinatus in superiora irrumpas, sublatoque velo, quid in Regio Thalamo à Principe fiat, dicaturque arbitrari velis? habent Principes arcas, & scrinia, quarum claves committunt nemini; cur hoc non liceat Deo? & cur solus non habeat claves scrinii sui? Ferunt adolescentem quendam Conduba genitum, cùm canistrum ferret fructibus plenum, sed velo tectum, obvio amico, quid illic ferret, interroganti promptè respondisse. *Non velassem, si sciri vellem*. Simile fere est responsum, quod Tertullianus rerum Divinarum importunis Scrutatoribus dedit. *Quis*, inquit, *revelabit, quod Deus texit? unde sciscitandum est? ergo ignorare tutissimum*. Pergit Ecclesiasticus: *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi*. Quasi dicat, cogita, quàm plurima esse, quæ hominibus videbantur, fieri non posse, & tamen Deus ostendit, facta esse. Quis credidit posse fieri, ut Cœlum, & Terra ex nihilo, unoque verbo formarentur? ut Deus humana indutus natura, & nasceretur, & moreretur? ut virgo conciperet, pareretque? ut accidentia panis, & vini sine subjecto, velut pila, in aere penderent, & sub illis tanquam intra cortinam lateret Deus? ut eadem natura, & una esset, & in Personis trina? ut hominum corpora consumpta, & in pulveres, in cineres, vermesque soluta iterum vitam reciperent morte triumphata? quod Plinio (a) tam absurdum est visum, ut mortuorum Resurrectionem inter *puerilia deliramenta, & vanitates Democriti* referret. Hæc, inquam, priusquàm fierent, aut futura esse Deus revelaret, incredibilia nobis videbantur, & tamen vera sunt. Ita cum Arcano Prædestinationis: fient, quæ fieri non posse credebantur, utque de futuris non dubites, voluit Deus tam multa alia præmittere, quæ fidem nostram superarent, & quæ tamen facta sunt.

Tertiò. Job. 26. *Quis poterit scrutari vias ejus, aut quis potest ei dicere, operatus es iniquitatem? memento, quòd ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri; ecce Deus Magnus vincens scientiam nostram*. Nota illa verba: *Quis poterit scrutari vias ejus*? quasi dicat: quemadmodùm Leones, cùm insequi venatorem sentiunt, vestigia sua arenis impressa turbant, delentque, ne observari possint, sed nec navium per aquas, nec Aquilarum per aera aliquis unquam iter notavit; si ergo non Leonum, non Aquilarum, non navium viæ exploratæ nobis sunt; quantò minus viæ Dei, quas studiosè abscondit? quid frustra hanc Aquilam insequeris, & hunc Leonem venaris? nunquam iter reperies. *Et quis poterit*, inquit, *ei dicere operatus es iniquitatem*? interroga Cainum, interroga Judam, interroga Luciferum, omnesque damnatos nemo istorum dicet, se injustè punitum, quid ergo dubitas de Justitia illius Judicis, quem ne ipsi quidem rei, damnatique accusant?

Quartò. Ecclesiastes 8. *Intellexi, quòd omnium operum Dei nullam potest homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole: & quantò plus laboraverit ad quærendum, tantò minus inveniet*. Si homo non potest reperire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole, quando reperiet rationem eorum, quæ fiunt supra Solem? si non potest homo videre propinqua, quando videbit remota?

Quintò. Sanctus Paulus, de hoc ipso argumento agens, tandem disputationem omnem hoc epiphonemate claudit; *O altitudo Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? quis enim novit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit?*

Si ergo nemo novit sensum Domini, & nemo illi à Consiliis, & secretis fuit, quanta erit temeritas, judicare de rebus, quas non novit, quarum consilio non interfuit, cùm dijudiceretur? expectemus diem, quæ omnia aperiet, & sententiam interim suspendamus. Idem Apostolus *raptum se*, ait, *in Paradisum, ubi audierit arcana verba, quæ non licet*

(a) *Plin. lib. 8. cap. 55.*

licet homini loqui. Si ergo ne Paulo quidem de hoc Arcano Prædestinationis loqui permissum, quantò minus nobis, qui nec in Paradiso fuimus, nec rationes audivimus?

Sextò. Idem Apostolus 1. Corinth. cap. 13. de divinis operibus loquens, *videmus*, inquit, *nunc in Ænigmate*. Nullum grandius ænigma ut illud Prædestinationis; & in hoc idem fecit Deus, quod olim Augustus, qui, cùm consilia, & secreta sua vellet occultissima, litteras annulo, gemmaque signabat, cui Sphynx insculpta: *Augustus inquit Plinius l.27.c.1. inter initia Imperii Spynge signabat*. Sphynx monstrum erat Thebis vicinum, quod viatoribus Ænigmata proponebat, quæ solvi non poterant, quique frustra, nulloque successu tentabant, confestim à monstro necabantur, nec aliud remedium evadendi, quàm à via declinare, solus Oedipus tandem evolvit. Ergo ut olim litteras Augustus, ita nunc Deus grande Prædestinationis Chirographum Sphynge notavit, voluitque Ænigma esse mortalibus insolubile: huic explicando, quotquot accincti sunt, Manichæus, Origines, Pelagius, Calvinus, omnes periere: ipse Spiritus S. mortem induxit, quotquot temere conarentur. *Qui Scrutator est majestatis, opprimetur à gloria*. Videmus ergo nunc, hoc est, dum iter ad Cœlum agimus; videmus, inquam, in Ænigmate: noli scrutari, si non vis opprimi; noli ad hanc Sphingem accedere, si Oedipus non es. Narrat Clemens Alexandrinus Diopoli in Ægypto tabulam videri, more illius gentis (quæ figuris pro verbis, literisque utitur) his imaginibus sculptam: infantis, senis, Accipitris, piscis, & Crocodili. (a) Amabò te, si Theologus, si Philosophus, si Astrologus, si Historicus, si omnia es, hoc ænigma interpretare, & sententiam figurarum expone, quod si non potes hoc ænigma Ægypti, quantò minùs ænigma Cœli? Quoties ergo Prædestinationem audis, toties cogita ænigma esse hominibus in accessum, solique Deo notum, & ideo nec humano ingenio tentandum.

Septimò. Christus denique ipse Joan. 3. *Spiritus*, inquit, *ubi vult, spirat, nescis unde veniat, aut quò vadat; sic est omnis, qui natus est ex spiritu*. Duplex est hominibus Nativitas, Prædestinationis, & Gratiæ; prima concipit, secunda parit: utriusque causa, & origines tam incomperta, quàm ventorum. Sicyonii, teste Pausania, nocte ventis sacrificabant, ut innuerent, eorum naturam esse scitu difficillimam. Duo in Regno æternitatis flant venti, Aquilo Justitiæ, & Favonius misericordiæ, isto ad æternam vitam, illo ad æternam mortem spirante; sed uterque spirat, ubi, & quando vult. Quis utriusque sit exitus aut origo, unde veniat, aut quò vadat, ignoro. Quid remedii? utrique huic vento *noctu Sacrificia*, hoc est, crede, quod non vides: nox est ignorantia, sacrificium sit fides. Si ad Austrum pertines, lauda; si ad Aquilonem time; semper tamen *Sacrificia noctu*, tuamque ignorantiam fatere, crede esse justa, quamvis obscura. Dic cum Davide: *Misericordiam, & Judicium cantabo tibi Domine*: Misericordia est Auster, Judicium Aquilo, utrumque adora. Hactenus Scripturæ, nunc Patres audiamus.

Primò Tertullianus, *Quis*, inquit, *revelabit, quod Deus texit? unde sciscitandum est? ergo ignorare tutissimum est*. Nota illas voces *ignorare tutissimum*; quemadmodum, & papilioni tutissimum est, non accedere ad facem, à qua crematur, & aliò festinanti tutissimum est non ingredi labyrintum, in quo faciliùs erret, quàm exeat. Ita hominibus, quæ Deus abscondita voluit, tutissimum ignorare.

Secundò. Salvianus *de Provid. lib. 3. Possum constanter, & rationabiliter dicere, nescio secretum, & consilium Divinitatis ignoro* (b) Hoc est responsum Philosopho Christiano dignum, quidquid ex me quæsieris de occulto Prædestinationis consilio, respondebo tibi

(a) Sensus Emblematis Ægyptiaci hic est: o qui nascimini, & interitis. Deus odit impudentiam. Cyrillus libro 5. Stromatum. Ægyptiis enim Infans generationem; senex interitum; accipiter Deum; piscis odium, Crocodilus impudentiam signant.

(b) Idem Salvianus lib. 3. de Gub. *Homo sum, non intelligo; secretum Dei investigare non audeo*.

cum Salviano: *nescio, ignoro*. Nihil me-
ius dici potest, quoties hæc causa vertitur.
ur Deus non omnes salvet, cum omnes
ossit? cur non omnibus det gratiam illam
ficacem, & triumphatricem peccati? cur
t innocentes ante Baptismum mori per-
ittat, cur modò post quatuor mille annos
Mundum venerit, quadraginta interim
eculis Idolatria totum Mundum implen-
? cur Luciferum, totque Seraphinorum
ercitus labi permiserit, damnaveritque
nius cogitationis, unius momenti reos?
r, inquam, hæc omnia? *Nescio secre-
m, & consilium Divinitatis ignoro!* Ne-
e hæc ignorantia Sapientem dedecet: Sa-
entis enim est scire, quæ sciri possunt;
on autem velle scire, quæ sciri non pos-
nt: Quis enim sapientem dicat, qui ar-
m scire velit volandi sine pennis, & na-
gandi sine remis, velisque? aut quis un-
am Sapientum conatus est oculis sonum
dire, aut auribus colores videre? At-
i, ut optimè notat Augustinus, idem est,
*rutari inscrutabilia, quod velle videre invi-
ilia, aut fari ineffabilia.*

Tertiò. Sanctus Augustinus in illa Pauli
erba: *O Homo, tu quis es, &c. Magnum
ndus habet, quod dictum est, O Homo, tu
is es; nam in talibus quæstionibus ad suæ ca-
citatis considerationem revocat hominem ver-
quidem brevi, sed reipsa magna est redditio
tionis: si enim non capit hæc; quis est qui
spondeat Deo? si autem capis, minùs inve-
et, quid respondeat.* Quasi dicat Augusti-
us: Cùm interrogantibus de Prædestina-
one Apostolus respondit: *O Homo!* idem
eisse videtur, quod Apelles, cùm sutori,
Helenam suam accusanti respondit: *O Sutor,
e ultra crepidam!* Apelles dixit: *O Sutor*,
Apostolus dixit: *O Homo!* sicut enim non
t Sutoris de Helena disputare, ita nec
Hominis de Prædestinatione: O sutor,
e ultra crepidam. O Homo, ne supra ho-
inem. *Deinde* nota illud dilemma Augu-
inó dignum: aut, inquit, Judicia Dei
apis, aut non capis? Si capis, justa inve-
ies: si non capis, cur carpis, & cur accu-
as? nemo enim accusare, & carpere po-
est, quæ non intelligit. Si tecum Persicè

loquar, & tu Persicè non intelligas, non
poteris mihi respondere, nec capere, quæ
ego loquor, & quæ tu non intelligis. Si er-
go tu non intelligis me Persicè loquentem,
quomodo intelliges Deum loquentem, &
agentem diviné? Et si non habes, quæ res-
pondeas mihi Persicè loquenti, quid habe-
bis, quod respondeas Deo loquenti, &
agenti diviné? Optima ergo, & justissi-
ma Apostoli increpatio, cum dicit: *O Ho-
mo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Idem
Sanctus Augustinus *Tract. 26. in Joannem*
in illa verba? *Nemo venit ad me, nisi Pater
meus traxerit illum. Nemo*, inquit, *venit
nisi tractus: quem trahat, & quem non tra-
hat; quare illum trahat, & quare illum non
trahat, noli velle judicare, si non vis errare.*
Idem ergo est in causa Prædestinationis, vel-
le judicare, quod velle errare; quemadmo-
dum in Euripppo Bœotiæ Freto perpetua
tempestate, & septenis quotidiæ æstibus tur-
bido, idem est velle natare, quod velle mer-
gi, nec aliud naufragio remedium, quam ut
illuc non intres; Exemplo Beacti Ægidii,
qui rogatus de Arcano Prædestinationis,
respondit: *Sufficit mihi littus maris ad lavan-
dos manus, & pedes, ac totum corpus, cur
ipsum mare ingrediar? hoc est, cur velim scru-
tari, cùm sufficiat credere.* (a) Idem San-
ctus Augustinus sermone 20. *de verbis* Apo-
stoli: *Si scrutari inscrutabilia venisti, crè-
dè quia periisti; tale est enim velle scrutari
inscrutabilia, & in vestigabilia vestigare; qua-
le est velle invisibilia videre, & ineffabilia
fari.*

Quarto. Sanctus Gregorius illa verba ex-
pendens: *Nunquid nosti ordinem Cæli, & po-
nes rationem ejus in terra?* Job. 38. vers. 33.
Ad rem nostram ita scribit: *Ordinem Cæli
nosse est supernarum dispositionum occultas Præ-
destinationes videre, rationem verò ejus in
terra ponere; & ante humana corde talium se-
cretorum causas aperire, quod nilque facere in
hac terra positus nemo potest; quia quantalibet
quis virtute proficiat, quantumque scientia ex-
crescat; penetrare non sufficit, quo nos Condi-
tor moderamine judicorum regat.* Nota in
hæc verba Jobi, ubi versio nostra Latina
habet: *Nunquid nosti ordinem Cæli?* versio-

K nem

(a) Nierenbergius *in Theopolitico* fol. 137.

nem Hebraicam habere: *Nunquid nosti leges, & statuta Cœli?* ordinem enim, motusque Cœli, & Stellarum, quæ videlicet superiores, quæ inferiores, quæ noctu, quæ interdiu luceant, quæ magnæ, quæ parvæ, quæ, & quando oriantur, occidantque, optimè Astrologi callent. Imò Archimedes omnem Cœli ac Planetarum ordinem, motus, ortum, & occasum in Sphæra vitrea distinctissimè ostendit. Ordo ergo cœli sciri potest, ac etiam in charta utroque pingi. Sed leges, ac statuta cœli sciri non possunt: cœlum enim alicubi semper serenum, alicubi semper turbidum est, alibi salubre, alibi noxium. Nunquid mihi causas divinabis, cur semper, ac stabili lege cœlum tam variè in terras influat? cur in sola Ægypto nunquam pluat, cœlo semper sereno? cur in Africa, cùm æstas est, summique calores noctes roribus abundent, frigeantque? cur in Locris, & ad lacum velinum in Italia quotidie Iris in Cœlo spectetur, cur Rhodis, & Syracusis semper aliqua diei hora Sol videatur, quamvis alioquin nubilo aere, & pluviis squallido? Si ergo cœli, quod videmus, nemo leges novit, quantò minùs noverit Leges, & Decreta Dei, quem non videmus?

Quinimò sanctus Bernardus Epist. 189. *Nihil magis contra rationem, quàm velle rationem ratione transcendere: Nihil magis contra fidem, quàm credere nolle, quidquid non possis ratione attingere.*

Denique *Sanctus Hilarius libro* 8. *de Trinitate: Sapientiæ hæc veritas est, interdum sapere, quod nolis*, quasi dicat Hilarius: cogita, quàm multa homines faciant affectibus suis, & genio aversa, ut finem aliquem obtineant. Mercatores merces jactant, ut naufragium evadant: Milites vulnera, & mortem ferunt, ut stipendiis, ac victoria potiantur, & ægroti, ut sanitatem recipiant, quam multa faciunt, quæ nolunt? quantò igitur magis fidei, animæque servandæ causa, ac in gratiam æternæ veritatis oportet Christianum aliqua sapere, aliqua credere, quæ intellectus nolit. Ægroto amara videtur potio, quam sumit, haurit tamen, fiducia, & reverentia Medici, qui illam propinat. Sic Christiano amara videntur cœli Judicia; adoranda sunt tamen fiducia, ac reventia Dei, qui illa revelat. Persuadet tibi Medicus, ut bibas ingrata; persuadeat tibi Deus, ut credas difficilia. Dicit Ægrotus cum Medico: sanitas est interdum bibere, quod nolis; tu dic cum Hilario: *veritas est, interdum credere, quod nolis.*

§. II.

Multa esse in rerum natura, quæ licèt vera, occultas tamen, & impenetrabiles habent causas, nec ideo falsi accusari possunt. Ergo multò magis idem dicendum de alea Prædestinationis.

PEssima semper fuit illa argumentatio: *Non video, non capio ergo non est.* Id enim perinde fuerit, ac si noctua dicat: Solem non video, ergo Sol non est. Quòd enim tu aliquid non capias, sæpe ignorantia tua facit, & ideo non res ipsas accusare, sed ignorantiam oportet. Id verumesse, hoc paragrapho ostendam, in quadruplici rerum genere. *Primò* in Mysteriis supernaturalibus. *Secundò*. In dispositionibus Divinæ Providentiæ. *Tertiò*. In rebus Naturalibus. Et *quartò*. In consiliis, factisque humanis. Ex quibus optimè inferes: si tam multa ignoramus, quæ vera sunt, mirum non esse, si etiam unum illud, & impenetrabile Secretum Prædestinationionis verum; justumque sit, quamvis non appareant ejus causæ, imò temerarios esse, qui accusant, quod ignorant, cùm potiùs accusare se ipsos, & imperitiæ deberent, quia nesciunt, & temeritatis, quia audent.

Incipiamus ergo à *rebus Divinis*. Jam suprà ostendi, multa à Deo facta esse, quæ humana ratione videbantur fieri non posse. Nolo repetere, quæ de Creatione, Incarnatione, ac Trinitate disservi. Revoca tantum in mentem originem, & incrementa Christianæ Religionis. Cui unquam venisset

set in mentem expugnandæ Idololatriæ, tot sæculorum possessione, tot Imperatorum viribus, & potentia, tot Philosophorum Libris, tot suppliciis armatæ suffecturos duodecim Piscatores inopes, rudes, inermes, ineloquentes, & suppliciis consumptos? Planè non minùs id dignum admiratione, quàm si delendæ munitissimæ civitati, qualis Babilon, aut Roma fuit, duodecim muscæ accingerentur. Si ego dicerem, Babilonem evertent duodecim muscæ, quis mihi crederet? ac longè incredibiliùs, si totum Romanum Imperium convertant duodecim Piscatores, id tamen factum est. Sed longè miraculum auget, fidemque omnem superat, si consideres, quæ Religio nostra credenda, & facienda præscribit. Adorare pro Deo Hominem in stabulo inter Jumenta natum, & in Cruce inter Latrones extinctum, eumque Jovi tonanti, tot victimis, & aureis Templis, & à tot Imperatoribus culto præferre; imò præ omnibus creatis, & increatis amare, ac pro illo millies mortem, & tormenta perferre: malle præ voluptatibus supplicia, præ opibus inopiam, præ honoribus contemptum, præ libertate servitutem; nec aliud præmium expectare, quàm speratum, & post mortem ac cineres obventurum Regnum, quod nemo vidit, Civitatem, quam nemo vidit, nuptias, quas nemo vidit, Gloriam, quæ nunquam apparuit, & hæc præsentibus delitiis, honoribus, divitiis, vitæque præferre. Hæc dogmata erant nostræ Religionis, quæ adeo naturæ, ac sensibus repugnabant, quæque hominibus tam absurda visa sunt, ut eam, teste Apostolo, pro stultitia reputarent, & hanc tamen toti Mundo Piscatores persuasere. Quis rogo hoc crederet, antequàm fieret? & tamen factum esse nemo potest negare.

Photinus Philosophus Platonicus, cùm apud Gallienum Imperatorem gratia floreret, unamque in Campania Civitatem peteret Platonopolim appellandam, & Platonis legibus, quæ sanctissimæ videbantur, imbuendam, nunquam efficere id potuit, cùm tamen Christiani non unam tantùm civitatem, sed totum Orbem implerent, Imperatoribus non tantùm non faventibus, sed maximè adversis. Quis unquam, antequàm hæc evenirent, sibi persuaderet, plures Crucifixi, quàm Platonis Discipulos fore, & Academiam Cruci cessuram? id tamen præter omnium fidem evenit, duratque tot Sæculis; In iis ergo quæ Deus facit, non est attendendum, quàm aliquid sit nobis creditu difficile, sed quàm nihil sit Deo impossibile. Idem dicas de Prædestinatione. Justè erit, quidquid ipse decernit, quamvis ignores; sicut facile erit, quidquid ipse faciendum susceperit, quamvis non capias: quàm enim Deus est omnipotens, tam est justus: & sicut omnia illi facilia, quia omnipotens; ità omnia illius recta, quia justus; si ergo credis Omnipotenti, crede, & justo.

Narrat Nierembergius, (a) fuisse quendam Anachoretam, qui à Deo quotidianis precibus expetebat, vellet sibi ostendere Arcana suæ Providentiæ. Apparuit Angelus Monachum indutus, rogavitque, vellet sibi comes esse, aliorum, qui in deserto agebant, cellas, invisuro. Primò Monachum adeunt selectæ, & vulgatæ Sanctitatis, ab hoc humanissimè excepti, & pasti. Dum à prandio abeunt, clanculò Angelus phialam, qua aquam hauriebat, subducit. Monachus, furto deprehenso, adolescentem sequi jubet, qui repetat, quem Angelus fuste aggressus interimit. Posteà alterius Monachi cellâ pulsant, à quo contumeliis, & verberibus affecti pelluntur, hunc phiala Angelus donat, quam alteri subduxerat. Tum clienti suo timore, & admiratione defixo: phialà, inquit, quam surripui, furto provenerat, & ideo non decuit, ut à Sancto illo Anachoreta, quamvis furti ignaro, possideretur, dedi ergo illàm Monacho scelerato. Adolescens, quem fuste cecidi, si in proximam noctem vixisset, magistrum suum pérempturus erat; præveni ergo parricidium, ut innocens moreretur. *Hæc sunt Judicia Dei*. Dixit, & evanuit. Ita Nierenbergius. Quis rogo hoc Ænigma solvisset, nisi Deus ipse aperiret? Sunt, qui Luciferi casum deplorant, Deumque nimiæ severitatis postulant, quòd in creatura tam pulchra, & fœlici unam cogitationem unumq; momentum æternis suppliciis damnaverit. Quòd si iis dicas: Luciferum malle Infernum, quàm Cœlum, nec veniam optare, quamvis Deus dare velit; non

K 2

(a) *l. 2. c. 1. de Divina Pulchritud.*

non ergo injustè veniam negari nec optanti, nec accipere volenti; quis hoc crederet? & tamen ita est. Refert enim S. Brigitta in *Lib. Revelat.* Visam à se animam æternis ignibus addictam divino tribunali assistere, ac Judicem sic alloqui: *Quam possem salvari, nollem tamen.* Causam rogata: *Ne tu*, inquit, *aliquod de me gaudium habeas, hæc est enim voluntas mea.* Amabò te, hoc unquam divinasses? Scribit Petrarcha (a) & ex illo Spondanus ad Annum 1343. Neapolim inhmani terræmotu quassatam esse, Cœlo pluviis, fulminibus, ventisque horrido, & extrema minante. Tota Urbs ac præsertim Joanna Regina nudis pedibus, comisque solutis in Templum effusa: Mare verò tam sæva tempestate jactatum, ut omnes in portu naves, Nautæque, & qui illis vehebantur, mersi fuerint, ne uno quidem superstite, sola navis, quæ quadringentos Latrones vehebat, tota ferè nocte cum ventis, & fluctibus lactata, ubi jam rebus desperatis, remis, velisque consumptis naufragium exspectaret, subitò serenante Cœlo, Marique placato ad littus applicuit, ne uno quidem è tot Latronibus merso. Rogo te, quis hic causam reperiet cœlestis Consilii? Nam si humanis rationibus hunc eventum metiaris, nemo magis, quàm illi Homicidæ, perire debuit. *Sed quis poterit scrutari vias Domini; aut quis potuit ei dicere: operatus es iniquitatem?* Job. 26.

Qui vidit Susannam duci, & Josephum à Fratribus venditum, ac etiam adulterii convictum, planè conclamatam Innocentiam, & à Deo neglectam diceret: At exitus docuit, non neglectam, sed custoditam fuisse: Nec Joseph regnaret, nisi venderetur, nec Susannæ pudicitiam Orbis agnosceret, nisi damnaretur. Ægyptii, cùm Sacris operabantur, oculis in cœlum fixis, ter exclamabant: *O tenebræ, o tenebræ, o tenebræ!* hocque Sacrificandi signum, & principium erat. Ita Mysterium Prædestinationis altis tenebris, & profunda nocte involutum jacet, & qui illud scrutari aggreditur, perinde fecerit, ac densa nocte, extinctisque facibus rerum colores; quos nunquam vidit, distinguere velit. Tenebræ jam sunt, exspectanda dies æternitatis, quæ colores, causasque aperiet Divinæ Providentiæ. Nunc aliud dicere Christianis non licet, quàm olim Ægyptiis, cùm Sacris operentur: *o tenebræ! o tenebræ! o tenebræ!* Exitus ergo Artificem commendabit: nam ne quidem Artifices nostri de suis operibus judicari volunt ab imperitis ante operis finem. Si quis ignarus Medicinæ videat venas secari aliàs è naribus sanguinanti, credat perimi ægrotum, & tamen remedium est. Qui nescit artem navigandi, videatque imminente tempestate navim in altum mare, & à littore agi; dicet, naufragio exponi, & tamen tutior erit, quippe scopulis procul: Pictores tabulam velant, nec aspici volunt nisi finitam, sublatoque sipario. Scribunt Adamum Tannerum, celebrem Theologum, in itinere, ac rusticano pago morbo correptum fuisse. Morituro veste, sarcinæque excussæ. Inter alia modicum vitrum repertum, in quo ingens monstrum horridumque visebatur, quippe cornibus, squammis, alis, spiculo armatum, & mole specieque vasto Draconi simillimum. Ab omnibus conclamatum est, *Dæmonem esse in phiala*, & omnium votis, ac etiam Parochi ad spectaculum vocatis decretum est, si obiret, cadaver prophano loco condendum, veneficio comperto. Tandem supervenit Opticæ peritus, qui cum omnium risu, quem ipsi Dæmonem putabant, scarabæum esse ostendit, Microscopio inclusum, quique vitri mendacio in grande monstrum evaserat. Si ergo ne quidem artificum nostrorum opera ab imperitis, & ante finem æstimenda sunt, quantò minùs opera Dei? Dies extrema Artificem nostrum absolvet, finemque querelis imponet. Id monuit Apostolus: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque Dominus veniat.* Quid minùs pro Deo, & quid justuis peti potest, quàm ut illum eodem jure, quo Latrones, reosque capitis, habeas? Nemo Latronem aut judicat, aut damnat, nisi auditum & defensum: tu Deum damnabis, nec auditum, nec defensum? Noli ergo ante tempus judicare, sed expecta, donec à Deo causam intelligas.

Nunc age, examinemus quoque secreta

(a) l. 5. Epist. Familiar. ep. 5.

creta *Naturæ*. Hæc tam admirabilia sunt, fidemque omnem superantia, ut humanum ingenium etiam minima fatigaverint, imò vicerint. Fuit, qui 40. Annos in altissimo monte contemplando motui trepidationis impendit, nec tamen intellexit: Alius magnam vitæ partem mellificio apum in vitreo alveari, nec assequi potuit. Ferunt Aristotelem, cùm causas Euripi duodecies una die æstuantis penetrare non posset, se ipsum aquis hauriendum dedisse. Quid de aliis tam multis dicam, quorum causas nec videmus, nec capimus, & tamen sunt? cur Magnes relictis tribus cœli cardinibus ad solum Borealem vertitur? cur Iris tribus tantùm coloribus pingitur, nec unquam orbem integrum absolvit? cur Serpens Fraxini umbram non patitur, & hominis saliva, velut fervente aqua, cruciatur? cur si quis veneno intereat, nullis ignibus cor ejus cremari potest? cur arbor tristitiæ (nascitur in Malabari Insula, & Indi Parizicata vocant) noctu tantùm floret, & Sole tacta comas, floresque deponit? cur Æthiopes etiam extrema senectute nunquam calvescunt? cur Leo Galli cantu terretur, & corallium infra mare mollis herba, supra mare in gemmam duratur? cur Adamas igni, ferroque invictus hircino sanguine mollescit ac frangitur? & ubi nascitur Nilus tantus fluvius, & tamen tam occultæ originis, ut antiquo proverbio pro re impossibili dicatur: *Fontes Nili quærere*; & de quo Claudianus.

Arcanum Natura caput non prodidit ulli,
Amovitque sinus, & Gentes maluit ortus
Mirari, quàm scire suos.

Quis, inquam, istarum, & mille aliarum rerum causas aut vidit, aut ratione penetravit? & tamen dubium non est dari, cùm effectus videamus: Ita in rebus Divinis justæ sunt causæ Prædestinationis æternæ, quamvis nos lateant; nec mirum est latere, quæ supra naturam, cùm, ùt ostendi, tam multa nos lateant etiam intra naturam. *Quis nostrum*, inquit Tertullianus, *scrutari potest apis ædificia, formicæ stabula, telas araneæ?* Et Augustinus inter communes; *Admiratur homo Ecclipsin Solis, quia ignorat interpositionem Lunæ: admiratur Ecclipsin Lunæ, quia ignorat interpositionem Terræ: admiratur adventum fulguris, quia ignorat modum ejus incensionis*. Quid ergo novi, si admirari nos oporteat Judicia Dei, quia ignoramus ejus rationes? nihil enim est aliud reprobatio, quàm Ecclipsis Divini Solis propter oppositionem humanæ voluntatis: vera est, justa est, certa est quamvis ignores; quod enim est rusticus ad Ecclipsin Solis, hoc est omnis homo ad Ecclipsin Dei; uterque causas ignorat, & tamen sicut Ecclipsis Solis non ideo est falsa, quia ejus causas ignorat rusticus; ita Ecclipsis Dei non ideo est injusta, quia ejus causas ignorat Christianus. Optimè Seneca de cœlo disputans: *Illa*, inquit, *Arcana non promiscuè, nec omnibus patent; reducta, & in interiore Sacrario clausa sunt. Aliud hæc ætas, aliud, quæ post nos subibit, aspiciet*. Idque à Seneca verissimè dictum; nam post sex mille annos à condito Mundo primus Galilæus quatuor, novosque Planetas observavit, qui Jovem ambiunt, quosque Stellas Medicæas appellavit, crebris Ecclipsibus inumbrari solitas. Tres quoq; alios Planetas Saturni Comites, adeò, ut pro septem Planetis, quos Antiquitas solos agnovit, nova Astrologia 14. detexerit. Taceo novum Mundum, hoc est, Indias Occidentales post sex mille annos nuper à Columbo repertas indicio anniversarii, statique venti ab occasu spirantis; hic jam mille sex annis spiraverat, & tamen solus Columbus agnovit, quid ferret, & forsan alii quoque Mundi supersunt tam nobis occulti, quàm Columbo America. Si ergo in hoc Mundo spectabili tam multa fuere, & adhuc sunt, quæ nos latent, futuræ ætati reposita, quantò id veriùs erit de rebus illis, quæ planè nos fugiunt, quæque futura post nos ætas in Cœlis aspiciet? Reperiri non potest Mundus Prædestinatorum nisi mari transmisso, hoc est finita hujus vitæ navigatione; tunc nostrum quilibet Columbus erit, nunc verò tam ignari Orbis Electorum, Reproborumque vivimus, quàm Columbus Americæ, cùm Hispali solveret. Ergo exspectemus, dum liceat navigare, & in portum appellere.


Finiam hoc argumentum de occultis

Naturæ, ubi unicum adjunxero Divinæ Providentiæ, etiam in rebus desperatis pulcherrimum specimen, ex quo intelligas, quantùm etiam in Naturalibus rebus Divina consilia ab humanis distent. Est in Oceano Atlantico inter Canarias, seu Fortunatas Insulas, Occidentem versùs una, quam *Ferream*, vocant. In hac nulli fluvii, nulli fontes, nulli rores, nullæque pluviæ, sicque aquarum dulcium nulla copia: Incolæ ferè sex mille numero. Quis non crederet omnia siti peritura, cœlo tam arido? aut quis remedium inveniet? Et tamen providit natura. In medio Insulæ arbor maxima, densisque frondibus, folium Olivam imitatur, fructus glandem optimi odoris, & aromaticus, 40. pedes longa, & ubi comæ maximè sparguntur, pedes 120. lata. In hanc quotidie sub Meridiem Nubes incumbit, duratque in proximum diem, & Solis exortu evanescit. Ex nube per folia, ramosque tanta vis aquarum decurrit, ut sufficiat vicies mille amphoris implendis, una uerò Amphora quinque hominum siti. Ex puteo per Euripos, Nilosque in totam Insulam aqua diffunditur, abundatque omnium necessitati. Ita recenset Bethencour Nobilis *Gallus lib. de Insulis Canariis cap. 65*. Petrus Boncher Ordinis S. Francisci: Joannes Verrier Sacerdos, Thomas Nicolaus Anglus, Jaeson Anglus, testes oculati, & ex istis Sanson Regis Christianissimi Geographus de Insulis Canariis fol. 64. Quis mihi jam causas aperiet tam miræ rigationis? quòd Nubes quotidie uno loco, certoque tempore, & in unam tantùm arborem subsidat? quòd nec ventis, nec Sole Meridiano dissipetur, ut aliæ nubes, nec consumatur quotidiano, ac tam largo imbre, quodque exurgat sereno ubique cœlo? Deinde, si ab aliquo quærerem, qui nunquam hoc naturæ prodigium vidisset, legissetque, fieri ne potest, illic homines, & animantes vivere, ubi nulli fontes, nulli fluvii, nullique lacus, & nulla pluviarum copia? quis non responderet, fieri non posse? Et tamen fieri certum est, eamque insulam habitari, Deo supra hominum fidem providente. Ita, multoque magis fieri credendum est in iis, quæ animam, ac æternitatem spectant; quis enim credat, Deo plùs Insulam, quàm Animas cordi esse? Quàm multi sunt, qui conqueruntur Turcis, Æthiopibus, Persis, Indis, Barbarisque Evangelium, & Sacramenta defuisse, quibus salvarentur, exclamatque: *Heu Insulas ferreas, quibus Cœlum nunquam pluit!* Sed interim non intelligunt, nullum esse tam Barbarum, cui licet Evangelio, Sacramentis, aliisque ordinariis mediis destituto, alia remedia, alia, & occulta gratiæ auxilia, aliæ nubes singulis mortalibus innatæ non suppetant sedandæ siti, vincendæ concupiscentiæ, ac evitandæ æternæ morti. Ex his nubibus Cornelius Centurio, aliique Gentiles bibere, quos Deus miris modis ad veram fidem, æternamque salutem vocavit, & exempla abundant, quæ referre nolo. Nemo ergo Deum accuset, quippe nulla Insula tam ferrea, tamque arida, cui Cœlum non pluat; nulla Anima tam deplorata, cui non sufficiens, largumque auxilium. Quòd si natura non deficit in necessariis, multò minùs deficiet gratia: nescio modum, sed scio, non deesse.

Quòd si tam difficilè est, causas rerum Naturalium invenire, multò difficiliùs eorum causas, quæ ab hominum consiliis, arbitrioque dependent, & ideo jure optimo Jeremias cap. 17. vers. 9. *Pravum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud?* septuaginta habent: *βαθεῖα καρδία*, hoc est, *profundum est cor hominis:* Et verò tam profundum, tamque inscrutabile, ut Theologi doceant, occultas hominum intentiones ne ab ipsis quidem Angelis posse penetrari. Quòd si cor hominis tam inscrutabile aliis, quantò magis cor Dei? Sed aliqua videamus. Narrat Spondanus ad Annum 1204. & plures alii ab eo laudati, Petrum Secundum Arragoniæ Regem ab Innocentio III. Romæ coronandum, die Inaugurationi sacra in Vaticano comparuisse auro, gemmisque insignem, excepto Diademate, quod adamantum, & Margaritarum loco pane contextum erat. Nemo aliquis poterat tam novum Coronæ genus ingenio assequi: alii conjectabant, voluisse Regem Populis abundantiam polliceri: alii Concordiam, pane ex multis granis unitisque compacto; alii Regis frugalitatem à delitiis abhorrentis, & populari esca contenti: alii cultum interpretabantur sanctissimæ Eucharistiæ: alii delirium, alii risum, & jocum. Finitis Sacris causam rogatus; eam dedit,

dit, quæ nemini in mentem venisset. Solebat eo tempore Pontifex, cùm Reges coronaret, aureum diadema pedibus stringere, candidatoque imponere. Pudebat Petrum, credebatque infra Majestatem, tam abjectè haberi; ut ergo Pontifex pedibus abstineret, reverentia panis coronam ex pane delegit. Quis unquam aut videntium, aut legentium hanc causam indagasset, nisi illam Rex ipse depromeret! Recenset Nanus in Historia Turcica: Amurathem Turcarum Tyrannum; cùm febri decumberet, vicinaque morte remedia cessarent, jussisse omnia vasa crystallina ingentis pretii, quæque in deliciis habuerat toto Orbe quæsita ex insperato collidi, nec priùs quievisse, quàm omnia se coram frangerentur. Paulo post sanitas rediit. Quis mihi causam exponat, cur id jusserit Amurathes, subitoque perdi vellet, quæ adeò amaverat? An mentis delirio? an quòd hæredibus invideret, nec vellet alios frui, quibus ipse non poterat? Nihil istorum. Ipse causam aperuit. Solebat ante mortem in crystallo bibere, & semel adeò largè se proluit, ut secuta flagrantissima, morti præluderet. Rebus desperatis vovit se nunquam deinceps vino usurum; utque incentiva ebrietatis procul haberet, nec elegantia, visuque crystalli votum abrumperet, comminui vasa, delerique voluit. Age jam verò tu, qui divina experiri, animoque complecti tentas, compone Amurathem cum Deo, pocula cum hominibus: si non capis consilia Amurathis de poculis, quomodo capies consilia Dei de hominibus? Nescis cur Amurathes frangi crystallum jubeat, & scies cur Deus damnari hominem permittat? Nescis, quæ homo agit circa vitrum, & scies, quid agat Deus circa Animam? Ergo in Amurathe, quòd primò delirium omnibus videbatur, posteà sapientissimè factum apparuit. Referunt quoque de Anaxagora, cùm maxima æstate, sereno cœlo, & ferventissimo diei Sole ludi Olympici agitarentur, convenissetque ad spectaculum flos Græcæ Juventutis, intrasse Philosophum cerato pileo, penulaque crassissima, & impenetrabili onustum. Omnes in risum, & sannas effundi, illudebantque velut insano, quòd frigeret ardente cœlo, & reliquis omnibus aut seminudis, aut vix levissimo amiculo æstum ferentibus. Sed paulò pòst densissimæ nubes cœlo obductæ, tantaque vis pulviarum secuta, ut Theatrum, & homines aquis implerentur, intacto solùm Anaxogara, qui astrorum peritus pluvias prævidera t, & cujus consilium ante eventum imprudens videbatur; sed post eventum prudentissimum, dignumque Philosopho. Quid de aliis, & occultissimis Mortalium consiliis dicam, quæ non semel aut aliqnando, sed passim, & quotidie contingunt? videlicet aliquis puellam elegantissima facie, gemmis, unionibus, illecebris plenam, totoque habitu amores, & delicias spirantem: videt, inquam, noctu, extinctis facibus, clam, suspensoque gradu ab Eunucho in Tabernaculum, & thalamum duci decumbentis Imperatoris: quis non credat, Thaidem, & Lenam esse? & tamen Juditha est, sancta, innocens, pudica, eademque nocte bellum finitura, hoste obtruncato. Videt alius adolescentem comptum, ferro præcinctum, pallioque faciem velante lupanar ingredi, provecta jam nocte: quis non credat Veneris militem? & tamen Theodorus est Christi martyr; Christianam prostibulo educet, mutato cum Virgine habitu, delusaque custodia. Videt alius senem talari amictum, capite canis sparso, feroque inambulantem, fasciculos florum manu, sinuque gestare, ut virgines solent; quis non credat, aut insanire, aut uxorem capere? & Philippus Nereus est, qui, ad Insulam vocatus, honores fugit, simulato delirio. Manet ergo fixum, ratumque, quòd probandum initio susceperam, multa in natura fieri, multa ab hominibus, quæ optima sunt, quamvis lateant causæ, primoque aspectu aut impossibilia, aut inconsulta ignorantibus videantur. Idem ergo dicendum de divinis Judiciis, quæ non ideo injusta sunt, quia nobis occulta, imò quia occulta, insanus sit, qui sententiam ferat de rebus, quas non intelligit. Memento, nihil esse naturam, omnesque creaturas, si cum Deo, & divinis comparentur: quid enim est Nilus, aut Iris, aut Magnes, aut humana consilia cum Deo, rebusque divinis composita? Tu ergo, qui non capis tam parva, tamque exposita; quomodò capies tam magna, tam-

que recondita; quique in placidissimo, & minimo lacu nescis cymbulam agere, quomodo velificabis in maximo, & turbatissimo pelago? Et quid agis, cùm rerum naturalium causas, & rationes non assequeris? An tibi non sufficit effectum videre, aut saltem ab hominibus probatissimæ fidei audire? Idem ergo fac in rebus Decretisque divinis. Duo hominum oculi sunt, fides, & ratio: uterque, aut saltem oculus fidei falli non potest; cùm ex adverso oculus corporis mille erroribus pateat. Dicit tibi oculus fidei, Deum existere, & justum ac bonum esse in omnibus operibus suis: idem quoque omnis ratio, omnisque creatura clamat. Tu ergò, qui non dubitas Magnetem semper in Boream, nunquam in Austrum vergere, quia id oculus tuus dicit; cur dubites, Deum semper bonum, & justum esse, nunquam verò malignum, quia id fides, & ratio manifesta docet? An verò de Magnete oculo credes, qui falli potest, & de Deo non credes fidei, apertæque rationi, quæ falli non possunt? Duo testes oculus, & fides. Oculus testis sæpe mendacii, falsique convictus. Dicit Solem parvum esse, & falsum est. Dicit Lunam maculis aspergi, & falsum est. Dicit umbram esse nigram, moverique, & id quoque est falsum. Dicit cœlum stare, iridem coloribus pingi, aerem cœruleum, remosq;aquæ immersos fractos esse, quæ omina sunt falsa. Tu ergo qui oculo tuo credis testi toties mendaci, cur non magis fidei credas testi semper incorrupto, & nullius mendacii comperto?



§. III.

Causam Divinorum Judiciorum quærentibus optima datur, omnique demonstratione potentior.

NOtat Plinius *libro* 21. *capite* 7. aliquos esse flores, *quorum*, inquit, *odor suavior è longinquo, propiùs admotus hebetatur, ut violæ, ac liliorum*. Ita in rebus ac consiliis divinis, quæ meliùs capiunt, qui minùs, quàm qui nimis accedunt. Id optimè expressit Sanctus Zeno: (a) *Non intelligunt miseri, quoniam curiositas reum efficit, non peritum*: Et ideo Sponsa fugere à se dilectum optabat: *Fuge*, inquit, *dilecti mi, & assimilare capreæ, hinnuloque cervorum*. Mirum votum amantis! nam quæ homines amare, præsentes volunt, optantque videre, & amplecti; secùs illa, quæ Deum amat; diligit enim, & fugit: quæ causa tam miri, timidique amoris? quia videlicet *curiositas reum efficit, non peritum*. Si causam tamen pertinaciter velis divinæ Prædestinationis, ea quoque in promptu est, tam clara, convincensque, ut clariorem, magisque invictam ne optare quidem possis. Eam breviter perstrigit eloquentissimus Salvianus: (b) *Satis mihi sit*, inquit, *pro universis rationibus Author, & ordinator Deus. Author in iis, quæ facit, ordinator in iis, quæ permittit*. Ex qua Salviani sententia ita argumentamur: Deus est justus, & bonus, ita ut non possit esse injustus, aut malus; ergo ejus quoque judicia sunt justa, & bona, ita ut non possint esse injusta, & mala. Si ergo ejus judicia justa, & bona, ergo nulla causa criminandi: alioquìn si tibi hæc demonstratio non sufficit, quæ ergo sufficiet? aut quid ampliùs velis? aperiantur Archivia æternitatis, evolvantur cœli Annales; retexantur longi, funestique pro-

(a) *Lib.* 2. *de æterna Filii Generat.*
(b) *Lib.* 3. *de Provid.*

processus, Tabularia, Protocolla, Libelli, Causæque damnatorum, & à Deo, velut à Judice suspecto, corruptoque rationes exigantur, cur illum & illum perire permiserit: quod, inquam, in his omnibus fortiùs occurret, quandoque animo etiam obstinatissimo aptiùs, quàm demonstratio Salviani repetentis: *Satis mihi sit pro universis rationibus Author, & ordinator Deus*. Quoties ergo tu dixeris mihi: quare Deus, qui est tam bonus, permittit tot mala? quare, cùm omnium sit Deus, non æquè omnium miseretur? quare ex duobus gemellis fratribus Jacob dilexit, Esau odio habuit? toties respondebo tibi. *Satis est mihi pro universis rationibus Author, & ordinator Deus*. Et si iterum petas, cur non annuntietur Indis Evangelium? cur Persæ non illuminentur? cur Tartaris, Chinisque tantis Imperiis nunquam emerserit Sol veritatis. Si, inquam, hæc mihi objeceris, iterum, iterumque respondebo: *Satis est mihi pro universis rationibus Author, & ordinator Deus*.

Si enim demonstratio ex Aristotelis sententia constare debet ex *prioribus*: quid, rogo, est priùs divina Voluntate, quæ est æterna? Si ex *notioribus*; quid notiùs, est quàm Deum justum & Sanctum esse. Si ex *necessariis*; quid magis necessarium est, quàm nihil esse injusti, nihilque mali in eo, qui est summè justus, summeque bonus? quemadmodum in eo, qui est summe candidus, nulla nigredo; & in eo, qui summè calidus, nullum est frigus. Si denique Demonstratio constare debet ex *causis* conclusionis; voluntas divina omnes causas complectitur, estque causa efficiens, exemplaris, finalis, formalis, & subjectiva omnis boni, & recti; adeò ut in hoc Enthymemate: *Deus Iudam damnari permisit; ergo Iudas justè rectèque damnatus est*: conclusio per omne genus causarum probata sit, quod in nulla alia demonstratione reperias. Tu ergo, quicumque es, rationes, & argumenta quære, tu disputa, & dubita; ego securus cum Salviano repetam: *Satis est mihi pro universis rationibus Author, & ordinator Deus*. Si quidem noctu in officinam ducam præstantissimi pictoris, qualis olim Apelles, & Parrhasius, nostrisque temporibus Rubenius, & Hostenius fuit, subitoque extinctis facibus à te quæram: dic mihi sodes, hic color est niger, an albus? hæc imago est turpis, an pulchra, hæc tabula est rasa, an picta; quid aliud respondebis, nisi, non possum judicare, quod non video, credo tamen pulchrum esse, quidquid Apelles pinxit. Idem de Deo, ejusque operibus dicendum: Totus Mundus officina Dei est, & quot homines, tot Dei Imagines; aliæ candidæ; aliæ atro colore pictæ; hoc est, aliæ æternum miseræ, aliæ æternum felices. Nox est Prædestinatio obscura & illunis, & in qua omnem facem humani ingenii Deus extinctam voluit. Si ergo à me quæras: cur Deus hanc imaginem nigram, aliam candidam pinxit hunc felicem, illum infelicem; hunc vas in honorem, illum vas in contumeliam. Judam desperantem, Petrum pœnitentem; paucos salvari, multos damnari voluit: imò non voluit, sed tantùm permisit, quid aliud, inquam, respondebo, quàm non est, faces extinctæ sunt, non video, nec possum cæcus de coloribus judicare, credo tamen pulchrum esse, quidquid Apelles pinxit, & justum esse, quidquid Deus fecit. Summa ergo omnium demonstrationum sit illa Salviani: *Auctor & ordinator Deus*.

Hæc ipsa argumentatione tanquàm insuperabili semper usi sunt Sancti Doctores, quoties de Prædestinatione loqui oportuit S. Greg. *l.* 25. *Moral. c.* 36. *Docemur*, inquit, *non temerè discutere æterna consilia de aliorum vocatione attendentes, quod injustum esse non potest, quod placuit justo*. Et S. Paulinus *epist.* 38. *Non est ambigendum omnia Dei, etsi nobis non sint perspicua, tamen esse consulta*, S. Ambr. *in Luc. l.* 4. *c.* 5. *Si Deo non credimus, cui credemus*, quasi dicat: cogita quàm multa credas esse vera, quia homines dicunt, & nisi crederes, omnium risui, & sannis pateres. Credis Geographis esse veram Americam; credis Navigantibus, esse verum in Ægypto Nilum credis Mercatoribus, esse veras in Sinu Persico Margaritas: credis unguentariis verum balsamum in Palæstina ex arboribus fluere: credis Historicis, verum aliquem Pompejum, & Ciceronem Romæ fuisse. Hæc omnia nunquam vidisti & tamen credis quia homines dicunt. Amabò te, cur non multò magis credas, æquissima & honestissima, quæ Deus facit, cùm hoc ipsum & ratio,

licet homini loqui. Si ergo ne Paulo quidem de hoc Arcano Prædestinationis loqui permissum, quantò minus nobis, qui nec in Paradiso fuimus, nec rationes audivimus?

Sextò. Idem Apostolus 1. Corinth. cap. 13. de divinis operibus loquens, *videmus*, inquit, *nunc in Ænigmate*. Nullum grandius ænigma ut illud Prædestinationis; & in hoc idem fecit Deus, quod olim Augustus, qui, cùm consilia, & secreta sua vellet occultissima, litteras annulo, gemmaque signabat, cui Sphynx insculpta: *Augustus inquit Plinius l. 27. c. 1. inter initia Imperii Spynge signabat*. Sphynx monstrum erat Thebis vicinum, quod viatoribus Ænigmata proponebat, quæ solvi non poterant, quique frustra, nulloque successu tentabant, confestim à monstro necabantur, nec aliud remedium evadendi, quàm à via declinare, solus Oedipus tandem evolvit. Ergo ut olim litteras Augustus, ita nunc Deus grande Prædestinationis Chirographum Sphynge notavit, voluitque Ænigma esse mortalibus insolubile: huic explicando, quotquot accincti sunt, Manichæus, Origines, Pelagius, Calvinus, omnes periere: ipse Spiritus S. mortem induxit, quotquot temere conarentur, *Qui Scrutator est majestatis, opprimetur à gloria*. Videmus ergo nunc, hoc est, dum iter ad Cœlum agimus; videmus, inquam, in Ænigmate: noli scrutari, si non vis opprimi; noli ad hanc Sphingem accedere, si Oedipus non es. Narrat Clemens Alexandrinus Diopoli in Ægypto tabulam videri more illius gentis (quæ figuris pro verbis, literisque utitur) his imaginibus sculptam: infantis, senis, Accipitris, piscis, & Crocodili. (a) Amabò te, si Theologus, si Philosophus, si Astrologus, si Historicus, si omnia es, hoc ænigma interpretare, & sententiam figurarum expone, quod si non potes hoc ænigma Ægypti, quantò minùs ænigma Cœli? Quoties ergo Prædestinationem audis, toties cogita ænigma esse hominibus in accessum, solique Deo notum, & ideo nec humano ingenio tentandum.

Septimò. Christus denique ipse Joan. 3. *Spiritus*, inquit, *ubi vult, spirat, nescis unde veniat, aut quò vadat; sic est omnis, qui natus est ex spiritu*. Duplex est hominibus Nativitas, Prædestinationis, & Gratiæ; prima concipit, secunda parit: utriusque causa, & origines tam incomperta, quàm ventorum. Sicyonii, teste Pausania, nocte ventis sacrificabant, ut innuerent, eorum naturam esse scitu difficillimam. Duo in Regno æternitatis flant venti, Aquilo Justitiæ, & Favonius misericordiæ, isto ad æternam vitam, illo ad æternam mortem spirante; sed uterque spirat, ubi, & quando vult. Quis utriusque sit exitus aut origo, unde veniat, aut quò vadat, ignoro. Quid remedii? utrique huic vento *noctu Sacrificia*, hoc est, crede, quod non vides: nox est ignorantia, sacrificium sit fides. Si ad Austrum pertines, lauda; si ad Aquilonem time; semper tamen *Sacrificia noctu*, tuamque ignorantiam fatere, crede esse justa, quamvis obscura. Dic cum Davide: *Misericordiam, & Judicium cantabo tibi Domine*: Misericordia est Auster, Judicium Aquilo, utrumque adora. Hactenus Scripturæ, nunc Patres audiamus. Primò Tertullianus, *Quis*, inquit, *revelabit, quod Deus texit? unde sciscitandum est? ergo ignorare tutissimum est*. Nota illas voces *ignorare tutissimum*; quemadmodum, & papilioni tutissimum est, non accedere ad facem, à qua crematur, & aliò festinanti tutissimum est non ingredi labyrintum, in quo faciliùs erret, quàm exeat. Ita hominibus, quæ Deus abscondita voluit, tutissimum ignorare.

Secundò. Salvianus *de Provid. lib. 3. Possum constanter, & rationabiliter dicere, nescio secretum, & consilium Divinitatis ignoro* (b) Hoc est responsum Philosopho Christiano dignum, quidquid ex me quæsieris de occulto Prædestinationis consilio, respondebo tibi

(a) Sensus Emblematis Ægyptiaci hic est: o qui nascimini, & interitis. Deus odit impudentiam. Cyrillus libro 5. Stromatum. Ægyptiis enim Infans generationem; senex interitum; accipiter Deum; piscis odium, Crocodilus impudentiam signant.

(b) Idem Salvianus lib. 3. de Gub. *Homo sum, non intelligo; secretum Dei investigare non audeo*.

cum Salviano: *nescio, ignoro*. Nihil me-
ıs dici potest, quoties hæc causa vertitur.
ur Deus non omnes salvet, cum omnes
ssit? cur non omnibus det gratiam illam
icacem, & triumphatricem peccati? cur
t innocentes ante Baptismum mori per-
ittat, cur modò post quatuor mille annos
Mundum venerit, quadraginta interim
eculis Idolatria totum Mundum implen-
? cur Luciferum, totque Seraphinorum
ercitus labi permiserit, damnaveritque
nius cogitationis, unius momenti reos?
r, inquam, hæc omnia? *Nescio secre-
m, & consilium Divinitatis ignoro!* Ne-
e hæc ignorantia Sapientem dedecet: Sa-
entis enim est scire, quæ sciri possunt;
n autem velle scire, quæ sciri non pos-
nt: Quis enim sapientem dicat, qui ar-
n scire velit volandi sine pennis, & na-
gandi sine remis, velisque? aut quis un-
am Sapientum conatus est oculis sonum
dire, aut auribus colores videre? At-
i, ut optimè notat Augustinus, idem est,
*rutari inscrutabilia, quod velle videre invi-
ilia, aut fari ineffabilia*.

Tertiò. Sanctus Augustinus in illa Pauli
erba: *O Homo, tu quis es, &c. Magnum
ndus habet, quod dictum est, O Homo, tu
is es; nam in talibus quæstionibus ad suæ ca-
citatis considerationem revocat hominem ver-
quidem brevi, sed reipsa magna est redditio
tionis: si enim non capit hæc, quis est qui
spondeat Deo? si autem capit, minùs inve-
et, quid respondeat*. Quasi dicat Augusti-
us: Cùm interrogantibus de Prædestina-
one Apostolus respondit: *O Homo*? idem
cisse videtur, quod Apelles, cùm sutori,
Helenam suam accusanti respondit: *O Sutor,
ultra crepidam*! Apelles dixit: *O Sutor*,
postolus dixit: *O Homo*: sicut enim non
t Sutoris de Helena disputare, ita nec
Hominis de Prædestinatione: O sutor,
e ultra crepidam. O Homo, ne supra ho-
inem. *Deinde* nota illud dilemma Augu-
ino dignum: aut, inquit, Judicia Dei
apis, aut non capis? Si capis, justa inve-
is: si non capis, cur carpis, & cur accu-
as? nemo enim accusare, & carpere po-
est, quæ non intelligit. Si tecum Persicè
loquar, & tu Persicè non intelligas, non
poteris mihi respondere, nec capere, quæ
ego loquor, & quæ tu non intelligis. Si er-
go tu non intelligis me Persicè loquentem,
quomodo intelliges Deum loquentem, &
agentem divinè? Et si non habes, quæ res-
pondeas mihi Persicè loquenti, quid habe-
bis, quod respondeas Deo loquenti, &
agenti divinè? Optima ergo, & justissi-
ma Apostoli increpatio, cum dicit: *O Ho-
mo, tu quis es, qui respondeas Deo*? Idem
Sanctus Augustinus *Tract. 26. in Joannem*
in illa verba? *Nemo venit ad me, nisi Pater
meus traxerit illum*. *Nemo*, inquit, *venit
nisi tractus: quem trahat, & quem non tra-
hat; quare illum trahat, & quare illum non
trahat, noli velle judicare, si non vis errare*.
Idem ergo est in causa Prædestinationis, vel-
le judicare, quod velle errare; quemadmo-
dum in Euripo Bœotiæ Freto perpetua
tempestate, & septenis quotidiæ æstibus tur-
bido, idem est velle natare, quod velle mer-
gi, nec aliud naufragio remedium, quam ut
illuc non intres; Exemplo Beati Ægidii,
qui rogatus de Arcano Prædestinationis,
respondit: *Sufficit mihi littus maris ad lavan-
das manus, & pedes, at totum corpus, cur
ipsum mare ingrediar? hoc est, cur velim scru-
tari, cùm sufficiat* credere. (a) Idem San-
ctus Augustinus sermone 20. *de verbis* Apo-
stoli: *Si scrutari inscrutabilia venisti, cre-
de quia peristi; tale est enim velle scrutari
inscrutabilia, & in vestigabilia vestigare; qua-
le est velle invisibilia videre, & ineffabilia
fari*.

Quartò. Sanctus Gregorius illa verba ex-
pendens: *Nunquid nosti ordinem Cæli, & po-
nes rationem ejus in terra? Job. 38. vers. 33.*
Ad rem nostram ita scribit: *Ordinem Cæli
nosse est supernarum dispositionum occultas Præ-
destinationes videre, rationem verò ejus in
terra ponere, & ante humana corda talium se-
cretorum causas aperire, quod nique facere in
hac terra positus nemo potest; quia quantalibet
quis virtute proficiat, quantumque scientia ex-
crescat; penetrare non sufficit, quæ nos Condi-
tor moderamine judicorum regat*. Nota in
hæc verba Jobi, ubi versio nostra Latina
habet: *Nunquid nosti ordinem Cæli*? versio-
K nem

(a) Nierenbergius *in Theopolitico* fol. 137.

nem Hebraicam habere: *Nunquid nosti leges, & statuta Cœli?* ordinem enim, motusque Cœli, & Stellarum, quæ videlicet superiores, quæ inferiores, quæ noctu, quæ interdiu luceant, quæ magnæ, quæ parvæ, quæ, & quando oriantur, occidantque, optimè Astrologi callent. Imò Archimedes omnem Cœli ac Planetarum ordinem, motus, ortum, & occasum in Sphæra vitrea distinctissimè ostendit, Ordo ergo cœli sciri potest, ac etiam in charta utroque pingi. Sed leges, ac statuta cœli sciri non possunt: cœlum enim alicubi semper serenum, alicubi semper turbidum est, alibi salubre, alibi noxium. Nunquid mihi causas divinabis, cur semper, ac stabili lege coelum tam variè in terras influat? cur in sola Ægypto nunquam pluat, cœlo semper sereno? cur in Africa, cùm æstas est, summique calores noctes roribus abundent, frigeantque? cur in Locris, & ad lacum velinum in Italia quotidie Iris in Cœlo spectetur, cur Rhodis, & Syracusis semper aliqua diei hora Sol videatur, quamvis alioquin nubilo aere, & pluviis squallido? Si ergo cœli, quod videmus, nemo leges novit, quantò minùs noverit Leges, & Decreta Dei, quem non videmus?

Quintò sanctus Bernardus Epist. 189. *Nihil magis contra rationem, quàm velle rationem ratione transcendere: Nihil magis contra fidem, quàm credere nolle, quidquid non possis ratione attingere.*

Denique *Sanctus Hilarius libro 8. de Trinitate: Sapientiæ hæc veritas est, interdum sapere, quod nolis,* quasi dicat Hilarius: cogita, quàm multa homines faciant affectibus suis, & genio aversa, ut finem aliquem obtineant. Mercatores merces jactant, ut naufragium evadant: Milites vulnera, & mortem ferunt, ut stipendiis, ac victoria potiantur, & ægroti, ut sanitatem recipiant, quam multa faciunt, quæ nolunt? quantò igitur magis fidei, animæque servandæ causa, ac in gratiam æternæ veritatis oportet Christianum aliqua sapere, aliqua credere, quæ intellectus nolit. Ægroto amara videtur potio, quam sumit, haurit tamen, fiducia, & reverentia Medici, qui illam propinat. Sic Christiano amara videntur cœli Judicia; adoranda sunt tamen fiducia, ac reventia Dei, qui illa revelat. Persuadet tibi Medicus, ut bibas ingrata; persuadeat tibi Deus, ut credas difficilia. Dicit Ægrotus cum Medico: sanitas est interdum bibere, quod nolis; tu dic cum Hilario: *veritas est, interdum credere, quod nolis.*

§. II.

Multa esse in rerum natura, quæ licèt vera, occultas tamen, & impenetrabiles habent causas, nec ideo falsi accusari possunt. Ergo multò magis idem dicendum de alea Prædestinationis.

PEssima semper fuit illa argumentatio: *Non video, non capio ergo non est.* Id enim perinde fuerit, ac si noctua dicat: Solem non video, ergo Sol non est. Quòd enim tu aliquid non capias, sæpe ignorantia tua facit, & ideo non res ipsas accusare, sed ignorantiam oportet. Id verum esse, hoc paragrapho ostendam, in quadruplici rerum genere. *Primò* in Mysteriis supernaturalibus. *Secundò*. In dispositionibus Divinæ Providentiæ. *Tertiò*. In rebus Naturalibus. Et *quartò*. In consiliis, factisque humanis. Ex quibus optimè inferes: si tam multa ignoramus, quæ vera sunt, mirum non esse, si etiam unum illud, & impenetrabile Secretum Prædestinationionis verum, justumque sit, quamvis non appareant ejus causæ, imò temerarios esse, qui accusant, quod ignorant, cùm potiùs accusare se ipsos, & imperitiæ deberent, quia nesciunt, & temeritatis, quia audent.

Incipiamus ergo à *rebus Divinis*. Jam suprà ostendi, multa à Deo facta esse, quæ humana ratione videbantur fieri non posse. Nolo repetere, quæ de Creatione, Incarnatione, ac Trinitate disservi. Revoca tantum in mentem originem, & incrementa Christianæ Religionis. Cui unquam venisset

set in mentem expugnandæ Idololatriæ, tot sæculorum possessione, tot Imperatorum viribus, & potentia, tot Philosophorum Libris, tot suppliciis armatæ suffecturos duodecim Piscatores inopes, rudes, inermes, ineloquentes, & suppliciis consumptos? Planè non minùs id dignum admiratione, quàm si delendæ munitissimæ civitati, qualis Babilon, aut Roma fuit, duodecim muscæ accingerentur. Si ego dicerem, Babilonem evertent duodecim muscæ, quis mihi crederet? ac longè incredibiliùs, si totum Romanum Imperium convertant duodecim Piscatores, id tamen factum est. Sed longè miraculum auget, fidemque omnem superat, si consideres, quæ Religio nostra credenda, & facienda præscribit. Adorare pro Deo Hominem in stabulo inter Jumenta natum, & in Cruce inter Latrones extinctum, eumque Jovi tonanti, tot victimis, & aureis Templis, & à tot Imperatoribus culto præferre; imò præ omnibus creatis, & increatis amare, ac pro illo millies mortem, & tormenta perferre: mallepræ voluptatibus supplicia, præ opibus inopiam, præ honoribus contemptum, præ libertate servitutem; nec aliud præmium expectare, quàm speratum, & post mortem ac cineres obventurum Regnum, quod nemo vidit, Civitatem, quam nemo vidit, nuptias, quas nemo vidit, Gloriam, quæ nunquam apparuit, & hæc præsentibus delitiis, honoribus, divitiis, vitæque præferre. Hæc dogmata erant nostræ Religionis, quæ adeo naturæ, ac sensibus repugnabant, quæque hominibus tam absurda visa sunt, ut eam, teste Apostolo, pro stultitia reputarent, & hanc tamen toti Mundo Piscatores persuasere. Quis rogo hoc crederet, antequàm fieret? & tamen factum esse nemo potest negare.

Phlotinus Philosophus Platonicus, cùm apud Gallienum Imperatorem gratia floreret, unamque in Campania Civitatem peteret Platonopolim appellandam, & Platonis legibus, quæ sanctissimæ videbantur, imbuendam, nunquam efficere id potuit, cùm tamen Christiani non unam tantùm civitatem, sed totum Orbem implerent, Imperatoribus non tantùm non faventibus, sed maximè adversis. Quis unquam, antequàm hæc evenirent, sibi persuaderet, plures Crucifixi, quàm Platonis Discipulos fore, & Academiam Cruci cessuram? id tamen præter omnium fidem evenit, duratque tot Sæculis. In iis ergo quæ Deus facit, non est attendendum, quàm aliquid sit nobis creditu difficile, sed quàm nihil sit Deo impossibile. Idem dicas de Prædestinatione. Justè erit, quidquid ipse decernit, quamvis ignores; sicut facile erit, quidquid ipse faciendum susceperit, quamvis non capias: quàm enim Deus est omnipotens, tam est justus: & sicut omnia illi facilia, quia omnipotens; ità omnia illius recta, quia justus; si ergo credis Omnipotenti, crede, & justo.

Narrat Nierembergius, (a) fuisse quendam Anachoretam, qui à Deo quotidianis precibus expetebat, vellet sibi ostendere Arcana suæ Providentiæ. Apparuit Angelus Monachum indutus, rogavitque, vellet sibi comes esse, aliorum, qui in deserto agebant, cellas, invisuro. Primò Monachum adeunt selectæ, & vulgatæ Sanctitatis, ab hoc humanissimè excepti, & pasti. Dum à prandio abeunt, clanculò Angelus phialam, qua aquam hauriebat, subducit. Monachus, furto deprehenso, adolescentem sequi jubet, qui repetat, quem Angelus fuste aggressus interimit. Posteà alterius Monachi cellā pulsant, à quo contumeliis, & verberibus affecti pelluntur, hunc phiala Angelus donat, quam alteri subduxerat. Tum clienti suo timore, & admiratione defixo: phialā, inquit, quam surripui, furto provenerat, & ideo non decuit, ut à Sancto illo Anachoreta, quamvis furti ignaro, possideretur, dedi ergo illàm Monacho scelerato. Adolescens, quem fuste cecidi, si in proximam noctem vixisset, magistrum suum peremptu-rus erat; præveni ergo parricidium, ut innocens moreretur. *Hæc sunt Judicia Dei*. Dixit, & evanuit. Ita Nierenbergius. Quis rogo hoc Ænigma solvisset, nisi Deus ipse aperiret? Sunt, qui Luciferi casum deplorant, Deumque nimiæ severitatis postulant, quòd in creatura tam pulchra, & fœlici unam cogitationem unumq; momentum æternis suppliciis damnaverit. Quòd si tu dicas: Luciferum malle Infernum, quàm Cœlum, nec veniam optare, quamvis Deus dare velit;

(a) *l. 2. c. 1. de Divina Pulchritud.*

non ergo injustè veniam negari nec optanti, nec accipere volenti; quis hoc crederet? & tamen ita est. Refert enim S. Brigitta in *Lib. Revelat.* Visam à se animam æternis ignibus addictam divino tribunali assistere, ac Judicem sic alloqui: *Quam possem salvari, nollem tamen.* Causam rogata: *Ne tu*, inquit, *aliquod de me gaudium habeas, hæc est enim voluntas mea.* Amabò te, hoc unquam divinasses? Scribit Petrarcha (a) & ex illo Spondanus ad Annum 1343. Neapolim inhumani terræmotu quassatam esse, Coelo pluviis, fulminibus, ventisque horrido, & extrema minante. Tota Urbs ac præsertim Joanna Regina nudis pedibus, comisque solutis in Templum effusa: Mare verò tam sæva tempestate jactatum, ut omnes in portu naves, Nautæque, & qui illis vehebantur, mersi fuerint, ne uno quidem superstite, sola navis, quæ quadringentos Latrones vehebat, tota ferè nocte cum ventis, & fluctibus lactata, ubi jam rebus desperatis, remis, velisque consumptis naufragium exspectaret, subitò serenante Coelo, Marique placato ad littus applicuit, ne uno quidem è tot Latronibus merso. Rogo te, quis hic causam reperiet coelestis Consilii? Nam si humanis rationibus hunc eventum metiaris, nemo magis, quàm illi Homicidæ, perire debuit. *Sed quis poterit scrutari vias Domini; aut quis potuit ei dicere: operatus es iniquitatem?* Job. 26.

Qui vidit Susannam duci, & Josephum à Fratribus venditum, ac etiam adulterii convictum, planè concalcatam Innocentiam, & à Deo neglectam diceret: At exitus docuit, non neglectam, sed custoditam fuisse: Nec Joseph regnaret, nisi venderetur, nec Susannæ pudicitiam Orbis agnosceret, nisi damnaretur. Ægyptii, cùm Sacris operabantur, oculis in coelum fixis, ter exclamabant: *O tenebræ, o tenebræ, o tenebræ!* hocque Sacrificandi signum, & principium erat. Ita Mysterium Prædestinationis altis tenebris, & profunda nocte involutum jacet, & qui illud scrutari aggreditur, perinde fecerit, ac densa nocte, extinctisque facibus rerum colores; quos nunquam vidit, distinguere velit. Tenebræ jam sunt, expectanda dies æternitatis, quæ colores; causasque aperiet Divinæ Providentiæ. Nunc aliud dicere Christianis non licet, quàm olim Ægyptiis, cùm Sacris operentur: *o tenebræ! o tenebræ! o tenebræ!* Exitus ergo Artificem commendabit: nam ne quidem Artifices nostri de suis operibus judicari volunt ab imperitis ante operis finem. Si quis ignarus Medicinæ videat venas secari aliàs è naribus sanguinanti, credat perimi ægrotum, & tamen remedium est. Qui nescit artem navigandi, videatque imminente tempestate navim in altum mare, & à littore agi; dicet, naufragio exponi, & tamen tutior erit, quippe scopulis procul: Pictores tabulam velant, nec aspici volunt nisi finitam, sublatoque sipario. Scribunt Adamum Tannerum, celebrem Theologum, in itinere, ac rusticano pago morbo correptum fuisse. Morituro veste, sarcinæque excussæ. Inter alia modicum vitrum repertum, in quo ingens monstrum, horridumque visebatur, quippe cornibus, squammis, alis, spiculo armatum, & mole specieque vasto Draconi simillimum. Ab omnibus conclamatum est, *Dæmonem esse in phiala*, & omnium votis, ac etiam Parochi ad spectaculum vocatis decretum est, si obiret, cadaver prophano loco condendum, veneficio comperto. Tandem supervenit Opticæ peritus, qui cum omnium risu, quem ipsi Dæmonem putabant, scarabæum esse ostendit, Microscopio inclusum, quique vitri mendacio in grande monstrum evaserat. Si ergo ne quidem artificum nostrorum opera ab imperitis, & ante finem æstimenda sunt, quantò minùs opera Dei? Dies extrema Artificem nostrum absolvet, finemque querelis imponet. Id monuit Apostolus: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque Dominus veniat.* Quid minùs pro Deo, & quid justius peti potest, quàm ut illum eodem jure, quo Latrones, reosque capitis, habeas? Nemo Latronem aut judicat, aut damnat, nisi auditum & defensum: tu Deum damnabis, nec auditum, nec defensum? Noli ergo ante tempus judicare, sed expecta, donec à Deo causam intelligas.

Nunc age, examinemus quoque secreta

(a) l. 5. Epist. Familiar. ep. 5.

creta *Naturæ*. Hæc tam admirabilia sunt, idemque omnem superantia, ut humanum ingenium etiam minima fatigaverint, modo vicerint. Fuit, qui 40. Annos in altissimo monte contemplando motui trepidationis impendit, nec tamen intellexit: Alius magnam vitæ partem mellificio apum in vitreo alveari, nec assequi potuit. Ferunt Aristotelem, cùm causas Euripi duodecies una die æstuantis penetrare non posset, se ipsum aquis hauriendum dedisse. Quid de aliis tam multis dicam, quorum causas nec videmus, nec capimus, & tamen sunt? cur Magnes relictis tribus cœli cardinibus ad solum Borealem vertitur? cur Iris tribus tantùm coloribus pingitur, nec unquam orbem integrum absolvit? cur Serpens Fraxini umbram non patitur, & hominis saliva, velut fervente aqua, cruciatur? cur si quis veneno intereat, nullis ignibus cor ejus cremari potest? cur arbor tristitiæ (nascitur in Malabari Insula, & Indi Parizicata vocant) noctu tantùm floret, & Sole tacta comas, floresque deponit? cur Æthiopes etiam extrema senectute nunquam calvescunt? cur Leo Galli cantu terretur, & corallium infra mare mollis herba, supra mare in gemmam duratur? cur Adamas igni, ferroque invictus hircino sanguine mollescit ac frangitur? & ubi nascitur Nilus tantus fluvius, & tamen tam occultæ originis, ut antiquo proverbio pro re impossibili dicatur: *Fontes Nili quærere*; & de quo Claudianus.

> *Arcanum Natura caput non prodidit ulli,*
> *Amovitque sinus, & Gentes maluit ortus*
> *Mirari, quàm scire suos.*

Quis, inquam, istarum, & mille aliarum rerum causas aut vidit, aut ratione penetravit? & tamen dubium non est dari, cùm effectus videamus: Ita in rebus Divinis justæ sunt causæ Prædestinationis æternæ, quamvis nos lateant; nec mirum est latere, quæ supra naturam, cùm, ùt ostendi, tam multa nos lateant etiam intra naturam. *Quis nostrum*, inquit Tertullianus, *scrutari potest apis ædificia, formicæ stabula, telas araneæ?* Et Augustinus inter communes; *Admiratur homo Ecclipsin Solis, quia ignorat interpositionem Lunæ: admiratur Ecclipsin Lunæ, quia ignorat interpositionem Terræ: admiratur adventum fulguris, quia ignorat modum ejus incensionis.* Quid ergo novi, si admirari nos oporteat Judicia Dei, quia ignoramus ejus rationes? nihil enim est aliud reprobatio, quàm Ecclipsis Divini Solis propter oppositionem humanæ voluntatis: vera est, justa est, certa est quamvis ignores; quod enim est rusticus ad Ecclipsin Solis, hoc est omnis homo ad Ecclipsin Dei; uterque causas ignorat, & tamen sicut Ecclipsis Solis non ideo est falsa, quia ejus causas ignorat rusticus; ita Ecclipsis Dei non ideo est injusta, quia ejus causas ignorat Christianus. Optimè Seneca de cœlo disputans: *Illa*, inquit, *Arcana non promiscuè, nec omnibus patent; reducta, & in interiore Sacrario clausa sunt. Aliud hæc ætas, aliud, quæ post nos subibit, aspiciet.* Idque à Seneca verissimè dictum; nam post sex mille annos à condito Mundo primus Galilæus quatuor, novosque Planetas observavit, qui Jovem ambiunt, quosque Stellas Medicæas appellavit, crebris Ecclipsibus inumbrari solitas. Tres quoq; alios Planetas Saturni Comites, adeò, ut pro septem Planetis, quos Antiquitas solos agnovit, nova Astrologia 14. detexerit. Taceo novum Mundum, hoc est, Indias Occidentales post sex mille annos nuper à Columbo repertas indicio anniversarii, statique venti ab occasu spirantis; hic jam mille sex annis spiraverat, & tamen solus Columbus agnovit, quid ferret, & forsan alii quoque Mundi supersunt tam nobis occulti, quàm Columbo America. Si ergo in hoc Mundo spectabili tam multa fuere, & adhuc sunt, quæ nos latent, futuræ ætati reposita, quantò id veriùs erit de rebus illis, quæ planè nos fugiunt, quæque futura post nos ætas in Cœlis aspiciet? Reperiri non potest Mundus Prædestinatorum nisi mari transmisso, hoc est finita hujus vitæ navigatione; tunc nostrum quilibet Columbus erit, nunc verò tam ignari Orbis Electorum, Reproborumque vivimus, quàm Columbus Americæ, cùm Hispali solveret. Ergo exspectemus, dum liceat navigare, & in portum appellere.

Finiam hoc argumentum de occultis

Naturæ, ubi unicum adjunxero Divinæ Providentiæ, etiam in rebus desperatis pulcherrimum specimen, ex quo intelligas, quantùm etiam in Naturalibus rebus Divina consilia ab humanis distent. Est in Oceano Atlantico inter Canarias, seu Fortunatas Insulas, Occidentem versùs una, quam *Ferream*, vocant. In hac nulli fluvii, nulli fontes, nulli rores, nullæque pluviæ, sicque aquarum dulcium nulla copia: Incolæ serè sex mille numero. Quis non crederet omnia siti peritura, cœlo tam arido? aut quis remedium inveniet? Et tamen providit natura. In medio Insulæ arbor maxima, densisque frondibus, folium Olivam imitatur, fructus glandem optimi odoris, & aromaticus, 40. pedes longa, & ubi comæ maximè sparguntur, pedes 120. lata. In hanc quotidie sub Meridiem Nubes incumbit, duratque in proximum diem, & Solis exortu evanescit. Ex nube per folia, ramosque tanta vis aquarum decurrit, ut sufficiat vicies mille amphoris implendis, una uerò Amphora quinque hominum siti. Ex puteo per Euripos, Nilosque in totam Insulam aqua diffunditur, abundatque omnium necessitati. Ita recenset Bethencour Nobilis *Gallus lib. de Insulis Canariis cap. 65*. Petrus Boncher Ordinis S. Francisci: Joannes Verrier Sacerdos, Thomas Nicolaus Anglus, Jacson Anglus, testes oculati, & ex istis Sanson Regis Christianissimi Geographus de Insulis Canariis fol. 64. Quis mihi jam causas aperiet tam miræ rigationis? quòd Nubes quotidie uno loco, certoque tempore, & in unam tantùm arborem subsidat? quòd nec ventis, nec Sole Meridiano dissipetur, ut aliæ nubes, nec consumatur quotidiano, ac tam largo imbre, quodque exurgat sereno ubique cœlo? Deinde, si ab aliquo quærerem, qui nunquam hoc naturæ prodigium vidisset, legissetque, fieri ne potest, illic homines, & animantes vivere, ubi nulli fontes, nulli fluvii, nullique lacus, & nulla pluviarum copia? quis non responderet, fieri non posse? Et tamen fieri certum est, eamque insulam habitari, Deo supra hominum fidem providente. Ita, multoque magis fieri credendum est in iis, quæ animam, ac æternitatem spectant; quis enim credat, Deo plùs Insulam, quàm Animas cordi esse? Quàm multi sunt, qui conqueruntur Turcis, Æthiopibus, Persis, Indis, Barbarisque Evangelium, & Sacramenta defuisse, quibus salvarentur, exclamatque: *Heu Insulas ferreas, quibus Cœlum nunquam pluit!* Sed interim non intelligunt, nullum esse tam Barbarum, cui licet Evangelio, Sacramentis, aliisque ordinariis mediis destituto, alia remedia, alia, & occulta gratiæ auxilia, aliæ nubes singulis mortalibus innatæ non suppetant sedandæ siti, vincendæ concupiscentiæ, ac evitandæ æternæ morti. Ex his nubibus Cornelius Centurio, aliique Gentiles bibere, quos Deus miris modis ad veram fidem, æternamque salutem vocavit, & exempla abundant, quæ referre nolo. Nemo ergo Deum accuset, quippe nulla Insula tam ferrea, tamque arida, cui Cœlum non pluat; nulla Anima tam deplorata, cui non sufficiens, largumque auxilium. Quòd si natura non deficit in necessariis, multò minùs deficiet gratia: nescio modum, sed scio, non deesse.

Quòd si tam difficilè est, causas rerum Naturalium invenire, multò difficiliùs eorum causas, quæ ab hominum consiliis, arbitrioque dependent, & ideo jure optimo Jeremias cap. 17. vers. 9. *Pravum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud?* septuaginta habent: βαθεῖα καρδία, hoc est, *profundum est cor hominis*: Et verò tam profundum, tamque inscrutabile, ut Theologi doceant, occultas hominum intentiones ne ab ipsis quidem Angelis posse penetrari. Quòd si cor hominis tam inscrutabile aliis, quantò magis cor Dei? Sed aliqua videamus. Narrat Spondanus ad Annum 1204. & plures alii ab eo laudati, Petrum Secundum Arragoniæ Regem ab Innocentio III. Romæ coronandum, die Inaugurationi sacra in Vaticano comparuisse auro, gemmisque insignem, excepto Diademate, quod adamantum, & Margaritarum loco pane contextum erat. Nemo aliquis poterat tam novum Coronæ genus ingenio assequi: alii conjectabant, voluisse Regem Populis abundantiam polliceri: alii Concordiam, pane ex multis granis unitisque compacto; alii Regis frugalitatem à delitiis abhorrentis, & populari esca contenti: alii cultum interpretabantur sanctissimæ Eucharistiæ: alii delirium; alii risum, & jocum. Finitis Sacris causam rogatus; eam dedit,

dit, quæ nemini in mentem veniſſet. Solebat eo tempore Pontifex, cùm Reges coronaret, aureum diadema pedibus ſtringere, candidatoque imponere. Pudebat Petrum, credebatque infra Majeſtatem, tam abjectè haberi; ut ergo Pontifex pedibus abſtineret, reverentia panis coronam ex pane delegit. Quis unquam aut videntium, aut legentium hanc cauſam indagaſſet, niſi illam Rex ipſe deprometet? Recenſet Nanus in Hiſtoria Turcica: Amurathem Turcarum Tyrannum; cùm febri decumberet, viciñaque morte remedia ceſſarent, juſſiſſe omnia vaſa cryſtallina ingentis pretii, quæque in deliciis habuerat toto Orbe quæſita ex inſperato colliſi, nec priùs quieviſſe, quàm omnia ſe coram frangerentur. Paulo poſt ſanitas tediit. Quis mihi cauſam exponat, cur id juſſerit Amurathes, ſubitoque perdi vellet, quæ adeò amaverat? An mentis delirio? an quòd hæredibus invideret, nec vellet alios frui, quibus ipſe non poterat? Nihil iſtorum. Ipſe cauſam aperuit. Solebat ante mortem in cryſtallo bibere, & ſemel adeò largè ſe proluit, ut ſecuta flagrantiſſima, morti præluderet. Rebus deſperatis vovit ſe nunquam deinceps vino uſurum; utque incentiva ebrietatis procul haberet, nec elegantia, viſuque cryſtalli votum abrumperet, comminui vaſa, delerique voluit. Age jam verò tu, qui divina experiri, animoque complecti tentas, compone Amurathem cum Deo, pocula cum hominibus: ſi non capis conſilia Amurathis de poculis, quomodo capies conſilia Dei de hominibus? Neſcis cur Amurathes frangi cryſtallum jubeat, & ſcies cur Deus damnari hominem permittat? Neſcis, quæ homo agit circa vitrum, & ſcies, quid agat Deus circa Animam? Ergo in Amurathe, quòd primò delirium omnibus videbatur, poſteà ſapientiſſimè factum apparuit. Referunt quoque de Anaxagora, cùm maxima æſtate, ſereno cœlo, & ferventiſſimo diei Sole ludi Olympici agitarentur, conveniſſetque ad ſpectaculum flos Græcæ Juventutis, intraſſe Philoſophum cerato pileo, penulaque craſſiſſima, & impenetrabili onuſtum. Omnes in riſum, & ſannas effundi, illudebantque velut inſano, quòd frigeret ardente cœlo, & reliquis omnibus aut ſeminudis, aut vix leviſſimo amiculo æſtum ferentibus. Sed paulò pòſt denſiſſimæ nubes cœlo obductæ, tantaque vis pulviarum ſecuta, ut Theatrum, & homines aquis implerentur, intacto ſolùm Anaxogara, qui aſtrorum peritus pluvias præviderat, & cujus conſilium ante eventum imprudens videbatur; ſed poſt eventum prudentiſſimum, dignumque Philoſopho. Quid de aliis, & occultiſſimis Mortalium conſiliis dicam, quæ non ſemel aut aliquando, ſed paſſim, & quotidie contingunt? videlicet aliquis puellam elegantiſſima facie, gemmis, unionibus, illecebris plenam, totoque habitu amores,& delicias ſpirantem: videt, inquam, noctu, extinctis facibus, clam, ſuſpenſoque gradu ab Eunucho in Tabernaculum, & thalamum duci decumbentis Imperatoris: quis non credat, Thaidem, & Lenam eſſe? & tamen Juditha eſt, ſancta, innocens, pudica, eademque nocte bellum finitura, hoſte obtruncato. Videt alius adoleſcentem comptum, ferro præcinctum, pallioque faciem velante lupanar ingredi, provecta jam nocte: quis non credat Veneris militem? & tamen Theodorus eſt Chriſti martyr; Chriſtianam proſtibulo educet, mutato cum Virgine habitu, deluſaque cuſtodia. Videt alius ſenem talari amictum, capite canis ſparſo, feroque inambulantem, faſciculos florum manu, ſinuque geſtare, ut virgines ſolent; quis non credat, aut inſanire, aut uxorem capere? & Philippus Nereus eſt, qui, ad Inſulam vocatus, honores fugit, ſimulato delirio. Manet ergo fixum, ratumque, quòd probandum initio ſuſceperam, multa in natura fieri, multa ab hominibus, quæ optima ſunt, quamvis lateant cauſæ, primoque aſpectu aut impoſſibilia, aut inconſulta ignorantibus videantur. Idem ergo dicendum de divinis Judiciis, quæ non ideo injuſta ſunt, quia nobis occulta, imo quia occulta, inſanus ſit, qui ſententiam ferat de rebus, quas non intelligit. Memento, nihil eſſe naturam, omneſque creaturas, ſi cum Deo, & divinis comparentur: quid enim eſt Nilus, aut Iris, aut Magnes, aut humana conſilia cum Deo, rebuſque divinis compoſita? Tu ergo, qui non capis tam parva, tamque expoſita; quomodò capies tam magna, tam-

processus, Tabularia, Protocolla, Libelli, Causæque damnatorum, & à Deo, velut à Judice suspecto, corruptoque rationes exigantur, cur istum & illum perire permiserit: quod, inquam, in his omnibus fortiùs occurret, quandoque animo etiam obstinatissimo aptiùs, quàm demonstratio Salviani repetentis: *Satis mihi sit pro universis rationibus Author, & ordinator Deus.* Quoties ergo tu dixeris mihi: quare Deus, qui est tam bonus, permittit tot mala? quare, cùm omnium sit Deus, non æquè omnium miseretur? quare ex duobus gemellis fratribus Jacob dilexit, Esau odio habuit? toties respondebo tibi. *Satis est mihi pro universis rationibus Author, & ordinator Deus.* Et si iterum petas, cur non annuntietur Indis Evangelium? cur Persæ non illuminentur? cur Tartaris, Chinisque tantis Imperiis nunquam emerserit Sol veritatis. Si, inquam, hæc mihi objeceris, iterum, iterumque respondebo: *Satis est mihi pro universis rationibus Author, & ordinator Deus.*

Si enim demonstratio ex Aristotelis sententia constare debet ex *prioribus*: quid, rogo, est priùs divina Voluntate, quæ est æterna? Si ex *notioribus*; quid notiùs, est quàm Deum justum & Sanctum esse. Si ex *necessariis*; quid magis necessarium est, quàm nihil esse injusti, nihilque mali in eo, qui est summè justus, summeque bonus? quemadmodum in eo, qui est summe candidus, nulla nigredo; & in eo, qui summè calidus, nullum est frigus. Si denique Demonstratio constare debet ex *causis* conclusionis; voluntas divina omnes causas complectitur, estque causa efficiens, exemplaris, finalis, formalis, & subjectiva omnis boni, & recti; adeò ut in hoc Enthymemate: *Deus Iudam damnari permisit; ergo Iudas justè rectèque damnatus est*: conclusio per omne genus causarum probata sit, quod in nulla alia demonstratione reperias. Tu ergo, quicumque es, rationes, & argumenta quære, tu disputa, & dubita; ego securus cum Salviano repetam: *Satis est mihi pro universis rationibus Author, & ordinator Deus.* Si quidem noctu in officinam ducam præstantissimi pictoris, qualis olim Apelles, & Parrhasius, nostrisque temporibus Rubenius, & Hostenius fuit, subitoque extinctis facibus à te quæram: dic mihi sodes, hic color est niger, an albus? hæc imago est turpis, an pulchra, hæc tabula est rasa, an picta; quid aliud respondebis, nisi, non possum judicare, quod non video, credo tamen pulchrum esse, quidquid Apelles pinxit. Idem de Deo, ejusque operibus dicendum: Totus Mundus officina Dei est, & quot homines, tot Dei Imagines; aliæ candidæ; aliæ atro colore pictæ; hoc est, aliæ æternum miseræ, aliæ æternum felices. Nox est Prædestinatio obscura & illunis, & in qua omnem facem humani ingenii Deus extinctam voluit, Si ergo à me quæras: cur Deus hanc imaginem nigram, aliam candidam pinxit hunc felicem, illum infelicem; hunc vas in honorem, illum vas in contumeliam. Judam desperantem, Petrum pœnitentem; paucos salvari, multos damnari voluit: imò non voluit, sed tantùm permisit, quid aliud, inquam, respondebo, quàm non est, faces extinctæ sunt, non video, nec possum cæcus de coloribus judicare, credo tamen pulchrum esse, quidquid Apelles pinxit, & justum esse, quidquid Deus fecit. Summa ergo omnium demonstrationum sit illa Salviani: *Auctor & ordinator Deus.*

Hæc ipsa argumentatione tanquàm insuperabili semper usi sunt Sancti Doctores, quoties de Prædestinatione loqui oportuit S. Greg. *l. 25. Moral. c. 36. Decemur*, inquit, *non temerè discutere æterna consilia de aliorum vocatione attendentes, quod injustum esse non potest, quod placuit justo.* Et S. Paulinus *epist. 38. Non est ambigendum omnia Dei, etsi nobis non sint perspicua, tamen esse consulta*, S. Ambr. *in Luc. l. 4. c. 5. Si Deo non credimus, cui credemus*, quasi dicat: cogita quàm multa credas esse vera, quia homines dicunt, & nisi crederes, omnium risui, & sannis pateres. Credis Geographis esse veram Americam; credis Navigantibus, esse verum in Ægypto Nilum credis Mercatoribus, esse veras in Sinu Persico Margaritas: credis unguentariis verum balsamum in Palæstina ex arboribus fluere: credis Historicis, verum aliquem Pompejum, & Ciceronem Romæ fuisse. Hæc omnia nunquam vidisti & tamen credis quia homines dicunt. Amabò te, cur non multò magis credas, æquissima & honestissima, quæ Deus facit, cùm hoc ipsum & ratio,

tio, & Deus testentur; quòd si Deo non credimus, cui credemus? aut ergo Deo, aut nulli credendum. Cùm Socrati quædam oblata fuissent à Democrito Philosopho obscurissimè scripta, & ea attentè legisset; rogatus quid sentiret; respondit: *quæ intellexi fortia sunt, puto autem & quæ non intellexi; verùm Delio Natatore indigent*. Sic nos de Deo. Opera illius, quæ intelligis justa sunt, crede autem, justa esse & quæ non intelligis. Quod permiserit Josephum vendi, ut imperaret; quòd Petrum labi, ut compati posset; quòd accusari Susannam, ut constaret Deum innocentibus subvenire; quòd Latronem in extremis pœnitere, ut nemo desperet; hæc, inquam, omnia, quæ intelligis, justa sunt, crede ergo, etiam justa esse, quæ non intelligis. Refert Proclus (a) Hieronem Siciliæ Regem construi triremem jussisse ingentis molis Ptolomæo donandam: cùm verò multis laboribus, longoque tempore, ac totis ferè Syracusis frustra nitentibus moveri non posset, & in aquas mitti, vocatum esse Archimedem: is exiguam, levemque machinam confecit, & Regi navi admovendam dedit continuò lavari navis, & in aquas agi, uno Rege & citra laborem nitente. Rapuit Syracusios admiratio, ac Hieronem præcipuè, qui tota Sicilia edictum in hæc verba vulgari jussit: *Ab hac die, quodcumque dixerit Archimedes, credendum est illi*. Si credendum Archimedi, postquam semel, unoque tantùm opere peritiam suam ostendit, quantò magis credendum Deo, qui toties, tantisque operibus toti Mundo, & tibi præsertim Justitiam suam, Providentiam, & Amorem probavit? Quid fecisti, ut te crearet? quid meruisti, ut sua morte redimeret? & quot casibus te incogitantem, imò & hostem eripuit? & post tot Providentiæ, & Amoris sui argumenta cur toto Orbe, omniumque mortalium cordibus non hoc pendeat Edictum: *Ab hac die, de quacunque re dixerit Deus, credendum est illi*. Quid tua interest, Deus cum aliis fecerit: cur Luciferum, cur Saulem, cur Judam pessumire, damnariq; permiserit, hæc aliena & occulta sunt, nec ad te pertinent; cogita potiùs quid tecum fecerit, ejusque Clementiam & Bonitatem ex iis metire, quæ tibi collata sunt; nulla enim major probatio, quàm ex iis, quæ quisque expertus est. Deus ergo, cùm nihil esses, fecit ut esses. Et cùm posset te lapidem, aut bovem, aut pavonem condere; idque ingens beneficium erat (quis enim non malit lapis, aut pavo, quàm nihil esse) cùm posset, inquam, te plantam, aut brutum facere, hominem te fecit rationali Anima, & immortali præditum: quantumque malum est non sapere, & mori, tantùm beneficium fuit Anima rationali, mortisque victrice donatum esse. Deinde inter ipsos homines, quot sunt cæci, claudi, nani, surdi, mutique? Nihil istorum, quæ tot millibus aliis contigere, contigit tibi. Tu natus inter Christianos, & Fideles, cùm tot alii inter Barbaros, Infideles. Tibi vestiendo, potando, cibando, curandoque omnia Elementa, totque creturarum millia fatigantur. Quoties cecidisti, & ille erexit? quoties errasti, & ille reduxit? quoties deliquisti, & ille ignovit? quoties reus mortis effectus, & ille pepercit? taceo, quòd tibi triginta tres annos amarissimè sudaverit, quòd tibi sanguinem fuderit non guttatim, & parcè, sed torrentis more, quòd tibi vitam inter dolores finierit, nullus ita Filium, aut Sponsam amavit, ut ille te. Taceo tot Sacramenta, tot remedia animæ tuæ procurata, tot voces è Cathedra, tot voces è libris, tot voces è cœlo missas, inspiratasque tibi admonendo, eximendoque periculis. Et post tanta amoris ejus indicia tu, velut de re dubia, & peregrina, quæris & disputas, an Deus sit bonus? an rebus humanis provideat, perinde ac si aliquis media hyeme frigens, tremensque, postquam diu ad ignem consedit, & calefactus est, soluto frigore, è sociis quærat, verumne sit, quòd Phisopiii docent ignem, homines calefacere? quid alios interrogas, quæ tu ipse expertus es? Noli ergo, de Deo, ejusque Bonitate ex iis judicare, quæ Lucifero aliisque damnatis contigere, hæc enim sunt tibi incomperta, sed ex iis, quæ tu ipse probasti.

Si Romam quatuor sunt viæ, quarum tres optimæ, ab omnibus calcatæ, à te ipso centies

(a) *l, 2. c. 3. in Euclidem.*

iese mensæ, quæque in Urbem commodissimè ducunt: quarta verò sit invia, præcipitiis, Latronibus obsessa, & quà nemo pervenit, & tu hanc quartam eligas, quæ pessima est, tribus aliis relictis, quæ optimæ sunt; quis te non dementissimum credat? iam primò nunquam Romam pervenies, deinde certissimæ morti te expones. Ita illis venit, qui ad Indias profecturi, cùm notum tritumque Navigantibus iter Austrum versùs reliquissent in Septentrionem breviori cursu, sed funesto flexere, quippe omnes rigore consumpti sunt, navibus gelu constrictis. Ita prorsùs in causa Prædestinationis. Quatuor ad illam cognoscendam viæ sunt: tres securissimæ; fides videlicet, Ratio, experientia. Fides docet, ratio demonstrat, experientia convenit, Deum in omnibus Judiciis suis justum & clementem esse. Quòd si his viis relictis tu quartam aggrediaris omnibus inaccessam? occultamque; hoc est, non fide, non ratione, non experientia contentus scrutari causas, & arcana velis, planè nunquam hac via pervenies, & medio in cursu vitam, animamque amittes. Clamant omnes Patres, hac navigari non posse, clamant omnium exempla: periere enim, quotquot hanc viam aggressi gelu, & frigore confecti sunt, desperarunt infelices Religionis, Animæque naufragio facto.

Dices: voluntas Dei est tantùm causa Universalis; atqui effectus particulares per solam causam universalem demonstrari non possunt, multoque minùs dubium eximere: Nam si quærenti, cur nix sit alba, non nigra: cur pisces non respirent: cur Gallus cantet revertente Sole; cur Cervi & Boves dentes non habeant? Respondeas, Deum & Naturam ita statuisse; planè rideberis, eritque hæc Demonstratio rustico, quàm Philosopho dignior.

Resp. Aliqua esse, quæ optimè, imò unicè per causam universalem demonstrantur, præsertim cùm tanfæ particulares latent, pendentque ex libera Dei, hominumque voluntate. Si quis navi iter faciat, dubitetque an erret; sufficit omni dubio vincendo, si dicas: *Gubernator hanc viam imperavit, ergo in portum ducit*; præsertim si constet, Gubernatorem esse peritissimum viæ, ac sepissimæ illuc iter fecisse. Ita si sententia Mortis in aliquem dicta sit, quique processui non interfuit, dubitet æqua sit an iniqua? sufficiet respondere: Princeps, examinatâ causâ, ita decrevit, ergo sententia est justa, præsertim si constet, Principem esse justissimum, & causæ, de qua agitur, scientissimum; talis verò est Deus. Pythagoricis loco omnis demonstrationis erat Pythagoræ auctoritas, sufficitbatque ambigentibus dicere: *αὐτὸς ἔφα*: *Ipse dixit*. Cur ergo Christianis non sit præ omni demonstratione Autoritas Dei, sufficiatque finiendis omnibus litibus dixisse: *αὐτὸς ἔκρινε*: *ipse decrevit*: Nec ægrotus causas Medicinæ quærit; nec saucius causas emplastri; sufficit, ut credant, fiantque Medico imperanti. Duo ergo in re aliqua quæri possunt. *Primò* an sit? *Secundò* cur sit? v. g. de Gallo, an verum sit, ejus cantu Leonem fugari? Et quæ causa hujus terroris? ad primam quæstionem affirmativè decidendam sufficit auctoritas Plinii, aliorumque Scriptorum id asserentium, præsertim si accedat experientia, quæ tamen, cùm errori obnoxia sint, non possunt me certum reddere. Idem dicas, majorique ratione de divinis Decretis, nam si quæras, an justa sint; justa esse optimè probatur authoritate, & æquitate ipsius Dei, qui cùm erroris sit expers, me quoque certissimum reddit, nisi dicas ad fidem hominis faciendam plùs valere authoritatem Plinii, qui falli potest, quàm authoritatem Dei, qui falli non potest. Quare autem Deus hoc, illudque decernat, id reconditum est, minusque sciri potest, quàm cur Leo cantu vilissimæ avis effæminetur.

Plura indagare non licet, pendente adhuc velo cœlestis tribunalis. Hæc ergo sit vera, & unica methodus philosophandi de divinis Judiciis, si videlicet credas: *Primò* ita esse secreta & abdita, ut cognosci, multòque minùs ut accusari possunt. *Secundò*. Multa etiam naturaliter contingere, quorum causas & rationes non assequimur, quantò minùs assequemur causas & rationes rerum divinarum? Sed & in ipsis Dei operibus aliqua initio ambigua & dura videbantur, quæ justissima in exitu apparuere; non ergo ante exitum, ultimamque sententiam de illis judicandum. *Tertiò*. Et denique *sit pro universis*

versis rationibus Author & ordinator Deus. Qui in Mysterio Prædestinations præter istas rationes alias quærit, is non portum, sed naufragium quærit, priùs peribit quàm perveniat.

Quòd si tamen ne ista quidem sufficiant: more Areopagitarum tecum agam. Cùm ad istorum Tribunal causa deferretur tam implicata, ut pugnantibus utrimque rationibus nullus exitus, nullusque modus apparet litem finiendi; partes reverti jubebant post centum annos. (a) Ita in negotio Prædestinationis: Si tibi, quæ hactenus dixi, sufficiunt; digitum ori impone, causamque perora; Si non sufficiunt; exi Areopago: *Quod Deus facit, tu nescis modo, scies autem postea*, redi post centum annos.

(a) *Aul. Gellius l. 12. c. 7.*


FINIS.





COROLLARIUM DOCTORUM

Qui sententiam de Prædestinatione ex prævisis meritis, & respective de mente SS. Augustini, & Thomæ tuentur.



S. Bonaventura Cardinal. & Ecclesiæ Doctor *in prim. dist.* 40. *art.* 2. *q.* 2. *ad ult.* & communiter citatur. *in prim. dist.* 41. *q.* 2. & alibi ut videre est apud Gaudentium Bontemtempi *T.* 1. *in S. Bo nav. in prim. disput.* 21. *q.* 7. infrà citandum.

Eandem sententiam probant, & sequuntur.

Cardinalis Sadolet. *in c.* 8. *Epist. S. Pauli ad Romanos.*

Cardinalis Contarenus in *Opusc. de Prædest.* quos citat, & sequitur.

Claudius Frassens infrà citandus.

Cardinalis Petrus Aureolus Ordin. Min. quem Sixtus Senensis appellat *Virum omnium scientiarum peritia clarissimum*, in *Comment. super quatuor lib. Sentent.* Romæ Typis Vaticanis anno 1595. opera Constantii Cardinalis Sarnani Ord. Min. Convent. impressis, *lib.* 1. *dist.* 40. *art.* 1. & *dist.* 41. *art.* 3.

Ludovicus Abelly Sac. Theol. Parisiensis Doct. & Episc. Ruthenensis in Gallia, in Medulla Theologica *par.* 1. *tract.* 2, *cap.* 5. *sect.* 3. ubi etiam citatur.

Sanctus Franciscus Salesius Episc. Genevensis *l.* 3. *de amore Dei c.* 5. & hujus Sanctissimi, ac Sapientissimi Episcopi extat etiam Epistola ad Patrem Leonardum Lessium Societ Jesu, data Annessi Gebennesium 7. Augusti 1618. cujus autographum apud Patres Societatis in theca argentea Antuerpiæ asservatur, & præ cæteris verbis ejusdem Epistolæ hæc maximè notanda sunt: *Sententia illa*, inquit, *antiquitate, suavitate, scripturarum nativa auctoritate nobilissima de Prædestinatione ad gloriam post prævisa opera, sanè mihi gratissima fuit, qui nimirum eam semper ut Dei misericordiæ, ac gratiæ magis consentaneam, veriorem, ac amabiliorem existimavi, quod etiam tantisper in Libello de amore Dei indicavi.*

Honorius Augustodunensis Ecclesiæ Presbyter, qui circa annum Christi 1120. claruit, *in Dialogo de Prædestinat. & libero arbitr.* clarissimè docet prædestinationem post prævisa merita.

Alexander de Ales *prim. par. quæst.* 28. *memb.* 3. *art.* 3.

Henricus *quodlib.* 4. *q.* 19. & *quodlib.* 8. *q.* 5.

Gulielmus Occhamus Anglus Ord. Min. Scoti Discip. *in p. dist.* 42. 1.

Joannes Bacconus *in pr. dist.* 41. *quæst. unic. art.* 2.

Ruardus Taperus *Tom.* 1. *explicat. Articulorum Lovaniensium pag.* 140. & *seq.*

Joannes Major *in prim. dist.* 40. & 41.

Albertus Pighius *l.* 8. *de l. arbit. cap.* 2.

Hieronymus Osorius *l.* 9. *de Justitia.*

Joannes Eckius in suo Chrysopasto *Gent.* 3.

Stapletonus *in c.* 9. *Epist. ad Roman.* & in Oratione qua ex professo hanc sententiam defendit, probatq; de mente S. Augustini.

Philippus Gamachæus Doct. Sorbonicus, & Regius Sac. Theologiæ Professor *coment. in prim. par. D. Thomæ quæst.* 23. *de Prædestinat.*

stinat. cap. 6. conclus. 2. hanc sententiam probat ex mente ipsius S. Thomæ, Sanctorumque Augustini, Hieronymi, Ambrosii, & Prosperi.

Nicolaus Isambertus Doctor, & Socius Sorbonicus in Academia Parisiensi Regius Theologiæ Professor *in prim. par. D. Thomæ disp.* 4. *ed quæst.* 23. *art.* 3.

Gregorius de Valentia Soc. Jesu *disp.* 1. *q.* 23. *de Prædest. punct.* 4. ubi fusè probat prædestinationem ex prævisis meritis de mente SS. Augustini, & Thomæ.

Gabriel Vasquez Societatis Jesu, quem præstantissimus, omniumque nostræ hujus ætatis eruditissimus Autor Dissertat. historicæ *De uno ex Trinitate carne passo* Romæ editæ an. 1695. pag. 115. hocce exornat Elogio: *Gabriel Vasquez*, ait, *celeberrimmus Theologus, Vir in Patrum lectione æquè, ac in scholastica palæstra versatissimus*. Et pag. 240. *Vasquez Magnus Theologus in lectione Patrum versatissimus, & eorum præsertim, qui de divina gratia sub Augustino Magistro scripserunt. Quis Theologus audit, qui Vasquii nomen summa cum lauda non inaudiverit? Est ille Theologorum Societatis facile princeps, licèt unus Franciscus Suarez dubium illi facere primatum quibusdam visus sit*. Is igitur præstantissimus Theologus *Tom.* 1. *disp.* 89. *c.* 4. *& seqq.* non solùm sententiam hanc de Prædestinatione ex meritis prævisis latissimè defendit, sed talem quoque fuisse veràm, germanamque Augustini mentem satis superque per quatuor. & ampliuscapita ostendit; Unde sub initio capit. 4. ait. *Tametsi aliorum Patrum auctoritas in omni controversia magni ponderis apud omnes esse debeas, in hac tamen, de qua nunc agitur, unus pro multis mihi semper erit Augustinus*.

Leonardus Lessius Societ. Jesu *Opusc. de Præ. dest. & reprob. sect.* 2. eandem tenet sententiam, ab eoque alii non pauci Auctores citantur, & *& num.* 8. *subjungit. Eandem tenent multi viri Doctissimi, qui non dum sua scripta typis mandarunt, quibus cum ego hanc rem consuli. Hos omnes ex consilio adduxi, ut appareat, quantus in hoc puncto sit omnium penè Doctorum.*

Martinus Beccanus Soc. Jesu *par.* 1. *cap.* 14. *num.* 4. *de Prædestin.* ubi pro hac sententia refert Theologos Academiæ Complutensis.

Fracifcus Amicus Soc. Jesu *Tom.* 1. *disp.* 15. *sect.* 4. qui longa serie alios refert pro hac sententia Theologos, *num.* 61. sensum suum aperit his verbis — *Ut huic sententiæ assensum preberem, movit me misericors Dei erga omnes intellectuales creaturas affectus, & æqua in prædestinatos, ac reprobos pro eorum præstitis operibus justa Iudicis retributio.*

Molina *ad quæst.* 23. *art.* 5. *disput.* 1. *memb.* 11. & 12.

Franciscus Turrianus *in lib. de Elect. divina*, & Luisius Turrianus *Disp.* 1. *Opusc.* 6. *dub.* 4. & 5.

Michael de Medina *l.* 3. *de recta in Deum fide cap.* 1.

Egydius Coninch. *disp.* 20. *persp dub.* 13. *num.* 119.

Cornelius à Lapide passim in Pauli *Epistolas* & Maldonatus multis locis in *Evangelia*.

Pennottus Cannonicus Regularis S. Augustini latissimè in Propugnaculo humanæ libert. *lib.* 9. *cap.* 21. *& seqq.*

Herice *disput.* 23. *cap.* 10.

Monceus *disp:* 4. *select. disputat*,

Joannes Martinon *Tom.* 1. *de Deo* excuso an. 1644. *disp.* 19. *n.* 23. postquam innumeros penè Doctores retulit pro sententia asserente electionem ad gloriam fieri post prævisa merita, inquit — *Denique communem esse Sanctorum Patrum, & Sacris literis, atque divinæ æquitati, justitiæ, misericordiæ, necnon humanæ libertati, pietati, & cœlo propriæ, alienæque salutis confo: miorem patebit ex sequentibus sectionibus*.

Ortega *tract.* 2. *de Deo Controv.* 7. *disput.* 2. *quæst.* 3. Prefferus *l.* 6. *de Conscientia à n.* 167. & Alacron in omnibus sequens vestigia Patris Vasquez.

Thyrsus Gonzalez Præpositus Generalis Soc. Jes. ac præstantissimus hujus Aevi Theologus *Tomo* 2. *Select. Disp.* 8. *sect* 12. ubi pro hac sententia sæpè allegat Augustinum, respondetque Bellarmino, & aliis, qui oppositam docuerunt.

Petrus de Comitibus Augustinianus, olim in studiis sui Ordinis Veneto, Patavino,

Perusino, Romanoque Regens *in Tract. de Prædestin. disp. 3. art. 2.* expressè tenet electionem ad gloriam fieri ex præscientia meritorum, *& art. 4.* ponit hanc conclusionem *Electio post prævisionem meritorum nullumodo contrariatur S. Patri Augustino imò est germana ejus doctrinæ;* & post allatos quamplures S. Augustini textus concludit in hæc verba - *Possem afferre sexcenta alia loca, ex quibus clare deducitur, germanam, Doctrinam D. Augustini nunquam fuisse, quòd prædestinatio ad gloriam sit antè prævisa merita,* Demum *art.* 8. docet S. Thom. etiam tenuisse hanc sententiam;

Gaudentius Bontempi Ordinis Capucinorum *Tom. 1. in Seraph. Bonavent. Tract. 1. de Deo Disput. 21. de Prædest. quæst. 7.* hanc sententiam latissimè probat ex mente Seraphici Doctoris.

Sed licet Scotus *in prim. dist. 41. quæst. unic.* contrarium defendat, se tamen in hac controverbia problematicum ostendit, dum ait ibi - *Ne scrutando de profundo eatur in profundum, eligatur, quæ magis placet.* Hinc est quod multi ex celebrioribus Scotistis proprii Doctoris libertatem, validissimasque pro altera sententia rationes nacti, prædestinationem fieri ex prævisis meritis, atque adeo ex mente S. Augustini docuerunt.

.Horum ducit agmen Philippus Faber Faventinus Conventualis, (quem *Theologum verè doctum* Lucas Vvandingus de Scriptoribus Ordinis Minorum appellat,) *in prim. sentent. dist. 41. quæst. 1. disput. 58. de Prædest.* ubi de mente S. Augustini fusè probat Prędestinationem fieri post merita pręvisa.

Joannes Poncius Hibernus Corcagiensis, qui quatuor Tomis Coment. in Scotum edidit, Philosophiam, & cursum Theologicum aliis duobus Tomis prælo donavit *disp. 7. Cursus Theol. q. 3.* hanc sententiam tuetur de mente S. Augustini.

Claudius Frassen Theologus Parisiensis in Patrum lectione versatissimus, atq; optima eruditione excultus *Tom. 1. Scoti Academici tract. 2. disp. 3. a. 2. sect. 1. q. 2.* fusè hanc quæstionem pertractat, defenditque ex mente S. Augustini, eorumque discipulorum, & sequacium, Prosperi videlicet, Fulgentii, Primasii, Anselmi, &c.

Joannes Gabriel Boyvin Gallus *Tom. 1. disp. 2. quæst. 8.* eam pariter tuetur de mente S. Augustini.

Bartholomæus Durand. Gallus *Tom. 1. Tract. 5. disp. 1. q. 1.* probat ex mente S. Augustini, & Fulgentii prædestinationem fieri ex prævisis meritis.

Saxius in sua Catastrosi *Tom. 2. dist. 10. quæst. 3. art. 1.* Gavellus Candelariensis *Tom. 1. disput. 8.* quibus adde Ferchium Vegliensem præstantissimum Theologum in Universitate Patavina *Epitom. Theolog. lib. 1. sent. dist. 41.*

Omittimus alios eximios, præstantissimosque Theologos, qui pro hacce sententia Scholastica in Palæstra decertarunt, cùm iis omninò perspicuos esse credamus, qui in Scholasticorum lectione versantur.

Errata, siquæ occurrent, Lector benevolus facilè corriget, cùm singularis diligentia in iis vitandis à typorum Correctore habita fuerit.

